

37
39 C
24



PARAPHRASIS
PSALMORUM POETICA

AUCTORE

GEORGIO FERRICH


RAGUSINO

Cui accedit altera in utriusque Testamenti Cantica

CUM ANNOTATIONIBUS.







RAGUSÆ
TYPIS ANDREÆ TREVISAN

MDCCXCI.

SUPERIORUM PERMISSU.





ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. DOMINO

MAXIMILIANO VERHOVACZ

EPISCOPO ZAGRABIENSI,

ABBATI S. MARIÆ DE THOPUSZKA, INCLYTI COMITATUS DE BERZENCZE SUPREMO AC PERPETUO COMITI &c. &c. &c.

GEORGIUS FERRICH RAGUSINUS

FELICITATEM.

Capto consilio hanc Psalmorum Paraphrasim publici juris faciendi, eidem aliquem nancisci Patronum volui, qui eam & auctoritate fulciret, & dignitate tueretur. Quum autem in Psalmis de supremo rerum omnium effectore Deo, de illius potentia, providentia, ceterisque Divinæ naturæ proprietatibus, nec non de lege divinitus hominibus tra-

tradita, de virtute paranda, vitiisque fugiendis, & ad quam omnia sunt dirigenda de æterna hominis felicitate perpetuus fere sermo habeatur; quumque hæc tam varia argumenta multiplici carminum genere pro mei ingenii viribus ad sacri textus convenientiam a me fuerint pertractata, cupiebam sanè, ut quem Mœcenatem operi adsciscerem, is & Theologicarum rerum peritissimus, & bonarum artium amator esset ac fautor. Utramque in Te personam, Præsul Amplissime, *me nactum fuisse vehementer gaudeo, qui Bononiæ, quæ civitas præ ceteris Italiæ civitatibus & florentissimis studiis, & præclaris abundat ingeniis, adeo strennam Theologiæ navasti operam, ut in ea facultate lauream jure meritoque fueris consequutus; moxque ut aliis easdem traderes disciplinas, in Academia Zagrabiensi fuisti Professor Extraordinarius electus. Quantum verò in iis studiis, quæ ab humanitate nomen habent, jam a prima ætate caperis excellere, probè noverunt Zagrabiensis Collegii alumni, quos inter ab insigni Civitatis Capitulo, quod in hujusmodi electionibus ingenium cum christiana pietate conjunctum potissimùm in adolescentibus solet inspicere, relatus es. Sed his multò luculentiora doctrinæ ingeniique præbuisti argumenta, quum Præfectus in Seminario creatus juniorem Clerum biennio Rhetoricam docere jussus es, auditores tuos ad omne eruditionis ac literaturæ genus informans, solidæque illis eloquentiæ, quæ in Demosthene & Tullio reperitur, fontes reserans, viamque quæ ad Parnassum ducit compendiariam demonstrans. Quapropter factum est, ut, quum te sæpius subtiliter graviter & ornatè de rebus omnibus disputantem audirent, ex iis quam plures Tui similes, hoc est perfectos oratores effeceris. Si cui igitur hoc opus dicare, inque alicujus committere tutelam conveniebat, Tu proculdubio is fuisti, qui Tibi devinctos habes quotquot puræ latinitatis fama nunc florent, quique facilè judicare potes, siquid est emendatè scriptum ad normam aureæ ætatis auctorum, quorum ego (his præsertim temporibus, quibus lin-*

quæ latina petrari ubique gentium occurrunt amatores) integritatem & nitorem licet consequutum me esse desperem, sequutum tamen pro me fero. Vidisti, Præsul amplissime, *quæ me impulerint causæ, ut hanc poëticam Psalmorum Paraphrasim sub auspiciis tuis faustissimis collocarem; nunc orationis ordo, æquitatisque ratio postulat, ut hoc loci reliquam rerum a Te præclarè gestarum seriem ob oculos legentium ponam. At si id fecero, verendum mihi summopere est, ne tuam offendam modestiam, quæ præ ceteris, quibus præditus es virtutibus, quasi Tibi propria ac peculiaris est virtus. Quid vero de Te ipse prædicare possim, quod non alii ante prædicaverint? Quid in medium afferre, quod non omnibus jam innotuerit? Quotusquisque est, qui ignorat, Te Zagrabiæ primùm, dum Canonici ac Protonotarii Apostolici munere fungereris, a* JOSEPHO II. *Cæsare, quòd Te incredibili præditum sagacitate, mentisque prudentia animadverterat, in Rectorem generalem Collegii electum fuisse? Qui quum egregii regiminis præclara dedisset specimina, Pestini ab eodem inclytæ facultatis Theologicæ Director, & Excelsæ Cæsareo-Regiæ Commissionis studiorum Assessor nominatus, in eo munere adeo tibi Principis animum devinxisti ob innatam illam sibi cum omni hominum genere conversandi rationem, ut post obitum præstantissimi Præsulis Zagrabiensis Josephi Galljuff ejus successor repente fueris renuntiatus. Hoc gravissimum de Te Cæsaris judicium, qui veræ virtutis semper fuit æstimator æquissimus, quanta Tibi laudi futurum putas, qui quum & ætate admodum juvenis, & novissimus esses Canonicorum ad supremum Ecclesiasticæ dignitatis gradum advolasti? In hac amplissimi, ut ita dicam, honoris specula constitutus qua vigilantia gregis Tibi commissi curam geras, quaque coneris assiduitate in tuo Clero sacrarum disciplinarum studia provehere, non est meum dicere. Id enim ipsa loquuntur volumina, Divinique Libri testantur, quos in idioma Gentis nostræ magna parte jam traductos curam suscipis evulgandi. Hinc*

est, quod non intra solos Austriaci Caesarei Imperii terminos se tui nominis fama dignitas & amplitudo continuit, sed latius evagata more omnium, qui cursu dilatantur & crescunt, ad nos usque pervenit. Verum si omnia, quae & ante adeptum Episcopatum & factus Episcopus egisti, persequi singillatim vellem, eam orationem de Te conficerem, cujus difficile esset exitum invenire. Finem igitur faciam, Teque orabo, ut hoc observantiae in Te meae testimonium, quod tuae amplitudini maximè visum est convenire, aequo libentique animo digneris excipere. Quod ad me attinet, multum me Tibi, & grata animi voluntate debere profiteor, debiturumque deinceps tam libenter, ut tui in me beneficii Te nunquam poeniteat. Quod superest, ea qua soles benignitate libellum, ejusque auctorem in tuam tutelam, prout enixè deprecor, accipe. Vale.

Dabam Ragusii Kal. Julii MDCCXCI.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

Mirabitur fortasse quispiam, cur post tot præstantissimos viros, qui Psalmos Paraphrasi poetica illustrarunt, ego quoque eandem spartam adornare susceperim, qui neque ingenio, neque poetica facultate sim cum iis, qui in hac arena laudabiliter desudarunt, comparandus. Melioremne mihi ipse fortunam augurer? Post eosve aliquid magis elaboratum, vel in hoc genere perfectius me in medium allaturum sperem? Minimè profectò. Quæ igitur hujusce mei propositi ratio fuerit, paucis explicabo. Quum aliquot abhinc annis cuidam (*) Viro in hac nostra patria eruditissimo, multaque lectione exercito nonnullas lucubrationes poeticas, in eisque aliquos Psalmos Davidicos hexametro carmine a me versos ostendissem, is, prout est animo ad pietatem proclivi, me hortari, ut integrum Psalmorum librum vertendum susciperem. Ne otio contabescerem, a quo me semper abhorrentem fuisse non inficior, æquo lubentique animo illi morem gerere constitui, omissoque alio scribendi genere, manum strenuè operi admovi, & ad umbilicum perduxi. Nonnullis deinde, selectioris notæ amicis, quibus & acris judicii vis, poeticæque facultatis peritia, quum aliquid eorum quæ confeceram identidem licet invitus recitassem, ii sacris hujusmodi carminibus oblectati, me ut publici juris ea facerem rogavere. Quum autem scirem, quam plenum periculosæ opus esset aleæ scripta typis mandare, hoc est publicæ censuræ subjicere, hac præsertim ætate, quæ nihil mediocre patitur, quæque commu-

(*) Is est Franciscus Stay Ragusinus Benedicti, & Christophori frater, quorum nomina literatissimo cuique notissima sunt. Alter enim elegantissimis versibus, in quibus redivivum Lucretium licet agnoscere, Cartesianam primùm, mox Nevvtonianam Philosophiam exposuit. Alter vero utrique operi latinas ad fratrem poetam datas præposuit epistolas, quæ aureo Romanorum seculo communiter dignæ videntur; ejusdemque elegantissimus Dialogus de poesi didascalica antea ineditus accedet operi de Nevvtoniana Philosophia, quod nunc Romæ imprimitur, magnoque literatorum omnium expectatum desiderio propediem integrum atque absolutum cum notis Boscovichianis vulgabitur. Magno literariæ Reipublicæ damno hic Vir Romæ obiit anno 1777. Is autem, quem ego ad hoc opus latinis versibus vertendum hortatorem habui, nitidos elegantesque versus, sacra ac moralia sequutus argumenta, itidem scribit, qui a Poeseos latinæ amatoribus jure meritoque probantur.

communes dedignatur poetas, horum judicio unicè acquiescere non satis tutum esse duxi. Meo enim me modulo metior, & quam curta domi supellex probè intelligo. Scriptis igitur anno 1786. literis ad Clarissimum Virum Benedictum Stay Romæ degentem, eidem misi illam meam qualemcumque Paraphrasim, ut quid & ipse de ea sentiret intelligerem. Is humanissimè rescripsit in hanc ferme sententiam. „ Ut in manus meas Psalmorum Liber a te poeticè versus pervenit, statim ad ejus sedulam lectionem animum applicui, ut meum tibi, quod hac in re postulabas, judicium significarem. Quod dum facerem, multa me eaque gravissima negotia impedierunt, quominus ante hanc diem meæ ad te literæ mitterentur. Scito igitur, justam mihi esse causam, cur tibi ob dictam gratuler Paraphrasim, quæ, ut mea fert sententia, feliciter tibi tum quoad dictionem Poeticam, sacrique textus rectam intelligentiam, tum quoad dilucidam expositionem successit. Versus nitidi elegantesque, & argumento satis convenientes sunt, piosque in animis bene dispositis sensus passim excitant. Quocirca eo magis lætor, quo plus difficultatis video tibi fuisse subeundum; atque huic uni nonnullos nævos minimè tamen opus deturpantes attribuo. (*Quibus indicatis ita pergit.*) Sed horum causam video necessariò adscribendam esse versui hexametro, qui constanter in omnibus Psalmis a te retinetur. Agebatur de poesi Lyrica, immo plus quam lyrica, de prophetica videlicet. Singuli Psalmi, qui tanto in numero habentur, sunt totidem brevia poemata, sive hymni, quorum unusquisque per se est, minimeque ab alio dependens. Videbatur igitur ipsa argumentorum varietas metrorum postulare varietatem, quæ locum præberet iis inopinatis Prophetæ motionibus, quibus id genus carminis abundat; idque eo magis, quod crebra modorum mutatione illa vitabatur *monotonia*, quæ vel iisdem omnino vel valde affinibus, quæ sæpissime in Psalmis occurrunt, conjuncta sententiis progressu temporis fastidium erat legentibus. Et re quidem vera fere omnes Psalmorum Paraphrastæ, qui multi sunt, sibi ita agendum putavere; & sic agentes plus minusve prosperos habuere successus. Si, ut periculum facias, aliquem e Psalmis vertere aggrediaris in carmen sive alcaicum, sive sapphicum, sive hendecasyllabum &c. persuasum mihi habeo (præterquamquod commodè uti posses tot aptis vocabulis, quæ versus respuit hexameter ob constantem dactylorum ac spondæorum sedem, verbisque prophetæ suum robur, dignitatemque loquendi posses impertiri) persuasum mihi, inquam, habeo tuæ Paraphrasi multum pretii ornamentique adjectum iri propter unicam harmonicam varietatem; hasque solas carminum alternationes satis futuras, ut lector ad longam continuationem hujus suavissimæ lectionis alliceretur. Non dubito, quin æqui bonique facturus sis hoc meum qualecumque judicium, seu potius desiderium ac studium, ut tuus labor certe

laude dignissimus illud pretium, quod meretur, referat atque assequatur &c. „ Hac perlecta epistola, iisque quæ in ea continebantur sedulò perpensis, anceps animi hærebam, quid consilii capturus essem. Videbam me multum laboris superioribus annis suscepisse, adeoque me novus labor deterrebat, alia etiam causa accedente, quod in odis conscribendis vel nunquam, vel perrarò me exercitatum recordarer. Verum ut annus abiit, animum erexi, & opus antiquum cœpi refingere, atque ut ita dicam recudere, novamque struere Paraphrasim, in qua præter Horatiana metra alia quoque a Poetis atque Hymnographis usurpata inserui, retentis paucis Psalmis versu hexametro e priori Paraphrasi, quamquam iis quoque multum immutatis; adeo ut opus omninò novum & appareret, & esset. Iterum illud misi ad prælaudatum Benedictum Stay, ut ejusdem sciscitarer oraculum: is in hunc modum respondit. „ Quum mihi nova Psalmorum a te adornata Paraphrasis serius pervenerit; nec affectæ valetudinis status mihi permiserit, ut statim in eam, prout cupiebam, opportunas animadversiones facerem, minimè mihi integrum fuit celerem ad te responsionem, qua tibi fieret satis, transmittere. Nunc verò quum eam attentè perlegerim, & ut opinor de ea ferre conveniens judicium jam valeam, dico, me hanc novam Paraphrasim multò meliorem, quam prior illa fuerit, invenisse; idque potissimùm ob metrorum a te adhibitam variationem, quum per eam *monotona* illa uniformitas & rerum quæ sæpe eædem dicuntur in psalmis, & numeri ipsius jam de medio fuerit sublata, quæ in priori versione nonnihil incommoda eveniebat. Quare tibi plurimùm gratulor, obque laborem iteratò susceptum, feliciterque ad exitum perductum ex animo plaudo. Si in nonnullis locis aliquid duriusculè, & minus exactè circa syllabarum quantitatem nactus sum (*de his me admonet*) parum de hoc sollicitus fui, certus de ulterioribus correctionibus a te faciendis, quum post aliquantum temporis sedata mente operi manum admovisses. Velim mihi ignoscas, si hæc tecum liberius egi: unicè enim ob id facio, ut tibi optimam meam voluntatem significem, & desiderium quod mihi est, ut tua Paraphrasis ad illam maximam quæ fieri potest perfectionem pertingat in tot tantisque, & aliquando insuperabilibus difficultatibus, quibus tu pene ubique superior evasisti &c. " Quum meos labores ab homine in his rebus peritissimo non improbari vidissem, seriò cogitare cœpi, ut omnia quæ mihi minus placebant ad incudem revocata mutarem emendaremque; nec quidquam industriæ ac diligentiæ omisi, ut quantum vires ingenii mei patiebantur, perfectiora redderentur. Hoc me fortasse loco aliquis interpellabit: nonne omnibus numeris absoluta Xaverii Mattei nuper in lucem edita Paraphrasis? Quid in eodem igitur desudas argumento? Fateor eam inter Italicas Paraphrases principem habere locum: sed Lati-

nam.

ham, illi æquiparabilem adhuc desideramus, & fortasse diu desiderabimus. Unde mihi non hyperbolicè, sed verè profectò ille lyricorum clarissimus dixisse videtur, quum summam difficultatem optimæ Paraphraseos sentiens ita cecinit.

Jessæa quisquis reddere carmina
Audet Latini pectine barbiti,
Audet redordiri superbæ
Turrigeras Babylonis arces.
Quantus Poloni e vertice Carpati
Ruptis inundat Vistula fontibus,
Se fert, inexhaustusque tanto
Isacius ruit ore Vates. &c.

Optandum tamen est, neque omnino desperandum, ut post me aliquis, cujus humeri id onus ferre valeant, excitetur, qui divinissimi illius Vatis carmina pro dignitate Latina faciat. Unde non eorum improbanda est industria, qui in argumento quod ab aliis fuit pertractatum suos insumunt labores. Non enim video, cur ingeniis præfigendus sit limes, atque adimenda libertas, ut, siquis suas vires cum aliis experiri velit, id illi nefas sit. Si ita vel Raymundus Cunichius concivis meus, vel Clarissimus Melchior Cesarotti cogitassent, nec illius Homericam Iliadem Latinis versibus, nec hujus Italicis redditam haberemus, quarum utraque priores omnes poeticas versiones longe superavit, obscuravitque. Ut autem ad meum redeam propositum, ea est, ut optimè animadvertit Cardinalis Bellarminus a Calmet citatus, Psalmorum obscuritas, & profundo adeo sensu latent, ut nullus labor supervacaneus sit, etsi plures in eodem sensu operam suam collocaverint. Ager est vastissimus ac fœcundissimus, ut plurium simul messorum copiam patiatur. Singulis est sua via & consilium; ac summopere semper Ecclesiæ placuere, qui ad id studii operam suam omnem contulerunt: quo enim plures illa operarios in eum agrum miserit, eo præclarius agi putat. Exploratam igitur habes, Lector humanissime, causam, quæ me ad scribendum impulit, cujusque Viri auctoritate nixus hoc opus evulgare decreverim; superest, ut de methodo, quæ in hac versione servata a me fuit, aliquid dicam. Quod receptam apud Hebræos consuetudinem distribuendi in quinque partes Psalterium sequutus fuerim, non me illorum movit opinio, qui ut alterum Pentateucum sic divisum fuisse arbitrati sunt, sed eorum potius accedo sententiæ, qui ita factum asserunt, ut unicè lectorum ratio haberetur, longiorisque libri tædium facta divisione levaretur. Hinc illa ad arbitrium invecta vel hac unica ratione probari potest, quod singuli libri iisdem verbis clau-

duntur,

duntur, de industria adjectis ab Ezechia, vel ab Esdra, vel a magni synedrii patribus, quorum auctoritate certus librorum canonicorum numerus definitus est. Ceterùm tam apud Hebræos, quam apud Christianos convenit, Psalterium unicum librum esse, licet in quinque partes dispescatur; prout & centum quinquaginta esse Psalmos, licet circa eorum distributionem discidium sit apud utrosque. Hæ tamen discrepantiæ nullius momenti sunt: nos numerationem, quæ in Vulgata est, retinemus, adnotando fere semper, quid in Hebræo sit discriminis. Quod ad meam attinet expositionem, ubique eundem sensum, quem textus præsefert, exactè reddere curavi; & licet alicubi liberius egisse prima fronte videri possim, qui tamen intimius inspexerit, inveniet a me dicta in eandem, quæ in textu est, vel satis affinem resolvi sententiam; aliud latinæ, aliud hebraicæ linguæ indole exigente. Paucula verò quædam, quæ vel ornatus, vel metri gratia adjecta sunt, nihil prorsus officiunt, neque immutationem sententiæ inducunt, immo fere semper ei lumen afferunt. Ubi verò hebraicum textum sequi malui, illum latinè redditum post carmina apposui; sed quoties Vulgatæ sententia cum Hebraico textu conincidebat, licet cum levi aliqua variatione, ibi ne actum ageremus hebraica citatio omissa est. Hujus loci esset aliquid de hebræorum poesi dicere, sed quum nonnulla hac de re ad Mosis Canticum fuerint adnotata, paucis me expediam. Et primò quidem omnes in hoc convenient, hebraicæ Poesi minimè negari posse sublimitatem sententiarum, sermonisque magnificentiam quamdam, qua sine vera poesis esse non potest, quum sit illius veluti character, ac dos primaria juxta Horatii definitionem, huic tantum poetæ nomen tribuentis, cui sit mens divinior, atque os magna sonaturum. Certè diviniori mente vates hebræos fuisse præditos nemo ibit inficias; quum & divino afflati numine cecinerint, & suam poesim in usus religionis potissimùm consecraverint; quod & de ceteris gentibus vetustæ originis dici potest. Græcorum enim poesis in ipso sui exordio tamquam sacrum aliquid & divinum suspiciebatur; quum primi eorum Poetæ nihil pene, nisi Deorum laudes, regumque gesta canerent, donec paulatim suæ dignitatis obliti ad leviora atque obscœna etiam deflexere argumenta. Præter stili sublimitatem, & nervosam ac robustam locutionem quæ hebraicæ poeseos propria esse videtur, inest eidem dos altera in animi affectibus mirificè exprimendis. Vividis enim adeo coloribus pinguntur dolor gaudium indignatio ira aliæque cupiditates, ut nihil sit ejusdem generis, quod Hebræorum lucubrationes vel æquet vel superet. Porro tam patheticæ poeseos ratio fieri non potest, quin acres plurimas figuras, vehementes locutiones, crebrasque similitudines exhibeat. Hinc mirum non est, si in concitata adeo oratione interdum figuræ aliquot audaciores occurrant, metaphoræ a longe petitæ, hyperbolicique loquendi

modi

mŏdi orientalium propali, atque apparens quædam fermonis disjunctio; quæ fere omnia etiam in Pindaro videre non femel licet. Quod reliquum eft, concludi fic poffe exiftimo, Hebræam Poefim fœcundiffimam & locupletiffimam bonis fructibus effe; licet Græca floribus ornatior ac cultior fit, Hebræafque Mufas non effe adeo rudes ac pingue fonantes, ut quidam temere judicantes afferere non dubitarunt.



PARA.



PARAPHRASIS POETICA
IN LIBRUM PRIMUM PSALMORUM

PSALMUS I.

In hoc primo Psalmo David, qui ejus auctor esse creditur, docet, justos & legis divinæ amatores beatos esse; improbos vero homines Deo vindice perituros.



1 Elix o ter & amplius,
Qui non applicuit consiliantibus
Aurem credulus impiis,
Non se sacrilegæ cœtibus addidit
Turbæ, nec temere viros
Irrisit cathedra e pestifera pios!
2 Sed summi Patris unice
Noctes, atque dies mente revolvere
Legem gaudet, & exequi.
3 Ille, arbos veluti, prætereuntibus
Quam pellucidior vitro
Lætam lambit aquis fons, erit, impigri
Quæ spem fallere nescia
Cultoris proprio mitia tempore
Dat pendentia ab arduis
Carptim poma manu vellere ramulis;
4 Quam nec bruma virentibus,
Quamvis horrifico frigore sæviat,
Nec vis dira caniculæ,
Ventorumve furor, frondibus exuit.
5 At non sors eadem malis;
Sed pulvis veluti, quem valido notus
Hac illac rapit impete,
Haud ulla poterunt sede quiescere.
6 Hinc judex ubi maximus
Cunctis jus veniet dicere gentibus,

1 Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.

2 Sed in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die, ac nocte.

3 Et erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.

4 Et folium ejus non defluet, & omnia quæcunque faciet, prosperabuntur.

5 Non sic impii, non sic, sed tamquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ.

6 Ideo non resurgent impii in judicio, neque peccatores in concilio justorum.

 Can-

Causâ omnis cadet impius,
Justorumque gregi non sociabitur:
7 Nam qui justitiam colunt,
Hos rector superûm diligit & probat;
At quotquot scelerum vias
Insistunt, miseros ducet ad exitus.

7 Quoniam novit Dominus viam justorum, & iter impiorum peribit.

PSALMUS II.

De futuro Messiæ regno; & de vana populorum & principum adversus eum conspiratione verba facit. Deum enim Patrem, a quo rex universorum est constitutus, regnum ipsius modis omnibus conservaturum prædicit. Deinde monet reges ac principes, ut illius jugum libentes subeant, & justitiæ addicti innocentem vitam agant, ne ab irato judice Deo plectantur.

1 Quid tanto gentes arma arripuere tumultu;
Vanaque sic populos exasperat ira rebelles?
2 Inque Deum, Christumque suum quid fœdere reges
Composito, proceresque ruunt sic ore loquentes:
3 Eja agite, o socii, validis exosa lacertis
Vincula frangantur: pudeat submittere loris
Libera colla; novique jugum tolerare tyranni:
4 At Pater, ætherei quem templa micantia cœli
Accipiunt, stultos ridebit, vana minantes;
5 Horrendisque tonans dictis, & turbidus ira
Disjiciet, trepida quatiens formidine pectus:
6 Ille suis etenim mihi sancto in monte Sionis
Imposuit manibus diadema, & jussa per omnes
Me populos voluit sua spargere: 7 Filius es tu,
Ille mihi hæc fatus, meus es tu Filius, hac te
Luce ego progenui: 8 Patrem tu posce, dabitque,
Ut cunctas æterna regas in secula gentes,
Imperiique tui metas ut finiat orbis.
9 Tu quotquot cervice jugum excussere superba
Ferreo ad officium sceptro revocabis, eosque
Franges, vasa velut lutea. 10. O quibus ampla potestas

1 Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania?
2 Astiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum, adversus Dominum, & adversus Christum ejus.
3 Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus a nobis jugum ipsorum.
4 Qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos.
5 Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos.
6 Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.
7 Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te.
8 Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.
9 Reges eos in virga fer-

Per-

Permissa in populos fuit, & qui jura tremendo
Dicitis e solio, mea dicta advertite reges.
11 Ne vos divinæ teneant oblivia legis,
Atque olli, qui cuncta suo versatque, regitque
Arbitrio, servite alacres; insanaque justos
Transiliant fines ne gaudia, numinis almi
Temperet illa timor, trepidique huic reddite cultum;
12 Quamque ad vos nitidis prolem demisit ab astris
Diligite unigenam, ne vos a tramite recto
Errantes justis sua cladibus obruat ira.
13 In sontes namque illa brevi quum sæviet, exsors
Qui sceleris vixit, spemque almo in rege locavit
Cœlicolûm, se se tunc sentiet esse beatum.

rea, & tamquam vas figuli confringes eos.
10 Et nunc reges intelligite, erudimini qui judicatis terram.
11 Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.
12 Apprehendite disciplinam, *ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via justa.*
13 Cum exarserit in brevi ira ejus, beati omnes, qui confidunt in eo.

PSALMUS III.

Ab impiis se exagitari queritur, sed ope divina protectus suam in Deo fiduciam, ac securitatem collocat.

1 QUid tanta gentis efferatæ factio
Me gestientis perdere
Conspirat in meum, Parens optime, caput?
2 Cur impudenter spargere
In vulgus audet, nulla quod meæ tibi
Cura est salutis amplius?
3 Quum prœliantem sæpe scuto protegas,
Elargiensque splendidas
Opes, decore me corones regio?
4 Quum, quidquid orem, de tuo
Mihi ipse sancto monte semper annuas?
5 Expers timoris molliter
Stratis recumbo, dormioque, flammea
Dum nocte fulgent sidera;
Curisque liber, quum vagus sol profert diem,
Exsurgo, te curam mei

1 Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me? multi insurgunt adversum me.
2 Multi dicunt animæ meæ, non est salus ipsi in Deo ejus.
3 Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.
4 Voce mea ad Dominum clamavi, & exaudivit me de monte sancto suo.
5 Ego dormivi, & soporatus sum, & exsurrexi, quia Dominus suscepit me.

vers. 12. *Hebræus: Osculamini filium.*
v. 3. *Hebr. Clypeus pro me*, vel *circum me.*

6 Non timebo millia populi circumdantis me, exsurge Domine, salvum me fac Deus meus.

7 Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa, dentes peccatorum contrivisti.

8 Domini est salus, & super populum tuum benedictio tua.

Gerente; 6 mæsto nec timore turbidum
Pectus tremiscet, me licet
Premant ab omni parte gentis millia
Tumultuantis plurima.
7 Vindex salutis nam meæ fortissimus
Prodibis in aciem, Deus:
Tu me insequentum fulminante conteres
Os impiorum dextera.
8 Rerum mearum tu columen es unicum;
Salusque certa; ergo tuam
Quo prosecutus hactenus gentem es, Deus,
Amore perge prosequi.

PSALMUS IV.

Hostes suos David admonet, ut sciant, Deum, a quo in regem electus fuit, justitiæ suæ causam auditurum, eosque a vitiis ad justitiam excolendam adducere conatur: bonorum omnium auctorem Deum esse asseverat, seque spe divina innixum felicem esse profitetur.

1 Cum invocarem exaudivit me Deus justitiæ meæ, in tribulatione dilatasti mihi.

2 Miserere mei, & exaudi orationem meam.

3 Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?

4 Et scitote, quoniam mirificavit Dominus sanctum suum, Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.

1 PUriter vitæ mihi qui peractæ
Es, Deus, testis, tua quum vocavi
Numina, haud spreta prece defuisti
Rebus in arctis:
2 Nunc quoque ærumna graviore pressum,
Dum preces fundo, gemitusque ab imo
Pectore, exaudi miserans, & ægro
Porrige dextram.
3 Impii quo usque o proceres acerbus
In me erit vobis animus? quid umbras
Quæritis vanas, mihi mentientes
Ore doloso?
4 Credite, electum sibi sponte regem
Quod Deus cura vigili tuetur,
Quodque non dura mihi supplicanti
Annuet aure.

5 Præ-

v. 3. *Hebr. Filii viri* seu *virorum*, idest Principes.

5 Præsit insano ratio furori,
Quidquid & vobis violentus ardor
Dictat, in stratis positi quieta expendite mente.

5 *Irascimini, & nolite peccare, quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.*

6 Corde qui puro sceleris litavit,
Hic Deum solus bene placat: hæc vos;
Reddite hæc illi sacra, spesque vestras
Ipse secundet.

6 *Sacrificate sacrificium justitiæ, & sperate in Domino, multi dicunt, quis ostendit nobis bona?*

Plurimus gazis inhians; quis auri
Dulce det nobis, rogitat, metallum?
7 Sat, tui aspiret mihi si beata
Aura favoris:

7 *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo*

Gaudio mentem mihi tu, fugaces
Quod voluptates, malaque impiorum
Gaudia immani spatio antecedit,
Cœlite reples.

8 Frugibus lætis sua stipet alter
Horrea, & flavens oleæ virentis
Divitem succus faciat, meroque
Cella redundans.

8 *A fructu frumenti, vini, & olei sui multiplicati sunt.*

9 Ast ego curis vacuam molestis
Dormiam noctem, invigilante rebus
Te meis; 10 tu spes mihi certa, tu cor
Robore firmas.

9 *In pace in idipsum dormiam, & requiescam.*

10 *Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me.*

PSALMUS V.

Propheta diluculo assurgens ad Deum preces fundit. Impios a Deo plecti, justos autem beneficiis affici ostendit.

1 Perveniant mea verba tuas; Deus optime, ad aures,
Atque meos ne despice questus,
2 Sed te propitium votis da, quæso, precantis,
Namque mihi tu rector & idem
Es Deus: 3 oranti tu porrige mane vocatus
Dexter opem, 4 nam lucis eoæ
Cras ego præveniens ortum tua sancta precabor
Numina, me coram tibi sistens,
Cui sceleris mens pura placet, quique ultor acerbus
Noxæ omnis contagia abhorres.

1 *Verba mea auribus percipe, Domine, intellige clamorem meum.*

2 *Intende voci orationis meæ, Rex meus, & Deus meus.*

3 *Quoniam ad te orabo Domine, mane exaudies vocem meam.*

4 *Mane astabo tibi, & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.*

5 Neque habitabit juxta te malignus, neque permanebunt injusti ante oculos tuos.

6 Odisti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

7 Virum sanguinum, & dolosum abominabitur Dominus; ego autem in multitudine misericordiæ tuæ.

8 Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

9 Domine deduc me in justitia tua, propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.

10 Quoniam non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est.

11 Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, judica illos Deus.

12 Decidant a cogitationibus suis, secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritaverunt te Domine.

13 Et lætentur omnes, qui sperant in te, in æternum exultabunt, & habitabis in eis.

14 Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum, quoniam tu benedices justo.

15 Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ, coronasti nos.

5 Haud te posse frui gens impia speret amico, &
Ante tuos consistere vultus:
6 Nam merito infensi tibi sunt quicumque malorum
Artifices, & falsa locuti.
7 Tu, quos in cædes mens effera erudit, & artes
Quos juvat exercere dolosas,
Exitio afficies; tua sed tutabitur ingens
Me pietas, 8 qua fretus adibo
Templi sancta tui penetralia, te prece casta
Et votis ut pronus adorem.
9 Tu Recti mihi pande viam, & ne fraudibus hostes
Illaqueent; dubios mihi gressus
Dirige: 10 pravo illis veri vox conscia ab ore
Nulla fluit, gaudentque malignos
Moliri sub corde dolos, 11 & more sepulcri
Poscentis nova funera semper
Cædibus infandis inhiant, & mollia linguis
Insinuant per verba venenum:
At tu sævæ ausus jam comprime gentis, eamque
Suppliciis immanibus urge.
12 Consiliis frustrata malis cadat illa, suique,
Quo justas tibi suscitat iras,
Pœnas expendat sceleris. 13 Sed quotquot in uno
Te sibi spem posuere salutis,
Sincera perfunde illis dulcedine pectus;
Et præsenti numine firma.
14 Namque pia quicumque colunt te mente, tuumque
Qui servant in pectore nomen,
Uberibus cumulas donis, 15 umbraque favoris,
Ceu clypeo tutaris aheno.

PSALMUS VI.

Orat Deum, ut ab infirmitate, cujus effectus exponit, liber evadat, seque exauditum esse lætatur, & hostes suos a Deo protectus negligit.

1 Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

1 NE, Deus, justo tibi quum furore
Mens ob humanas agitata culpas
Fervet, hoc dignas precor a nocente
Exige pœnas:

2 Te

2 Te mei tangat pietas, maligna
Namque vi morbi crucior: priori
Tabidos artus, macieque adesos
Redde saluti.

Ecce compages mihi dissolutæ
Ossium jam sunt, 3 nimiisque pectus
Turbidum curis trepidat, dolorque
Stravit acerbus.

Quamdiu arcebis miserum, meosque
Negliges questus? 4 Age, me benignus
Respice, atque ægrum tumuli e profunda
Eripe nocte.

5 Namque ubi vitæ fera mors recidit
Stamen, heu! quisnam memor est tuarum
Amplius laudum gelida sepulcri
Obsitus umbra?

6 Nox mihi insomnis trahitur, gravesque
Pectore erumpunt gemitus; amaris
Ora nec tantum lacrymis, at ipsa
Strata madescunt.

7 Ægra consumpsit mihi fletus ingens
Lumina, & sævos miser inter hostes
Dum moror, vires mihi mœror omnes
Corporis hausit.

8 Turba sed gressus procul hinc scelesta
Amove, non te metuam deinceps;
Victus en nostro Deus ejulatu
Pectora flectit.

9 Ille placato pia vota vultu
Excipit: 10 turpis tegat impiorum
Hostium vultus pudor, avolentque
Præpete gressu.

2 Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum, sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

3 Et anima mea turbata est valde, sed tu Domine usquequo?

4 Convertere Domine, & eripe animam meam, salvum me fac propter misericordiam tuam.

5 Quoniam non est in morte, qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi?

6 Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.

7 Turbatus est a furore oculus meus, inveteravi inter omnes inimicos meos.

8 Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem, quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

9 Exaudivit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit.

10 Erubescant, & conturbeatur vehementer omnes inimici mei, convertantur, & erubescant valde velociter.

PSALMUS VII.

Ab hostibus falso incusatus suæ innocentiæ testem Deum invocat, ab eoque auxilium implorat. Illis autem, ni cito resipiscant, ultionem divinam minitatur, eorumque exitium prædicit.

1 IN te salutis spes posita est mihi,
O alme mundi rector, ab impiis

1 Domine Deus meus in te speravi, salvum me fac ex

omnibus persequentibus me, & libera me.

2 Ne quando rapiat ut leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat.

3 Domine Deus meus si feci istud, si est iniquitas in manibus meis.

4 Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.

5 Persequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in pulverem deducat.

6 Exsurge Domine in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum meorum.

7 Et exsurge Domine Deus meus in præcepto, quod mandasti, & synagoga populorum circumdabit te.

8 Et propter hanc in altum regredere, Dominus judicat populos.

9 Judica me Domine secundum justitiam meam, & secundum innocentiam meam super me.

10 Consumetur nequitia peccatorum, & diriges justum, scrutans corda, & renes Deus.

11 Justum adjutorium meum a Domino, qui salvos facit rectos corde.

12 Deus judex justus, fortis, & patiens, numquid irascitur per singulos dies?

13 Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, & paravit illum.

14 Et in eo paravit vasa

Me sospitem, quæso, potentis
Auxilio fac abire dextræ.
2 Si nullus adstet prompte opifer mihi,
Jam me, ut paventem trux capream leo;
Prædabit accurrens, & acri
Sævitie lacerabit hostis.
3 4 Si pestilenti crimine pollui
Dextram, vicissim reddere si vides
Me damna pro damnis, trucique
Ingenio, cupidumque cædis,
Frustretur omnis spes animum mihi;
5 Hostisque magnis viribus insequens
Me captet, insultetque victo,
Detque neci indecorem pudendæ:
6 Ast innocenti si malus objicit
Hæc livor, exsurge ultor in impios,
Justasque concedens in iras
Perfidiæ cohibeto cursum.
7 Exsurge, promissique fidem tua,
Me vindicando, dextera liberet:
Densaque tunc plaudens caterva
Te dominum populus sequetur:
8 9 10 Qui jura terris arbiter omnibus
Das æquus, & quo gens pia vindice
Servatur, ah! si recta sector,
Affer opem, placidusque serva:
Tu, qui recessus pectoris ultimos
Pervadis, & quem nil latet abditum,
Tu frange conatus malorum,
Viribus innocuos adauge.
11 Spes est salutis firma mihi Deus,
Quem labis expers simplicitas juvat;
12 Malisque qui judex tremendum
Supplicium minitatur æquus.
Ast ira cessans numinis improbo
Occasionem ne exitii ferat;
Nam pœna non semper scelestos
Lenta sequi sine clade linquet:
13 14 Ni turba gressus retrahit impia;
Jam

v. 6. *Hebr. Elevare in indignationibus hostium meorum.*

Jam stringit ensem, jam Deus expedit
Arcum, vibraturus flagrantes
Funeris artifices sagittas.
15 En, qui dolorem corde sub effero
In damna conceptum occuluit mea;
Nil edidit, præter nefandum
Quod nocuit sibi crimen ipsi.
16 Quam fodit olim fraude mala mihi
In fossam eandem improvidus incidet;
17 Et quos mihi luctus paravit,
Hujus in exitium recurrent.
18 Ast ipse magni justitiam Patris,
Curis solutus tristibus, undique
Vulgabo, divinumque cantu
Perpetuo celebrabo nomen.

mortis, sagittas suas ardentibus effecit.

15 Ecce parturiit injustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem.

16 Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foveam, quam fecit.
17 Convertetur dolor ejus in caput ejus, & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.
18 Confitebor Domino secundum justitiam ejus, & psallam nomini Domini altissimi.

PSALMUS VIII.

Divinæ excellentiæ magnitudinem mirifice hoc Psalmo deprædicat; deinde ad quantam dignitatem Deus hominem evexerit, admirabundus contemplatur.

1 Cunctarum sator, arbiterque rerum;
Cui par est nihil, & nihil secundum;
Quam tui inclyta nominis per omnes
Terras gloria pervagata splendet!
Quo nostras cumulat stupore mentes!
2 Tollit se tua magnitudo supra
Immensas nitidi plagas Olympi,
Et qua deficit æthra, siderumque
Splendor, ingenito decore fulget.
3 Tu lactentibus, inscii que fandi
Os solvis pueris, tuasque laudes
Evulgare jubes, ut ore dicta
In te sacrilego impia evomentes
Hostes conticeant pudore victi.
4 Quum cœlos ego dextræ opus potentis
Tuæ conspicor, albicantis orbem
Quum Lunæ, innumerasque & hac, & illac
Sparsas, & jubare aureo nitentes
Stel-

1 Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

2 Quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos.

3 Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum, & ultorem

4 Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, Lunam, & stellas, quæ tu fundasti.

5 Quid est homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum?

6 Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.

7 Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves, & boves universas, insuper & pecora campi.

8 Volucres cœli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris.

9 Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Stellas luminibus pererro, 5 tales
Surgunt pectore cogitationes:
Quid porro est homo, destines ut arces
Illi sidereas? Quid ægra Adami
Stirps tanto in pretio tibi est, ab alto
Ut cœlo veniens eam haud graveris
Visere? 6 Hanc prope civibus beatis
Æquasti ætheree domus, honore
Ornans eximio; omnibusque, dextra
Quas tua edidit, hanc præesse rebus
Jussisti: 7 omnigenum huic pecus, ferasque,
Quas habent cava lustra, subdidisti.
8 Huic parent liquidi aeris per oras
Quæ late volitant aves, marisque
Salsa quæ vada gens colit natantum:
9 Cunctarum sator, arbiterque rerum,
Cui par est nihil, & nihil secundum,
Quam tui inclyta nominis per omnes
Terras gloria pervagata splendet!
Quo nostras cumulat stupore mentes!

PSALMUS IX.

Post devictos hostes Deo victoriarum auctori gratias agit in priori parte hujus Psalmi; in altera vero, orat Deum, ut pios ab impiorum hominum, quos graphice describit, furore atque injustitia vindicet. Ab hoc loco Hebræi inchoant Psalmum X. & sic ordinatim procedunt. Ne tamen hæc diversa numeratio legentibus, qui fere vulgata utuntur Editione, incommodum pariat, nos prout in illa Psalmi dividuntur, sic eos numerabimus, licet revera a vers. 22. novus Psalmus incipiat.

1 Confitebor tibi Domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua.

2 Lætabor, & exultabo in te, psallam nomini tuo altissime.

1 GRates ex animo perpetuas agam
Rex o sancte tibi Cœlitum, & undique
Evulgabo tuæ clara nepotibus
Miræ signa potentiæ.
2 Promam lætificis gaudia vocibus,
Auratis resonæ te fidibus chelys

Unum

Unum concelebrans, qui ſuper ardua
Cœli ſidera tolleris.
3 In me hoſtis rabie viperea furens
Per te in præcipitem verſus abit fugam;
Percuſſuſque tuæ robore dexteræ
Pœnas perfidiæ luit.
4 Tu, qui nequitiam reprimis, & tuo
Juſtos præſidio protegis, inſidens
Æterno in ſolio æquiſſimus arbiter,
Cauſam tu dirimis meam.
5 Imis tu populum e ſtirpibus impium
Deleſti, atque prior nominis inclyti
Jam fama interiit, noxque perennibus
Oblitam tenebris premit.
6 Enſes fulminei ſunt tibi ab hoſtium
Avulſi manibus, mœnia & urbium,
Quæ quondam ſteterant nubibus æmula,
Exæquata ſolo jacent.
7 Tamquam præcipiti cum ſtrepitu cadens
Torrens exiguo tempore deficit;
Gentis non aliter gloria præpotens,
Et faſtus cecidit gravis.
Tu, qui in cuncta Deus ſecula permanes,
8 Erexti ſolium indeficiens polo,
Æquis unde regis legibus omnia,
Et Rectum populos doces.
9 Quum dura tenues vi premit impotens,
Preſſis auxilium ſufficis, & penes
Te fidum inveniunt confugium ſibi,
Quum ſors intonat aſpera.
10 Qui novere tuum nomen, & invocant
Sperent propitium te ſibi, qui tuos
Curarum ſtimulis pectora ſaucios
Nunquam deſeris aſſeclas.
11 Regem ergo ſuperûm, cujus in arduo
Rupis Sioniæ templa nitent jugo,
Laudate Iſacidæ, factaque gentibus
Cunctis inclyta pandite.
12 Vindictam innocui ſumere ſanguinis
Non ille immemori pectore negligit,

Et

3 In convertendo inimicum meum retrorſum, infirmabuntur, & peribunt a facie tua.

4 Quoniam feciſti judicium meum, & cauſam meam, ſediſti ſuper thronum, qui judicas juſtitiam.

5 Increpaſti gentes, & periit impius, nomen eorum deleſti in æternum, & in ſeculum ſeculi.

6 Inimici defecerunt frameæ in finem, & civitates eorum deſtruxiſti.

7 Periit memoria eorum cum ſonitu, & Dominus in æternum permanet.

8 Paravit in judicio thronum ſuum, & ipſe judicabit orbem terræ in æquitate, judicabit populos in juſtitia.
9 Et factus eſt Dominus refugium pauperi, adjutor in opportunitatibus, in tribulatione.

10 Et ſperent in te qui noverunt nomen tuum, quoniam non dereliquiſti quærentes te Domine.

11 Pſallite Domino, qui habitat in Sion, annuntiate inter gentes ſtudia ejus.

12 Quoniam requirens ſanguinem eorum, recordatus eſt, non eſt oblitus clamorem pauperum.

Et justas inopum dura ferentium
Exaudit querimonias.

13 Miserere mei Domine: vide humilitatem meam de inimicis meis.

13 Ergo & me facilis jam Deus aspice;
Hostes quem validis viribus opprimunt,

14 Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.

14 Eque atris tumuli faucibus eripe
Mortis me prope victimam;
Ut laude egregia gratus in atrio
Templi perpetuò te celebrem tui,

15 Exultabo in salutari tuo, infixæ sunt gentes in interitu, quem fecerunt.

15 Et lætus fatear, me tua ab omnibus
Evasisse malis ope.
In nostri exitium quos fabricaverat
Gens decepta suis interiit dolis,

16 In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.

16 Ponentumque mihi retia cassibus
Hæsere impliciti pedes.

17 Cognoscetur Dominus judicia faciens, in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.

17 Quam tunc mira Dei judicis æquitas
Omnes per populos clarius emicat;
Factis ipse suis quum vafer artifex
Infert exitium sibi!

18 Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliviscuntur Deum.

18 Sontes ante diem mors fera devorat;
Gentesque immemores numinis in nigrum
Longæ noctis agit præcipites chaos,
Inque æterna silentia.

19 Quoniam non in finem oblivio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem.

19 At fortuna joco quem temerario
Assueta insequitur, non animo hunc Deus
Æternùm abjiciet; præmia sed suæ
Hic grata accipiet spei.

20 Exsurge Domine, non confortetur homo, judicentur gentes in conspectu tuo.

20 Rerum exsurge sator, nec sine, ut altius
Hostes vana ferat pluma superbiæ,
Et dignis populos arbiter impios
Tandem suppliciis preme.

21 Constitue Domine legislatorem super eos, ut sciant gentes, quoniam homines sunt.

21 Fortem illis dominum, legum adamantino
Qui sceptro reprimat, præfice, turgido
Ut fastu posito vili ab origine
Se cretos hominum sciant.

PSALMI IX. Pars altera.

22 Ut quid Domine recessisti longe, despicis in opportunitatibus, in tribulatione?

22 CUr; Deus, a nobis tua retrahis ora; nec ulla
Auxilii nos parte levas, quum dura minantur?

23 Cerne, inopem faſtu quo deſpicit impius, & qua
Sævitie premit: o utinam exitialia in ipſos
Conſilia auctores recidant, captique doloſis
Fraudibus intereant! 24 En pectoris impia quando
Explevit jam vota malus, ſibi plaudit, eumque
Grex aſſentantum dum laudat facta patrantem
Turpia, 25 flagitiis te provocat; iraque mentem
Sic agitat, nulla ut teneat te quærere cura,
26 Securuſque tui vivit, nec criminis expers
Illi animus, ſeu lux orbem, ſive atra tegit nox:
27 Quod tu hominum es judex, pœniſque infanda coerces
Crimina, non animo reputat, ſed ſævus in omnes
Imperia exercere malis vult artibus hoſtes.
28 Hinc tacito hæc temere ſecum ſub corde volutat:
Deſluet æquali felix mihi vita tenore,
Nec mea crudeles carpent præcordia curæ.
29 Hinc rabida ferus effundit convicia lingua,
Fallaceſque dolos ficto ſtruit ore, labores
Et damna ut miſeris pariat; 30 circumque viarum
Compita in inſidias ſe conjicit, ut mala ſi quos
Sors illac agat incautos, facto impete mactet
Innocuos; 31 inopemque oculis vigilantibus ipſum
Veſtigat, velut immanis leo rupe ſub alta
Obſcuri latitans antri, cui pectus acutis
Irritat ſtimulis prædæ maleſana cupido.
32 Quem tamen in caſſes ſimulac pertraxit, 33 in illum
Irruit, & validis perculſum viribus urgens
Collidit pedibus, 34 veſana hæc mente revolvens:
An qui ſtellifero degit tranquillus Olympo,
Inferiora Deus ſe noſcere curat, &, acer
Puniat ut vindex, fontum veſtigat acutis
Facta oculis? 35 Exſurge, Deus, dextramque, ſceleſtos
Ut gravius ferias, ultricem attolle, piæque
Queſtus ac lacrymas non obliviſcere gentis.
36 Anne feres, te impune ferox ut provocet hoſtis,
Hæc animo tacitus dum murmurat? haud hominum res,

Cri-

v. 23. *Hebr. comprehendantur.*
v. 30. *Hebr. ſedet in inſidiis in angulis pagorum.*

23 *Dum ſuperbit impius, incenditur pauper,* comprehenduntur *in conſiliis quibus cogitant.*

24 *Quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ; & iniquus benedicitur.*

25 *Exacerbavit Dominum peccator, ſecundum multitudinem iræ ſuæ non quæret.*

26 *Non eſt Deus in conſpectu ejus, inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore.*

27 *Auferuntur judicia tua a facie ejus, omnium inimicorum ſuorum dominabitur.*

28 *Dixit enim in corde ſuo, non movebor a generatione in generationem, ſine malo.*

29 *Cujus maledictione os plenum eſt, & amaritudine, & dolo, ſub lingua ejus labor, & dolor.*

30 Sedet in inſidiis cum divitibus in occultis, *ut interficiat innocentem.*

31 *Oculi ejus in pauperem reſpiciunt, inſidiatur in abſcondito, quaſi leo in ſpelunca ſua.*

32 *Inſidiatur, ut rapiat pauperem, rapere pauperem, dum attrahit eum.*

33 *In laqueo ſuo humiliabit eum, inclinabit ſe, & cadet, cum dominatus fuerit pauperum.*

34 *Dixit enim in corde ſuo, oblitus eſt Deus, avertit faciem ſuam, ne videat in finem.*

35 *Exſurge Domine Deus, exaltetur manus tua, ne obliviſcaris pauperum.*

36 *Propter quid irritavit impius Deum? dixit enim in corde ſuo, non requiret.*

Criminaque advertit superi Deus incola regni;
37 At certe tu cuncta vides, populique labores
Ærumnasque tui non despicis, atque nocentum
Nemo tuæ poterit virtutem eludere dextræ.
38 Cura, Deus, tua sunt inopes, orbique parente;
Ergo illis fer amicus opem, 39 audacemque superbæ
Gentis frange animum, dextramque in nostra minantem
Excidia, ex imâ pereat dum stirpe revulsus
Impius, impietasque sua. 40 Extendentur in ævum
Perpetuum tua regna, Deus, populosque rebelles
Ipse tuæ procul amotos a mœnibus urbis
Exitio dabis; 41 at cœtus non irrita reddes
Vota pii; quin ante preces quam fundere mæsto
Cum gemitu incipiat, placido solabere vultu.
42 Ergo inopes releva vindex, orbisque parente
Fer celerem miseratus opem, te deinde vereri
Ut posito discat fastu impius, utque minores
Haud terat e limo terræ confictus eodem.

37 *Vides, quoniam tu laborem, & dolorem consideras, ut tradas eos in manus tuas.*

38 *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor.*
39 *Contere brachium peccatoris, & maligni, quæretur peccatum illius, & non invenietur.*

40 *Dominus regnabit in æternum, & in seculum seculi, peribitis gentes de terra illius.*
41 *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua.*
42 *Judicare pupillo, & humili*, ut non apponat ultra magnificare se homo super terram.

PSALMUS X.

Fugam sibi suadentibus, ne ab inimicis circumveniatur, se divina justitia, quæ scelestos plectit, protegi atque in tuto esse respondet.

1 QUum spes salutis certa sit Deus mihi,
Quid fida, amici, pectora
Meo periclo territi me talibus
Dictis monetis? „ Ocyus
„ Montes in altos, ceu volucris, advola;
„ Quam raptor urget milvius.
2 „ Tinctas veneno, viden, ut hostes impii
„ Nervo sagittas applicant,
„ Ut e latebris quotquot Æquum diligunt
„ Non cogitantes obruant?

1 *In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer?*

2 *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.*

3 „ Tuæ

v. 42. *Hebr. Ne addat ultra ad conterendum hominem de terra.*

3 „ Tuæ pararas fulcra quæ potentiæ
„ Jam dissiparunt omnia,
„ Et regis in te nil merentem pessimis
„ Odium excitarunt artibus.
4 At sancta cœli templa qui colit Deus;
Celsoque solio qui sedet,
5 Illinc acuto cuncta solers lumine
Humana facta dispicit.
6 Expendit ille, quid boni, quid improbi
Agunt; sed omnes, qui scelus
Incontinenti pectoris cupidine
Urgent, perosus despicit.
7 Supra nocentes sparget ille vivido
Ignes remixtos sulphure,
Improvidosque nimbis, & sequacium
Prosternet ictu fulminum:
8 Justos at idem proteget; justissimus
Namque est, & Æquum diligit.

3 Quoniam quæ perfecisti, destruxerunt, justus autem quid fecit?

4 Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo sedes ejus.

5 Oculi ejus in pauperem respiciunt, palpebræ ejus interrogant filios hominum.

6 Dominus interrogat justum & impium; qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

7 Pluet super peccatores laqueos, ignis, & sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum.

8 Quoniam justus Dominus, & justitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus.

PSALMUS XL

De corruptione suorum temporum dolens, Deo pro piorum salute, qui ab improbis vexantur, supplicat, eumque pro eorum liberatione loquentem inducit.

1 Opem benignus tu mihi cœlitum
Fer sancte rector, nam prope deficit
Gens justa, sincerusque ab orbe
Candor, & integritas recessit.
Jam vera fatur nemo sodalibus,
2 Omnesque prorsus fallere mutua
Se fraude certant, & dolosis
Consiliis animum fatigant.
3 Ah! mentientes atterat, atterat
Linguas, & omnes artifices doli
Radice divulsos ab ima
Det Deus exitio, 4 superbo
Qui verba fastu talia turgidi
Fantur: loquendi si dedit æquior
Natura jus nobis, quis ori
Audeat imposuisse nostro

1 Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum.

2 Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum, labia dolosa in corde, & corde locuti sunt.

3 Disperdat Dominus universa labia dolosa, & linguam magniloquam.

4 Qui dixerunt, linguam nostram magnificabimus, labia nostra a nobis sunt, quis noster Dominus est?

Nil

Nil profuturæ frena modestiæ?
Linguam ergo quodvis flagitii ad genus
Firmemus infracti, piosque
Intrepido aggrediamur ausu.
5 At qui movetur fletibus, & piæ
Haud vota gentis fervida respuit,
Ego, inquit, exsurgam supremus
Rerum opifex, 6 inopemque in arce
Tuta recondam, deposito ut metu
Ævum beato degat in otio,
Fluctusque curarum frementes
Rideat, armisonumque bellum.
7 Fient profecto talia; numinis
Nam verba fido pectore profluunt
Argento & auro puriora,
Queis maculas violentus omnes
Exemit ignis sæpius excoquens.
8 Ergo impiorum vim cohibe, Deus,
Ævumque nos cura tueri in
Perpetuum vigilante perge.
9 Late per orbem nam temeraria
Sublime tollens impietas caput
Excurrit, abjectique duro
Nos populi imperio coercent.

5 Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exsurgam, dicit Dominus.
6 Ponam in salutari, fiducialiter agam in eo.

7 Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terra, purgatum septuplum.

8 Tu, Domine, servabis nos, & custodies nos a generatione hac in aeternum.

9 In circuitu impii ambulant, secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.

PSALMUS XII.

Magnis ac diuturnis malis vexatus illorum finem a Deo implorat, & in divina clementia conquiescens promittit, se post liberationem Deo gratias acturum.

1 ALme quo rerum sator usque nostri
Sic tibi cura ex animo recedet?
An tuo semper miserum repelles
Torvus ab ore?
2 Quamdiu insomnes agitare curæ
Cor mihi pergent, gemitusque longi
Quo

1 Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem? usquequo avertis faciem tuam a me?

2 Quamdiu ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem?

v. 9. *Hebr. Circumquaque impii ambulant, dum vilissimi e filiis hominum extolluntur.*

Quo mihi abſiſtent cruciare mæſtum
Tempore pectus?
3 Gaudio an ſemper ferus inſolenti
Turgidum tollet caput hoſtis, & me
Sub pedes miſſo canet arroganti
Ore triumphum?
4 5 Me, Deus, vultu miſerans amico
Aſpice, atque æquum mihi te precanti
Exhibe, claudat mea ne perennis
Lumina ſomnus:
Ne fine, hæc hoſtis mihi plena faſtu
Verba ventoſo objiciat protervus;
En jaces, ſtravit mea te cruento
Vulnere dextra.
6 Munere optatæ recrea ſalutis,
Quæſo, me cœli bone rector, ut te
Liber a curis ſuper aſtra dulci
Carmine tollam.

3 Uſquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me? reſpice, & exaudi me Domine Deus meus.

4 Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, nequando dicat inimicus meus: prævalui adverſus eum.

5 Qui tribulant me exultabunt ſi motus fuero; ego autem in miſericordia tua ſperavi.

6 Exultabit cor meum in ſalutari tuo, cantabo Domino qui bona tribuit mihi, & pſallam nomini Domini altiſſimi.

PSALMUS XIII.

Atheorum impiorumque hominum providentiam negantium perverſa opera deſcribit, quos Deus terrore cumulabit, idemque favore ſuo proteget pauperem, & e captivitate populum ſuum revocabit.

1 Qui mundo det jura, Deum non eſſe, caducæ
Sortis at arbitrio
Incertas res ferri hominum ac cœleſtia, verſat
Dedita mens ſceleri.
2 Nec mirum; nam cuncta malis ſunt plena, ſedetque
In ſolio impietas.
Haud ullus ſolidæ occurrit virtutis amator,
Faſque piumque ſequens.
3 Aſtrifero Omnipotens e templo lumina terris
Fixerat, heic aliquem
Si fors aſpiceret, cui mens non ſtulta; Deumque
Demeruiſſe ſtudens;
4 At nullum rectæ ad normam rationis agentem
Viderat; in ſcelera

1 Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.

2 Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.

3 Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum, ut videat, ſi eſt intelligens, aut requirens Deum.

4 Omnes declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non

est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

* 5 *Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant, venenum aspidum sub labiis eorum.*

6 *Quorum os maledictione & amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.*

7 *Contritio, & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt, non est timor Dei ante oculos eorum.*

8 *Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam sicut escam panis?*

9 *Dominum non invocaverunt, illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.*

10 *Quoniam Dominus in generatione justa est, consilium inopis confudistis, quoniam Dominus spes ejus est.*

11 *Quis dabit ex Sion salutare Israel? cum averterit Dominus captivitatem plebis suæ, exultabit Jacob, & lætabitur Israel.*

Par omnes simul ardor agit fraudesque, nec Æqui
Pectora tangit amor.
5 6 Ora patent semper miserandæ inhiantia cædi,
Vipereoque scatens
Lingua veneno omnes probris incessit amaris,
Præcipitique noto
Ocior est gressus, quum decrevere cruorem
Fundere: 7 signa suæ
Sævitiæ, quacumque ferunt vestigia, spargunt;
Ipsaque, cujus amor
Quemque tenet, pax est odio, excussusque tonantis
Jam timor ex animo.
8 Sed quem flagitiis valeant finemve, modumve
Ponere, qui Isacium,
More feræ prædam rabido ore vorantis, ab ima
Stirpe parant populum
Perdere? 9 quique Deum non agnovere, piaque
Haud coluere prece?
At trepidis horror gelido convulsa pavore
Pectora corripiet,
10 Quum Pater omnipotens, præsenti numine justos
Qui tegit, ore truci
Talibus increpitans dictis tremefecerit ossa
Sontibus: „ innocuæ
„ Vos gentis miseræque preces, studiumque colendæ
„ Justitiæ, inque meo
„ Præsidio positam spem derisistis; at illos
„ Non sua decipiet,
„ Nec desideriis reddet fiducia cassis
„ Turpiter indecores.
11 O si expectatam sancto de monte Sionis
Det modo numen opem!
Namque suis quum triste jugum, & servilia vincla
Ruperit, Abramidæ
Festivos edent plausus, jucundaque dulci
Carmina voce canent.

PSAL-

* *Versiculus hic cum duobus sequentibus non legitur in Codicibus Hebrais neque hic, neque in Psalmo LII. huic assimili.*

PSALMUS XIV.

Eos tantum homines civitatem Dei, sanctumque montem frequentaturos dicit, qui nullis sceleribus inquinati vitam degunt.

1 BEnigne rector cœlicolûm, tui
Augusta templi quis colet atria?
Sanctoque quem curis solutum
Colle super statues beatæ
Virum Sionis? 2 Non alium, reor;
Quam quem tenacem justitiæ, atque iter
Virtutis austeræ sequentem
Invenies, scelerisque purum.
3 Cui nuda mentis simplicitas placet,
Comesque honesti candida veritas,
Et cujus infames abhorret
Lingua dolos, nocuasque fraudes.
4 Qui damna nulli cogitat, & probris
Haud fert amicos turpibus opprimi;
5 Multisque pollentem scelestum
Divitiis, & honore temnit.
Qui, quos timentes numinis aspicit,
Laudat; 6 nec ullum fallere perfido
Gaudet sacramento, nec auget
Fœnore divitias avaro.
Oblata justi in perniciem viri
Qui dona vultu reppulit aspero:
7 Hæc qui peregit, pacis almo
Munere perpetuæ fruetur.

1 Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?

2 Qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam.

3 Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua.

4 Nec fecit proximo suo malum, & opprobrium non accepit adversus proximos suos.

5 Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus, timentes autem Dominum glorificat.

6 Qui jurat proximo suo, & non decipit, qui pecuniam suam non dedit ad usuram, & munera super innocentem non accepit.

7 Qui facit hæc, non movebitur in æternum.

PSALMUS XV.

Inter alienigenas positus se Deo commendat, profiteturque, se venire in partem sacrificiorum, & idololatriæ illorum non posse, totamque felicitatem suam in cultu veri Dei collocat. Ob collata deinde beneficia gratias agit Deo, a quo multa bona in posterum se percepturum sperat.

1 TU serva incolumem me, Pater optime,
Qui spes es misero solus, & excipe

1 Conserva me Domine, quoniam speravi in te, di-

xi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

2 Sanctis, qui ſunt in terra ejus, mirificavit omnes voluntates meas in eis.

3 Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea acceleraverunt.

4 Non congregabo conventicula eorum de ſanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea.

5 Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi.

6 Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara eſt mihi.

7 Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum, inſuper & uſque ad noctem increpuerunt me renes mei.

8 Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam a dextris eſt mihi, ne commovear.

9 Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultavit lingua mea, inſuper & caro mea requieſcet in ſpe.

10 Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem:

11 Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua uſque in finem.

Non ficto obſequium quod fero pectore?
Quamquam quid valeant adjicere ad tuam,
Te laudando, inopes gloriam homunculi?
Cujuſve officio, aut munere tu, bonis
Qui ſummè es locuples omnibus, indiges?
2 Illorum o utinam cœtibus inferar,
Laudes in patriis qui tibi ſedibus
Læti perpetuo carmine concinunt!
3 Namque inter populos nunc mihi barbaros
Ævum triſte agitur, qui ſibi ludicra
Effinxere Deûm ſigna recentium.
4 Horum aras pecudum plurimus imbuit
Sanguis: ſacrilegis aſt ego ab hoſtiis
Puras ſervo manus, ipſaque abhorreo
Vana hujus populi nomina: 5 te meæ
Auctorem fateor ſortis & arbitrum,
Qui direpta mihi reſtitues bona,
6 Arvis quum patriæ dulcibus inferar,
Quæ ſunt pulcra mei pars patrimonii.
7 Te dicam, Genitor, qui ſapientibus
Me formas monitis, qui mea ſingulis
Ad virtutem animas pectora noctibus.
8 Tu menti aſſiduò fixus ines meæ,
Et, ne commovear, numine ſuſtines
Me dextro: 9 hinc animus lætitiam meus
Sentit, teque ſacris laudibus effero.
Spes eſt certa mihi, quod dabis artubus
His olim requiem; 10 namque nec inferis
Hanc addes animam ſedibus, & putres
Non ſolvi in cineres hunc famulum ſines.
11 Vitæ pandis iter tu mihi, puraque
Huic ſervas animo gaudia, ab hoſtibus
Te coram incolumi quum dabis ingredi,
Qui nos perpetuis muneribus beas.

v. 3. *Hebr. Multiplicent idola ſua: feſtinent ad Deum alienum.*

PSALMUS XVI.

Vita fretus innocentia causam Deo commendat suam, & contra inimicorum insidias, quorum improbitatem sævitiamque describit, divinum implorat auxilium.

1 2 Aurem precanti tu mihi maxime
Regnator orbis porrige, si modo
Te justa posco, nec dolosas
Ora struunt malefida fraudes:
3 Tuum ad tribunal dum miser advolo,
Miti clientem lumine respice,
Et jus verecundè petenti
Arbiter o mihi juste redde.
4 Me res probasti sæpe per asperas,
Aurum ut camino fusile perspici
Solet, nec in nostro repertum
Est animo tibi turpe crimen.
5 Nefanda gentis quæ temerariæ
Aspexi, abhorret facta animus sequi,
Vitæque me ad normam severæ
Instituo, ac tua servo jussa
Semper fideli pectore condita:
6 Tu me, tuarum dum teneo viam
Legum, potenti sustineto
Numine, ne instabilis feratur
Pes in ruinam; 7 & propitiam in malis
Aurem ut dedisti sæpius, & modo
Da, quæso, non asper, meæque
Cor tibi permoveant querelæ.
8 Tu, qui salutis munera consequi
Spem quotquot in te constituunt jubes,
Illustre, miretur quod omnis
Posteritas, Pater, ede signum:
9 Tanta benignus sollicitudine
Ab impiorum protege noxia
Me fraude, pupillam tueri
Quanta homines oculi suescunt;
10 Alisque pullos mater ut anxia,
Milvus ne adunçis involet unguibus,

1 Exaudi, Domine, justitiam meam, intende deprecationem meam.
2 Auribus percipe orationem meam, non in labiis dolosis.
3 De vultu tuo judicium meum prodeat, oculi tui videant æquitates.
4 Probasti cor meum, & visitasti nocte, igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas.

5 Ut non loquatur os meum opera hominum, propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.

6 Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.

7 Ego clamavi, quoniam exaudisti me Deus, inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea.

8 Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te.

9 A resistentibus dexteræ tuæ custodi me, ut pupillam oculi.

10 Sub umbra alarum tuarum protege me, a facie impiorum, qui me afflixerunt.

 Obum-



Obnubit expansis, tui sic
Me tege præsidio favoris.

11 Inimici mei animam meam circumdederunt, adipem suum concluserunt, os eorum locutum est superbiam.

11 Me sepsit ingens turba nocentium,
Sensuque nullo corda ferocia
Tanguntur, insanoque verba
Os loquitur furibunda fastu.

12 Projicientes me nunc circumdederunt me, oculos suos statuerunt declinare in terram.

12 Non his paterno me lare sufficit
Cessisse pulsum, sed nova retia
Tendunt, & observant acuto
Lumine, in insidias paratas
Si forte gressum improvidus inferam:

13 Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam, & sicut catulus leonis habitans in abditis.

13 Jamque ut sub alta rupe latens leo,
Quem longa spes prædæ exacerbat,
Exitium mihi moliuntur.

14 Exsurge Domine, præveni eum, & supplanta eum, eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ.

14 Exsurge, & hostem præveniens ferum,
Hunc fulminanti percute dextera,
Tuumque ab illo, quo superbus
Bella mihi movet, aufer ensem.

15 Domine a paucis de terra divide eos in vita eorum, de absconditis tuis adimpletus est venter eorum.

15 Rarum colentis te populi gregem
Immenso ab illis tramite divide,
Qui propter aggestas videntur
Divitias sibi perbeati.

16 Saturati sunt filiis, & dimiserunt reliquias suas parvulis suis.

16 Hi prole multa se bene roborant,
Cui census ingens linquitur, ad patrum
Ut pergat exemplar suorum
Mollitie fluere atque luxu.

17 Ego autem in justitia apparebo conspectui tuo, satiabor, cum apparuerit gloria tua.

17 Ipse at beatum me reputo, Deus,
Intaminatis si mihi moribus
Os intueri des tuum: una
Vota meum hæc animum fatigant.

PSALMUS XVII.

Gratias agit Deo, quod ex maximis periculis ab eo ereptus fuerit, Deum impiis gravissimas pœnas infligentem more poetico pene oculis subjicit: beneficia autem sibi quam plurima ab eo collata, victoriasque de externis populis relatas, suamque ad solium evectionem commemorat.

1 Diligam te, Domine, fortitudo mea, Dominus firma-

1 2 3 Pectore dum nostro residebit sensus amoris,
Beate rerum conditor, te diligam:

Tu

Tu mea vis, tu præsidium, columenque salutis,
Et spes in arctis rebus es fidissima,
Tu fesso requies: 4 ego te simulatque vocavi
In vota supplex, extulique laudibus,
Sævi hostes cœpere fugam, armigeræque phalanges
Expalluere, me saluti reddito:
5 Ferales animum curæ, alluviesque malorum,
Meum premebat, auctus ut torrens aquis.
6 Pallida jam manibus me mors prensabat aduncis,
Longæ in profundum noctis ut adigeret chaos.
7 Ast ego tam gravium mole obrutus ærumnarum
Preces ab imo corde vix inceperam
Ferre Deo, & mæstis incendere questibus auras,
8 Extemplo ab arce me nitentis ætheris
Respexit bonus, & facilem mihi præbuit aurem:
9 Perculsa magnis terra tremuit motibus,
Scissaque dum vastos late diducit hiatus,
Montes ab antris mugiere immanibus.
10 Nam magno in fontes irarum percitus æstu
Deus fremebat, eque vultu fumea
Ignis prodibat caligine mixtus, & acri
Succensa flamma fulgurabant lumina.
Quocumque illa ferox contorquet, cuncta favillis
Repente visa corripi candentibus.
11 Tum nutu inclinans vastum æthera desilit: horror
Pedes nigrantis implicat caliginis:
12 Jamque levi invectus curru volat ocior alis
Ventorum, habenas flectit. Ales igneus.
13 Densæ illum involvunt, veluti tentoria, nubes,
Undis refertæ quæ nigrescunt turbidis.
14 Ora sed irati quem numinis ejaculantur,
Obscura fulgor dissipavit nubila:
Nec mora, præcipiti lapsu ruit horrida grando,
Micatque crebris ruptus æther ignibus.
15 Voce sua magni concussit mœnia Olympi,
Tonitruque corda terruit mortalium.

mentum meum, & refugium meum, & liberator meus.
2 Deus meus, adjutor meus, & sperabo in eum.
3 Protector meus, & cornu salutis me, & susceptor meus
4 Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis salvus ero.
5 Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbaverunt me.
6 Dolores inferni circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis.
7 In tribulatione mea invocavi Dominum, & ad Deum meum clamavi.
8 Et exaudivit de templo sancto suo vocem meam, & clamor meus in conspectu ejus introivit in aures ejus.
9 Commota est, & contremuit terra, fundamenta montium conturbata sunt, quoniam iratus est eis.
10 Ascendit fumus in ira ejus, & ignis a facie ejus exarsit, carbones succensi sunt ab eo.
11 Inclinavit cœlos & descendit, & caligo sub pedibus ejus.
12 Et ascendit super Cherubim, & volavit, volavit super pennas ventorum.
13 Et posuit tenebras latibulum suum, in circuitu ejus tabernaculum ejus, tenebrosa aqua in nubibus aeris.
14 Præ fulgore in conspectu ejus nubes transierunt, grando & carbones ignis.
15 Et intonuit de cœlo Dominus, & altissimus dedit vocem suam, grando & carbones ignis.

16 Et misit sagittas suas, & dissipavit eos, fulgura multiplicavit, & conturbavit eos.

17 Et apparuerunt fontes aquarum, & revelata sunt fundamenta orbis terrarum.

18 Ab increpatione tua Domine, ab inspiratione spiritus ira tua.

19 Misit de summo, & accepit me, & assumpsit me de aquis multis.

20 Eripuit me de inimicis meis fortissimis, & ab iis qui oderunt me, quoniam confortati sunt super me.

21 Prævenerunt me in die afflictionis meæ, & factus est Dominus protector meus.

22 Et eduxit me in latitudinem, salvum me fecit, quoniam voluit me:

23 Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.

24 Quia custodivi vias Domini, nec impie gessi a Deo meo.

25 Quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo, & justitias ejus non repuli a me.

26 Et ero immaculatus cum eo, & observabo me ab iniquitate mea.

27 Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum ejus.

28 Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris.

29 Et cum electo electus eris, & cum perverso perverteris.

16 Tunc quas molitur flammata in nube sagittas
Rubente sparsit dextera, nec ictibus
Ulla quies; turbati hostes fugiuntque, paventque:
17 Terrena ab imis quassa moles sedibus
Ingemuit, vastisque sinum convulsa ruinis
Sese in profundas discidit voragines.
18 His tua concussit mundum terroribus ira;
Cœloque terras, rex tremende, miscuit.
19 At mihi tunc dextram porrexti ex æthere, meque
Undarum ab alto sustulisti gurgite.
20 Tu salvum validis, qui me pressere furenti
Odio immerentem, reddidisti ab hostibus;
21 Queis nil profuerat, quod me nil tale putantem,
Et turbulento sint adorti tempore;
Nam me ope præsenti texti, 22 ereptoque periclis
Latas dedisti per vias incedere.
23 Tu reputans animo, cultor quæ sedulus Æqui,
Purisque manibus quæ peregi, consequi
Expectata jubes me præmia; 24 nam nihil ausus
In te ego patrare sum, Deus, nec tramite
A recto torsi vestigia; 25 quippe sub imis
Quidquid jubebas condidi præcordiis
Ingenui custos Veri, 26 teque auspice cautus
Vitabo fœda criminum contagia.
27 Hinc tu, qui meritis sua reddis præmia, & æquo
Qui contueris æquitatem lumine,
Ob Recti studium, & vitam sine labe peractam
Larga replesti me bonorum copia.
28 Est tibi ad ingenium mos te componere nostrum;
Nam te innocentes innocentem sentiunt,
29 Teque boni novere bonum, fidique fidelem,
Animusque simplex experitur simplicem.
At quisquis vitii ambages sectatus ad artes
Sese dolosas vertit, hic asperrimum

Ulto-

Ultorem fraudis te fentiet. 30 Eft tibi cordi
Gentis tueri fimplicis modeftiam;
Frontis at elatæ faftus, animofque protervos
Tua infequendo deprimis potentia.
31 Tu lethi tenebris me feptum ad lumina vitæ
Reducis; & nox fe malorum diffipat,
Te nitidum effundente jubar, 32 mediofque per hoftes
Te protegente gradior imperterritus,
Surgentefque altis irrumpo mœnibus arces.
33 Tu quidquid agis, eft æquitati confonum,
Nec tua in ancipites fe fcindit femita flexus:
Tuo fidelis ore fermo profluens
Purgato flammis auro eft fincerior; & fpe
Tui favoris roboratos protegis.
34 Ecquis enim fupera eft alius dominator in arce
Te præter? aut quis alter orbem temperat,
Quam tu, fancte Parens? 35 qui invicta vi mihi firmas
Cor, & carentem labe monftras femitam;
36 Qui mihi mobilitate pedum das poffe fugaces
Æquare cervos, & in alto collocas
Incolumem montis me vertice, 37 quique duelli
Artes cruenti me feveras edoces:
Tu mihi das, facile ut valeam folido ære rigentem
Arcum lacertis fortibus confringere.
38 Tu clypei objectu me protegis; & tua firmat
Me dextra, præceps ne ferar per lubrica.
39 Provida cura bonis tua me quoque pluribus auxit,
40 Expeditumque de viarum anguftiis
Per fpatiofa jubes loca tutos figere greffus;
Vetafque longo me fatigari itinere.
41 42 Te duce militiæ, fugientes infequor hoftes,
Et diffipatos capio, nec veftigia
Verto, cadant ad noftra prius quam genua, ruina
Sic fracti, ut artus tollere haud folo queant.
43 Tu mihi das animos, & ineluctabile robur,
Et

v. 32. *Hebr. Percurram acies hoftium.*
v. 39. *Hebr. Manfuetudo tua multiplicavit me.*

30 *Quoniam tu populum humilem falvum facies, & oculos fuperborum humiliabis.*

31 *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas.*

32 *Quoniam in te eripiar a tentatione, & in Deo meo transgrediar murum.*

33 *Deus meus, impolluta via ejus, eloquia Domini igne examinata, protector eft omnium fperantium in fe.*

34 *Quoniam quis Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum noftrum?*

35 *Deus qui præcinxit me virtute, & pofuit immaculatam viam meam.*

36 *Qui perfecit pedes meos tamquam cervorum, & fuper excelfa ftatuens me.*

37 *Qui docet manus meas ad prælium, & pofuifti, ut arcum æreum, brachia mea.*

38 *Et dedifti mihi protectionem falutis tuæ, & dextera tua fufcepit me.*

39 *Et difciplina tua correxit me in finem, & difciplina tua ipfa me docebit.*

40 *Dilatafti greffus meos fubtus me, & non funt infirmata veftigia mea.*

41 *Perfequar inimicos meos, & comprehendam illos; & non convertar, donec deficiant.*

42 *Confringam illos, nec poterunt ftare, cadent fubtus pedes meos.*

43 *Et præcinxifti me virtute ad bellum, & fupplantafti infurgentes in me fubtus me.*

Et prælianti ductor adstas strenuus,
Occultaque ausos me fraude lacessere, & armis
Sternis potenti dextera; 44 & perterritos
Hostes terga fugæ dare cogis, 45 quos ubi mæstis
Opem querelis poscerent, nemo audiit:
Tu quoque, fera tibi dum fundunt pectore vota,
Haud annuisti supplicantum vocibus.

44 Et inimicos meos dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdidisti.

45 Clamaverunt, nec erat qui salvos faceret, ad Dominum, nec exaudivit eos.

46 Undantem veluti glomerato pulvere nubem
Stridens procella dissipat per aera;
Hos ego sic fregi, pedibusque cadavera calco;
Cœnum ut lutosis putre premitur in viis.

46 Et comminuam eos, ut pulverem ante faciem venti, ut lutum platearum delebo eos.

47 Tu vulgi fremitus, & murmura sæva minarum
Placas, & aliis imperare gentibus
Me facis: 48 en populus, mihi qui vix cognitus ante est,
Nomen tremiscit ad meum, nec desidem
Fert ad jussa manum, 49 dum gens mea deficit, atque
Vias per æquas clauda fert vestigia:

47 Eripies me de contradictionibus populi, constitues me in caput gentium.

48 Populus, quem non cognovi, servivit mihi, in auditu auris obedivit mihi.

49 Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt, & claudicaverunt a semitis suis.

50 Esto tibi immortalis honos, Pater alme, decusque,
Tuique regni sit perennis gloria:
Tu me servasti incolumem, 51 justaque dedisti
Possem ut rebelles ultione persequi:
Tu late imperium in populos mihi tradis, & ira
Me præpotentum vindicas ab hostium.

50 Vivit Dominus, & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus salutis meæ.

51 Deus qui das vindictas mihi, & subdis populos sub me, liberator meus de inimicis meis iracundis.

52 Per te ego victrices cæsorum e funere palmas
Colligo, & iniquæ gentis arrogantiam
Auspice te fractam aspicio: 53 pro munere nomen
Gentes per omnes mihi tuum celebrabitur,
Et læta Isacias quæ nunc evulgo per urbes
Venient ad aures posterorum carmina.

52 Et ab insurgentibus in me exaltabis me, a viro iniquo eripies me.

53 Propterea confitebor tibi in nationibus Domine, & nomini tuo psalmum dicam.

54 Tu me Jessæam sobolem, cui tempora sacro
Oleo renident, liberasti ab impiis,
Innumerisque bonis cumulans, me amplexus amore es,
Meosque perges posteros amplectier.

54 Magnificans salutes regis ejus, & faciens misericordiam Christo suo David, & semini ejus usque in seculum.

PSALMUS XVIII.

Dei magnitudinem ac potentiam per cælos, ac solem præcipue manifestam hominibus fieri docet; per legem autem divinam, cujus in laudes se effundit, id plenius obtineri confirmat.

1 HÆc cœli moles distincta micantibus astris,
Hic constans rerum tenor, & pulcherrimus ordo
Esse Deum memorant, nutu qui cuncta potenti
Condidit, & mundi solus qui flectit habenas.
2 Illum clara dies, illum nox atra vicissim
Concelebrant, fugiensque dies exempla diei,
Noxque secuturæ haud cessat transmittere nocti,
Per nova ut æternum laudent præconia numen,
3 Gens nulla ingenio sic tarda, aut aspera cultu est,
Quæ non altisoni vocem exaudivit Olympi.
4 Testis hyperboreo quæ terra propinquior axi
Subjacet, opposito testis quæ subjacet axi:
Rebus inest aliqua in cunctis auctoris imago.
5 Sol tamen hic, terras quo non præsentius astrum
Aspicit, indiciis numen designat apertis.
Ille caput vitreo tollens e gurgite, sponsus
Ut novus e thalamo surgens, quem splendida gem
Assyrioque ardens exornat murice vestis, (mis,
6 Athletæ similis stadium ingredientis ab uno
Margine progreditur cœli, & vertigine raptus
Perpetua sic festino procedere gressu
7 Pergit in adversum mundi latus, huc iterum ut se,
Unde diem patefecit, agat: terra omnis ab illo,
Dum graditur, tepefacta calet; nec densa virescit
Ulla adeo silva arboribus, neque vallis opaca
Sic jacet ulla, suæ penetrent quin spicula lucis.
8 Solis at auricomi flammis quam purius alma
Lex Domini radiat, maculis haud decolor ullis!
Illa hominem a vitiis vi blanda ad honesta reducit,
Fida voluntatis divinæ interpres, & aptans
Simplicium mentes monita ad cœlestia; Rectum
9 Nos docet illa sequi, cumulat dulcedine pectus,
Atque

1 Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum.

2 Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.

3 Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.

4 In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

5 In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.

6 Exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo cælo egressio ejus.

7 Et occursus ejus usque ad summum ejus, nec est qui se abscondat a calore ejus.

8 Lex Domini immaculata, convertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.

9 Justitia Domini recta, lætificantes corda, præceptum

Domini lucidum, illuminans oculos.

10 Timor Domini sanctus, permanens in seculum seculi, judicia Domini vera, justificata in semetipsa.

11 Desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel, & favum.

12 Etenim servus tuus custodit ea, in custodiendis illis retributio multa.

13 Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce servo tuo.

14 Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor a delicto maximo.

15 Et erunt, ut complaceant eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

16 Domine adjutor meus, & redemptor meus.

Atque facem præfert animo, qua inscitia & omnis
Error abit: 10 numen metui jubet illa; beatos
Nos tamen efficiet metus hic: non temporis illam
Cuncta absumentis carpet longæva vetustas
Suffultam Justo, Verique e fonte fluentem.
11 Illa est & gemmis & fulvo charior auro,
Et mel nectareum gustu anteit: 12 hinc mihi tantus
Illius est amor, & servandæ tanta voluptas;
Præmia nam video servanti immensa rependi.
13 At metuo (quis enim lapsus præcaverit omnes?)
Nequid in hanc legem peccarim: hinc siqua latenter
Forte animo obrepsit, Deus, hac me labe repurga,
Et quas me impulerunt aliena admittere culpas
Exempla, has pariter remove: 14 nam nullà cupido
Quum fuerit dominata mihi, contagia noxæ
Nulla animum inficient; 15 mea tunc & verba probabis,
Votaque quæ tacito servo sub pectore, rebus
16 O mihi in adversis arx, confugiumque salutis!

PSALMUS XIX.

Pia populi vota pro salute regis sui Davidis ad bellum proficiscentis.

1 Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Jacob.

2 Mittat tibi auxilium de sancto, & de Sion tueatur te.

3 Memor sit omnis sacrificii tui, & holocaustum tuum pingue fiat.

4 Tribuat tibi secundum cor tuum, & omne consilium tuum confirmet.

1 TE rerum sator optimus,
Gentisque Isaciæ pater
Orantem audiat, & tibi
Rebus adsit in ægris.
Defendat clypeo sui
Te favoris, 2 & afferat
Præsens auxilium tibi
Sancta ex arce Sionis.
3 Quas illi obtuleris sacer
Ignis devoret hostias;
4 Et tui bonus omnia
Cordis vota secundet:
Quidquid consilii pio
Versas pectore conditum,
Promptè ducat ad exitus
Lætos numen amicum.

5 Quum

5 Quum te sospitem ab hostibus
Rerum post varias vices,
Formidandaque prælia
Gens Judæa reviset,
Læto pectore gestiet,
Et ritu patrio Deum
Laudans, eriget inclyti
Passim signa triumphi:
6 Quidquid quæsierint, tuæ
Extemplo obtineant preces:
At vox me indubiis monet
Signis reddita ab alto,
Quod te numine protegens
Dextro cælicolûm Parens
Salvum reddet ab omnibus,
Rex o sancte, periclis.
7 Templi te ex adytis sacri
Exorabilis audiet,
Invictoque tuebitur
Fortis robore dextræ.
8 Nostris hostibus afferant
Spem currus, & equi leves:
Spes patrocinio Dei
Nostra innititur omnis.
9 Hinc illi indecores solum
Cæsis corporibus tegunt;
Nos victoria nobilis
Exæquavit Olympo.
10 Regem perpetuò, Deus,
Tu serva incolumem, & die,
Qua te in vota vocabimus,
Nobis annue dexter,

5 Lætabimur in salutari tuo, & in nomine Dei nostri magnificabimur.

6 Impleat Dominus omnes petitiones tuas, nunc cognovi, quoniam salvum fecit Dominus Christum suum.

7 Exaudiet illum de cœlo sancto suo, in potentatibus salus dexteræ ejus.

8 Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus.

9 Ipsi obligati sunt, & ceciderunt, nos autem surreximus, & erecti sumus.

10 Domine, salvum fac regem, & exaudi nos in die, qua invocaverimus te.

PSALMUS XX.

Populus de parta salute regi gratulatur, suasque illi etiam in futurum victorias, impiorumque subversionem, Deo favente, pollicetur.

1 Ex triumphali, domito hoste, pompa
Noster incedit, bone rector orbis,
Cui

1 Domine in virtute tua lætabitur rex, & super salutare tuum exultabit vehementer.

v. 5. Hebr. *Triumphabimus*. v. 9. Hebr. *Incurvati*, seu *prolapsi*.

Cui potens dulcem tua comparavit
Dextra salutem.

2 Desiderium cordis ejus tribuisti ei, & voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

3 Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

4 Vitam petiit a te, & tribuisti ei longitudinem dierum in seculum, & in seculum seculi.

5 Magna est gloria ejus in salutari tuo, gloriam & magnum decorem impones super eum.

6 Quoniam dabis eum in benedictionem in seculum seculi, lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

7 Quoniam rex sperat in Domino, & in misericordia altissimi non commovebitur.

2 Cassa tu nunquam pia vota cordis
Durus, abjecta prece, reddidisti,
3 Præque poscentem veniens supra ipsa
Vota beasti.
Lucidum eois diadema gemmis
Tu suo imponis capiti; 4 petitam
Nec modo huic vitam tribuis, sed annos
Fine carentes.
5 Nomen æternum, nitidusque splendor,
Quo velut primum micat axe sidus,
Est tuæ tantum bonitatis illi
Munere partus.
6 Per te erit felix, aliosque per te
Ipse felices faciet, tuoque,
Omnis unde illi trahitur voluptas,
Ore fruetur.
7 Tu potens certæ columen salutis,
Spesque in angustiis ades alma rebus;
Sors neque adversa impavidum valebit
Frangere pectus.

8 Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis, dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt.

8 Tu malos hostes, licet ima terræ in
Viscera abdant se, invenies, eosque
Dextera apprendet tua, proque diris
Puniet ausis.

9 Pones eos, ut clibanum ignis in tempore vultus tui, Dominus in ira sua conturbabit eos, & devorabit eos ignis.

10 Fructum eorum de terra perdes, & semen eorum a filiis hominum.

9 Flamma ut in vasto crepitans camino
Aridas frondes vorat, ira vultu
Sic tuo erumpens, oculisque sævos
Destruet hostes.
10 Nec sat: at totam simili ruina
Prorsus exscindes sobolem, nefandæ
Ne propagari valeant in orbe
Secula gentis.

11 Quoniam declinaverunt in te mala, cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.

11 Sentient, quam te male provocare
Sint dolis ausi, propriaque mole
Ut ruit, voti male compos, expers
Consilii vis.

12 Quoniam pones eos dorsum, in reliquiis tuis præparabis vultum eorum.

12 Quærere in turpi effugio salutem
Frustra erit; nam illis subito dabis te

Ob-

Obvium, & certis feries proterva
Ora sagittis.
13 Prode te dignos animos, & hostes
Viribus magnis domita: potentis
Nos tuæ robur memori efferemus
Carmine dextræ.

13 *Exaltare, Domine in virtute tua; cantabimus & psallemus virtutes tuas.*

PSALMUS XXI.

Quam multis atque inauditis calamitatibus ab improbis vexetur, exponit Propheta, & præsens a Deo exposcit auxilium: vel potius prophetico repletus spiritu de Christo in extrema passione ad Patrem orante loquitur, ut ex v. 18. & 19. clarissime eruitur.

1 ALme Deus, Deus alme, hominum spes unica, rebus
Cur ita in angustis misero vertisse videris
Terga mihi, oblitumque tuo me pectore prorsum
Abjicis? Hæc scelerum moles, qua deprimor, obstat,
Ne veniat mihi prompta salus: 2 tibi, sive retexit
Lumine Sol terras, seu nox pallentibus umbris
Occuluit, vota illacrymans effundo; sed illa
Non pro stultitiæ afflicto mihi crimine, culpis
Sed pro terrigenûm tu rejicis; 3 aurea quamquam
Cœli templa colas, unde omnes aspicis æquo
Lumine, sancte Parens, decus o sublime tuorum
Isacidum: 4 tu spes nostrorum fida parentum
Adversis in rebus eras: 5 prece tristibus abs te
Auxilium, finemque malis petiere; modisque
Est miris allata salus, nec, vota pudorem
Ut vana incuterent, es passus: 6 vermis at ipse,
Non homo sum, probris quem plebs servilibus ima
Vexat, & illusum fastu proculcat amaro.
7 Qui me cumque vident, obliquo lumine nictant,
In partemque caput motant utramque, procaci
Labra exertantes rictu, irridentque nefandis
Vocibus: 8 en hominem, cui spes in numine fixa
Promittebat opem; nunc e discrimine tanto
Auferat, & magno curarum liberet æstu,
Si

1 *Deus Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? longe a salute mea verba delictorum meorum.*

2 *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies, & nocte, & non ad insipientiam mihi.*

3 *Tu autem in sancto habitas, laus Israel.*

4 *In te speraverunt patres nostri, speraverunt, & liberasti eos.*

5 *Ad te clamaverunt, & salvi facti sunt, in te speraverunt, & non sunt confusi.*

6 *Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis.*

7 *Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis, & moverunt caput.*

8 *Speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum.*

9 Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre, spes mea ab uberibus matris meæ, in te projectus sum ex utero.

10 De ventre matris meæ Deus meus es tu, ne discesseris a me.

11 Quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui adjuvet.

12 Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me.

13 Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens.

14 Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea.

15 Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei.

16 Aruit tamquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis, & in pulverem mortis deduxisti me.

17 Quoniam circumdederunt me canes multi, concilium malignantium obsedit me.

18 Foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea.

19 Ipsi vero consideraverunt, & inspexerunt me, diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.

20 Tu autem Domine ne elongaveris auxilium tuum a me, ad defensionem meam conspice.

21 Erue a framea Deus animam meam, & de manu canis unicam meam.

22 Salva me ex ore leonis, & a cornibus unicornium humilitatem meam.

Si Deus, ut jactat, tanto amplexatur amore.
9 Turba licet dictis me talibus impia carpat,
Materno tu e ventre, Deus, me in luminis auras
Produxti, tu spes lactantis ab ubere matris
Fida mihi, exceptusque tuis sum parvulus ulnis.
10 Ergo mihi ex illo Deus es si tempore, meque
Nascentem placido vidisti lumine, ne nunc
Desere; 11 nam nimbos superimpendere minaces
Heu! video; nullusque mihi auxiliaria tendit
Brachia; 12 jam me homines circumvenere protervi
Indomitis similes tauris, quum prælia tentant.
13 Ut lacerent mea membra, vide, quanto oris hiatu
Me super incubuere; leo quanta æstuat ira,
Quum frendet stimulante fame, prædamque cruento
Ore rapit, tanta his rabie præcordia turgent.
14 Præ nimio mœrore omnes me corporis una
Vires destituere; cruor jam corpore toto
Instar aquæ fluit, atque artus compage soluta
Laxantur, 15 liquidumque meum cor tabet in ægro
Pectore, cera velut flammis admota; 16 vigorque
Vitalis, qui membra fovet, me deserit omnis
Argillæ similem, multo quæ obduruit igni.
Lingua sitim patiens arenti exhausta palato
Hæsit, funereique miser subeo ora sepulcri:
17 Hostes, innumera qui me cinxere corona,
Vis ut acerba canum, discerpere membra parati
In nostra unanimi conspirant funera voto.
18 Clavo trajiciunt terebrante manusque pedesque,
Tantaque fit lacero cædes in corpore, ut ossa
Conspicientum oculis jam denudata patescant,
Nec labor hæc ullus sit dinumerare; 19 sed illos
Nil facinus crudele movet, quin pascere tristi
Lumina cæde juvat; sibi nostras impia vestes
Gens partita rapit, mira sed maluit arte
Contextam dubiæ tunicam committere sorti.
20 Auxilium in tanto mihi tu ne subtrahe luctu,
O Deus, atque tua pereuntem protege dextra.
21 Tu bonus hanc animam telis crudelibus hostis
Eripe, ne canibus similis, 22 similisque leoni
Discerpens mea membra voret, neve obterat ictu
Prostratum horribili, velut alto corpore surgens
Rhi-

Rhinoceros. 23 Tua sospes ego decora inclyta cantu
Fratribus evulgabo meis, cœtuque piorum
In denso te laude feram super aurea cœli
Sidera. 24 Vos, puro colitis qui pectore numen,
Quique altum Isacidæ genus estis, honore perenni
Vos celebrate Deum, 25 vestroque e pectore nunquam
Debitus huic amor, & legis reverentia cedat.
Quandoquidem tristes inopis non ille querelas
Contempsit, 26 non hoc ab supplice turbidus ora
Avertit, prece sed victas mihi præbuit aures.
27 Concilio in magno aggrediar tibi dicere laudes,
Alme Parens, tibi me solventem vota videbunt
Qui te cumque timent; 28 meaque ad convivia amicos
Admittam, pascamque inopes, celebrare potentem
Qui te gaudebunt dominum, & tibi fundere puro
Corde preces; tu servatis in secula vitam
Produces: 29 ad te extremis e finibus orbis
Turmatim advenient homines, memoresque juvabit
Esse tui; 30 submisso omnes tibi poplite gentes
Dona ferent, 31 unum imperii nam fræna tenere
Te decet, & late populos dare jura per omnes.
32 Pascere erit proceres pariter mihi cura colentes
Numen rite tuum: te coram quotquot in auras
Luminis ætherei veniunt, quosque æthere cassos
Terra sinu excipiet, procumbent; 33 at tibi vivet
Æternùm hic animus, nostra & tibi serviet uni
Posteritas: 34 tu nosse dabis manifestius illi
Te populo, tua qui veniet sub jura fidemque,
Doctrinæque illum cœlestis nectare pasces.

23 Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesia laudabo te.

24 Qui timetis Dominum, laudate eum, universum semen Jacob glorificate eum.

25 Timeat eum omne semen Israel, quoniam non sprevit, neque despexit deprecationem pauperis.

26 Nec avertit faciem suam a me, & cum clamarem ad eum, exaudivit me.

27 Apud te laus mea in ecclesia magna, vota mea reddam in conspectu timentium eum.

28 Edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum, vivent corda eorum in seculum seculi.

29 Reminiscentur, & convertentur ad Dominum universi fines terræ.

30 Et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium.

31 Quoniam Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium.

32 Manducaverunt, & adoraverunt omnes pingues terræ, in conspectu ejus cadent omnes, qui descendunt in terram.

33 Et anima mea illi vivet, & semen meum serviet ipsi.

34 Annuntiabitur Domino generatio ventura, & annuntiabunt cœli justitiam ejus populo, qui nascetur, quem fecit Dominus.

PSALMUS XXII.

Sub allegoria Pastoris erga suum gregem solliciti, quanta de se, ac suis rebus omnibus Deo cura sit, demonstrat.

1 ÆTernus superûm me regit arbiter:
Quænam deesse queat res mihi? In herbidis

1 Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascua ibi me collocavit.

2 Super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit.

Me pratis posuit, meque salubribus
Pascit graminibus, 2 fons ubi vitreus
Undarum placido labitur agmine,
Queis sedare sitim fas mihi, & artubus;
Æstas quum calido sidere ferbuit,
Robur languidulis reddere vividum.

3 Deduxit me super semitas justitiæ, propter nomen suum.

4 Nam & si ambulavero in medio umbra mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

3 Sit dux ille mihi, non ego devio
Gressu per salebras præcipites ferar,
At sectabor iter justitiæ; 4 neque, ab
Omni si obsideant parte pericula,
Noctisque in tenebris tesqua per horrida
Errantem fera mors occupet, anxio,
Te præsente, Deus, concutiar metu.

5 Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.

6 Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos, qui tribulant me.

7 Impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quam præclarus est!

5 Tu prædantum avidam vim premis, & tua
Virga monstra fugas, 6 tu mihi splendidum
Instauras epulum, tu dape recreas,
Hostes livor edax dum cruciat meos.
7 Per te unguenta meum grata hilarant caput;
Per te vitigenus sufficitur meo
Crateri liquor, expellere tetricas
Curas sollicitæ mentis idoneus.

8 Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vita mea.

9 Et ut inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum.

8 His pergat tua me, quæso, benignitas
Donis, dum dabitur vivere, prosequi,
9 In templique tui da penetralibus
Ut te concelebrans tempora transigam.

PSALMUS XXIII.

Scriptus est occasione translationis Arcæ Domini in montem Sionis, in quem solos justos ascensuros esse commemorat. Demum quasi triumphalem regis gloriæ ingressum præsens intueatur, jubet templi fores statim patere, ac Deum exercituum excipere.

1 Domini est terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & universi, qui habitant in eo.

2 Quia ipse super maria fundavit eum, & super flumina præparavit eum.

1 Quidquid terra sinu fovet beato,
Gentesque astrifero sub axe quotquot
Degunt, imperio obsequuntur almi
Rectoris superûm: 2 ipse namque ponto
Prudens instabili eminere terram
Immotam voluit, metus ut omnis

Exper-

Expertem faceret periculique,
Quum præter folitum intumeret unda
Magnis litora fluctibus flagellans.
3 Unam at præcipuè, licet regantur
Suis omnia nutibus, colendam
Legit ipse sibi Sionis arcem.
At quis terrigenûm ad beata scandet
Montis culmina? cui gradum licebit
Dignè figere in ædibus Tonantis?
4 Illi, cui neque dextra, nec cor ullo
Sordet crimine, qui nihil revolvit
Vanum pectore, nec vafro sodalem
Reus perfidiæ fefellit astu.
5 Hic Deum sibi sentiet benignum
Semper, hic sibi dona largientem.
6 Hæc olim soboles recepta cœlo
Præsentis faciem Dei videbit.
7 At vos, o Proceres, beata templi
Eja pandite limina, & remotis
Postibus latera expedite, rex ut
Ille maximus, inclytusque multa
Gloria introeat. 8 Sed ecquis iste
Rex sic inclytus hæc adire tentat
Templi limina? Magnus ille, & armis
Rex fortissimus, hostiumque victor,
Vastique imperio potitus orbis:
9 Vos ergo, o Proceres, beata templi
Eja pandite limina, & remotis
Postibus latera expedite, rex ut
Ille maximus, inclytusque multa
Gloria introeat. 10 Sed ecquis iste
Rex sic inclytus hæc adire tentat
Templi limina? Plurimæ hic tremendus
Dux est militiæ, frequentibusque
Clarum gloria reddidit triumphis.

3 Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus?

4 Innocens manibus, & mundo corde; qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

5 Hic accipiet benedictionem a Domino, & misericordiam a Deo salutari suo.
6 Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Jacob.
7 Attollite portas, principes, vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ.

8 Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.

9 Attollite portas, principes, vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ.

10 Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.

PSALMUS XXIV.

Divinam misericordiam & opem implorat, atque a peccatis & periculis liberari desiderat. Hic Psalmus, ut alii sex, est ex genere carminum acrostychorum, in quibus singulis Psalmi versiculis singulæ alphabeti literæ suo ordine præponuntur.

1 DUm mens pressa malis ad te, Deus, advolat unum,
Et spes præsidio stat mea fulta tuo,
Ne permitte, pudor mea turpis ut obruat ora,
2 Nec caput hoc probris turba inimica petat:
Namque tuis qui se tutandum credidit armis,
Deceptus nunquam spe cadet ille sua.
3 Sontibus inficiat vultum pudor, acria genti
Ausis immeritò bella movere piæ.
4 At mihi virtutis tu sanctæ ostendito calles,
Ut tutam ingrediar, te præeunte, viam.
5 Tu gressus moderare almi mihi lumine Veri
Certa, Deus, vitæ spesque salusque meæ:
6 Scis bene, muneribus tua quod cumulare vetustos
A primo pietas tempore cœpit avos.
7 Hinc ea, quæ admisi juvenili improvidus ævo,
Ne recolas animo turpia facta tuo:
8 Utque soles hominum genus omne fovere, paterno
Quamvis immeritum me quoque amore fove:
9 Tu pius es, fontesque vocas, ut crimine misso
Conversi referant ad tua castra pedem.
10 Hos regis, abjecta si fraude tumentia ponant
Corda, tuæque doces carpere legis iter.
11 Hi numen sensere tuum sibi semper amicum,
Queis sunt in nutus pectora prona tuos.
12 Immani scelerum releva me pondere pressum,
Nominis ut virtus sit manifesta tui.
13 Quam felix, qui te metuit, cui regula morum,
Et norma est vitæ lex tua, quidquid agat!

14 Af-

1 Ad te Domine levavi animam meam, Deus meus in te confido, non erubescam.
2 Neque irrideant me inimici mei, etenim universi, qui sustinent te, non confundentur.
3 Confundantur omnes iniqua agentes supervacue.
4 Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.
5 Dirige me in veritate tua, & doce me, quia tu es Deus salvator meus, & te sustinui tota die.
6 Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum, quæ a seculo sunt.
7 Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.
8 Secundum misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam Domine.
9 Dulcis, & rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via.
10 Diriget mansuetos in judicio, docebit mites vias suas.
11 Universæ viæ Domini, misericordia, & veritas requirentibus testamentum ejus, & testimonia ejus.
12 Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum est enim.
13 Quis est homo, qui timet Dominum? legem statuit ei in via, quam elegit.

14 Affluet ille bonis animi tranquillis, opesque
Seram ad progeniem transferet, atque decus.
15 Tu firmas te mente pia precibusque colentes,
Atque arcana tui fœderis alta doces.
16 Hinc ad te semper mea vertam lumina, donec
Hostili expedias compede crura mihi.
17 Aspice me facili miseratus lumine, solus
Namque ego sum, magnis excrucorque malis.
18 Quæ mihi cor mordet, cura anxia crescit in horas,
Affer opem, tumidi ne voret unda maris.
19 Aspice, quot scelerum pœnis exerceor; ægro
Tristia abhorrenti crimina parce, Deus.
20 Aspice, me quantis circumstant viribus hostes,
Quamque odiis miserum turba scelesta premit.
21 Tu, Deus, hanc animam serva, tantisque periclis
Eripe, meque mala ne fine fraude capi;
Quamque in te fixi ne spes cadat irrita voti,
Neu causam opprobrii præbeat illa mihi.
22 Jungitur his mecum votis tibi turba piorum,
Quæ cito laturum te mihi sperat opem.
23 Isacidas igitur rerum tot dura ferentes
Respice, & afflictos erigat alma salus.

14 Anima ejus in bonis demorabitur, & semen ejus hereditabit terram.
15 Firmamentum est Dominus timentibus eum, & testamentum ipsius ut manifestetur illis.
16 Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.
17 Respice in me, & miserere mei, quia unicus, & pauper sum ego.
18 Tribulationes cordis mei multiplicata sunt, de necessitatibus meis erue me.
19 Vide humilitatem meam, & laborem meam, & dimitte universa delicta mea.
20 Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, & odio iniquo oderunt me.
21 Custodi animam meam, & erue me, non erubescam, quoniam speravi in te.
22 Innocentes, & recti adhaserunt mihi, quia sustinui te.
23 Libera Deus Israel ex omnibus tribulationibus suis

PSALMUS XXV.

Suam innocentiam apud Deum profitetur, & ab improbis semotus sibi cum justis consuetudinem unice esse docet.

1 Sis meæ judex, Pater alme, causæ,
Simplicem quando, scelerisque purum
Me vides, &, te posita spe in uno,
Nil trepidantem.
2 Tu sinus mentis penitus repostos
Inspice, & fibras speculatus omnes
Me proba adversis, faber igne fulvum
Ut probat aurum.

1 Judica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum, & in Domino sperans non infirmabor.
2 Proba me Domine, & tenta me, ure renes meos, & cor meum.

3 *Quoniam misericordia tua ante oculos meos est, & complacui in veritate tua.*

3 Te, Pater; dextra mihi liberali
Cogito semper bona largientem;
Et tui ad normam mihi dulce Veri est
Fingere mores.

4 *Non sedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo.*

4 Vota qui cordis mala blandienti
Obtegunt vultu mihi ne sodales
Adderem cavi, populumque fugi
Vana sequentem.

5 *Odivi ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo.*

5 Impios odi colubri veneno
Pejus: haud ædes subii, measque
Haud tuli impuris violaret ut gens
Gressibus exlex.

6 *Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine.*

6 Fonte ego puro bene lotus aram
Ad tuam accedam: resonabit omnis
Laudibus sacris tibi dedicatæ
Angulus ædis.

7 *Ut audiam vocem laudis, & enarrem universa mirabilia tua.*

7 Heic tuâ admirans opera altâ, denso
Cœtui lætus referam, lyræque
Dulcia argutæ sociabo gratis
Carmina chordis.

8 *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.*

8 Nulla mî in terris potior voluptas,
Quam tuo curis procul a profanis
Degere in templo, decorat quod altis
Gloria factis.

9 *Ne perdas cum impiis Deus animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam.*

9 Quæ manent gentem cupidam cruoris,
Quæso, ne pœnas subeam, nec inter
Efferos hostes mea condat ossa
Barbara tellus,

10 *In quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus.*

10 Triste qui semper facinus, malasque
Subdolo fraudes animo revolvunt,
Quique non segnes avida prehensant
Munera dextra.

11 *Ego autem in innocentia mea ingressus sum, redime me, & miserere mei.*

11 Me juvat vitam vitiis carentem
Degere in terris: miseratus ergo
Hostium sævis manibus furentum
Me, Deus, aufer.

12 *Pes meus stetit in directo, in ecclesiis benedicam te Domine.*

12 Da sequi firmo mihi recta gressu,
Ut tuas coram populo frequenti
Sospes in templo celebrem sonoro
Pectine laudes.

PSALMUS XXVI.

Quum a Deo protectus sit; nihil se formidare dicit, & licet ab omnibus derelictus, in Deo tamen sibi spem esse affirmat, a quo ut contra adversariorum injurias defendatur exposcit.

1 2 QUum mihi consiliique inopem; septamque tenebris
Illustres, Pater optime, mentem;
Sitque innixa tuo mea robore vita salusque,
Sollicita formidine quisnam
Securum exagitet mihi pectus, vel mea quonam
Vis animi in discrimine nutet?
3 Vidi ego, turba mei sitiens dum sanguinis iret
Me contra facto agmine, 4 muto
Attonitam tremuisse metu, enervemque retrorsum
Immani cecidisse ruina.
5 Horrida si plenis consistant agmina campis,
Imperterritus illa tuebor:
6 Si rauco ad pugnam tubicen vocet ære cohortes,
Ibo tua spe fretus in hostem.
7 Hoc ego te posco votis ardentibus unum, &
Poscam, dum concesseris, omne
Ut des transegisse tuis mihi in ædibus ævum,
8 Majestas ubi multa tui se
Numinis ostentat, pura & dulcedine mentem
Afficias: 9 heic nempe malorum
Fraudibus ereptum, curaque premente solutum
Ipse tui sub numinis umbra
Me statues, vigilique observans lumine 10 celsa
Securum velut arce locabis.
11 Ipse tuas tanto pro munere lætus ad aras
Accurram, cantusque ciebo
In laudes sine fine tuas: 12 nunc ergo gementis
Exaudi pia vota benignis
Auribus, atque meos miserans ne despice casus;
13 Sincero nam te invoco supplex
Pectore, teque unum toto conamine mentis
Quæro, Deus, semperque requiram.

1 Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo?
2 Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo?
3 Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas.
4 Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt, & ceciderunt.
5 Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.
6 Si exsurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.
7 Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.
8 Ut videam voluptatem Domini, & visitem templum ejus.
9 Quoniam abscondit me in tabernaculo suo, in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.
10 In petra exaltavit me, & nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.
11 Circuivi, & immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis, cantabo, & psalmum dicam Domino.
12 Exaudi Domine vocem meam, qua clamavi ad te, miserere mei, & exaudi me.
13 Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.

14 *Ne avertas faciem tuam a me, ne declines in ira a servo tuo.*

15 *Adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus*

16 *Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.*

17 *Legem pone mihi Domine in via tua, & dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.*

18 *Ne tradideris me in animas tribulantium me, quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi.*

19 *Credo videre bona Domini in terra viventium.*

20 *Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.*

14 Ergo mihi posthac dulcem ne subtrahe vultum,
In me nec tua sæviat ira.
15 Sis tutela mihi, nec me in discrimine solum
Inter turbas linque furentes,
Una salus, Deus alme: 16 mihi tu fidus asylum
Præbebis, quem barbara mater,
Quem durus repulit genitor, cui terga propinqui,
Et dulces vertere sodales.
17 Tu mihi tu legum calles ostende tuarum,
Et, dubiis ne gressibus errem,
Te propone ducem; sic recto a tramite nullis
Avertent me fraudibus hostes.
18 Hanc vitam votis hominum ne dede nocentum;
In me crimina namque maligni
Falsa struunt testes, & se mendacibus armant
Famæ in dispendia dictis.
19 Quod mihi post tantos servatur vita labores,
Hoc uni tibi debeo, rerum
Sancte Parens; me namque tenet spes certa, quod (olim
Traducam felicius ævum.
20 Macte animi (his ego me dictis sæpe excito) &
In rebus ne defice, at uni (arctis
Fide Deo, forti te robore fulciet ipse;
Tu constans mala vince ferendo.

PSALMUS XXVII.


Orat, ne cum nocentibus, a quorum abhorret consortio, perdatur; & se a Deo exauditum sentiens illi laudem defert, atque hostium suorum punitionem vaticinatur potius, quam petit.

1 *Ad te Domine clamabo, Deus meus ne sileas a me, nequando taceas a me, & assimilabor descendentibus in lacum.*

1 NE meos, oro, Deus obserata
Aure fastidi gemitus, nec ultra
Differ optatam mala dura passo
Ferre salutem.
Nam tua infelix ope destitutus
Esse si pergam, cito me relinquet
Vita, & algentis tenebrosa claudent
Septa sepulcri.

Da

2 Da meis votis aditum, supinas
Dum manus tollo ad tua sancta templa,
Et mea tandem prece mitigatum
Sit tibi pectus.
3 Ne meo vulgus lateri profanum
Hæreat, nec me patiare eadem
Affici pœna, mala qua patrantes
Crimina plectis,
4 Ore qui pacem simulare docti
Dulcibus mulcent animos loquelis,
Sæva dum tristes mala viperino
Pectore volvunt.
5 6 Talibus pœnas, Genitor, rependе
Debitas factis, et iniqua mentis
Reprime insanæ studia, atque diris
Ausibus obsta.
7 Quod tuæ haud robur moderantis orbem
Dexteræ expendunt animo, superbos
Opprime, & clade assimili involutos
Perde nepotes.
8 Qui mea audisti facili aure vota,
Sit tibi æternos decus omne in annos;
9 Tu mihi spes es, columenque rerum
Grande mearum.
10 Tu mihi vires reparas, tibique
Gratias lætus referam; 11 potenti
Namque tu regem, Isaciamque fulcis
Numine gentem.
12 Nos tibi addictos, precor, usque serva,
Et bonis largè cumula, tuoque
Leniter nutu rege, donec astra
Vertat Olympus.



2 Exaudi Domine vocem deprecationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.

3 Ne simul trahas me cum peccatoribus, & cum operantibus iniquitatem ne perdas me.

4 Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.

5 Da illis secundum opera eorum, & secundum nequitiam adinventionum ipsorum.

6 Secundum opera manuum eorum tribue illis, redde retributionem eorum ipsis.

7 Quoniam non intellexerunt opera Domini, & in opera manuum ejus, destrues illos, & non ædificabis eos.

8 Benedictus Dominus, quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ.

9 Dominus adjutor meus, & protector meus, in ipso speravit cor meum, & adjutus sum.

10 Et refloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor ei.

11 Dominus fortitudo plebis suæ, & protector salvationum Christi sui est.

12 Salvum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ, & rege eos, & extolle illos usque in æternum.

PSALMUS XXVIII.

Excitat optimates, & generatim omnes justos ad victimas & laudes Deo offerendas, cujus voci omnia creata obtemperare dicit.

1 Afferte Domino filii Dei, afferte Domino filios arietum.

1 Quicumque adestis surgite principes,
Hædosque pingues de grege tollite,
Ut ante votivam immolentur
Numinis omnipotentis aram.

2 Afferte Domino gloriam, & honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus, adorate Dominum in atrio sancto ejus.

2 Non usitatis laudibus inclytum
Efferte nomen, tollite honoribus,
Inque ædibus sacris Tonanti
Ferte preces, adolete thura.

3 Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit, Dominus super aquas multas.

3 Imbres ab altis vox sua nubibus
Effundit inter rauca tonitrua,
Ventoque turgentes profundi
Oceani moderatur undas.

4 Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia.

4 Hæc efficacis plena potentiæ,
Et dignitatis personat, ignei
Convexa quam sedes Olympi,
Et metuit tremefacta tellus.

5 Vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani.

6 Et comminuet eas tamquam vitulum Libani, & dilectus quemadmodum filius unicornium.

5 Divellit altas hæc Libani e jugis,
Non mille quas anni eruerant, cedros,
6 Fractasque disjectat per altum
Æthera, ut aspicimus furentem
Vel Taurum arenas spargere calcibus,
Vel unicornem robore virium
Lascivientem quidquid obstat
Fulmineo exagitare cornu.

7 Vox Domini intercidentis flammam ignis, vox Domini concutientis desertum, & commovebit Dominus desertum Cades.

8 Vox Domini præparantis cervos, & revelabit condensa, & in templo ejus omnes dicent gloriam.

7 Vox hæc corusco nubila dividit
Igni, & fugaces terrificat feras,
Rupesque desertas moveri
Arabiæ jubet æstuosæ;
8 Cervasque cogit fundere præcoces
Fœtus in auras, & silvas suo
Nudat per autumnum decore, ut
Germine vividiore pingat.

Hæc

v. 1. *Hebr. Filii Deorum*, sive potentum.

Hæc quisquis alto pectore percipit,
Ad templa veri numinis advolet,
Et debitos reddens honores
Laude Deum celebret perenni.
9 En ille terram largifluo rigat
Imbre, unde frugum copia germinet,
Et rector in cœli corusca
Perpetuò residebit arce:
10 Hinc ipse genti prævalidum piæ
Adversus hostes subsidium dabit;
Hinc pace ditabit, bonorumque
Omnigenûm cumulabit auctu.

9 Dominus diluvium inhabitare facit, & sedebit Dominus rex in æternum.

10 Dominus virtutem populo suo dabit, Dominus benedicet populo suo in pace.

PSALMUS XXIX.

Post ingens discrimen ac restitutam sibi incolumitatem gratias agit Deo, suoque testimonio confirmat, Deum licet brevi momento ob hominum peccata irascatur, cito tamen ad eorum resipiscentiam placari.

1 TE, rex alme poli, laudibus efferam,
Rebus confugium nam mihi in arduis
Tutum suppeditas, nec finis, ut meis
Hostes se recreent malis.
2 Ad te, multa gemens, vix animo preces
Cœpi sollicito fundere fervidas,
Quum me blanda tuo munere protinus
Invisit miserum salus.
3 Per te mortis ego fugi avidas manus,
Vitalique fruor lumine. 4 Vos Deo
Vos mecum, pia gens, solvite gratias
Tantis promeritis pares.
Vos illi, ad numeros pectinis aurei,
Sacras suaviloquo dicite carmine
Laudes, & memores semper ad optimum
Patrem lumina vertite.
5 Ille ob facta hominum non semel improba
Iræ æstu subito ferbuit; ocius
Iracunda tamen fulmina numinis
Placatus posuit furor.

1 Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me.

2 Domine, Deus meus clamavi ad te, & sanasti me.

3 Domine eduxisti ab inferno animam meam, salvasti me a descendentibus in lacum.

4 Psallite Domino sancti ejus, & confitemini memoriæ sanctitatis ejus.

5 Quoniam ira in indignatione ejus, & vita in voluntate ejus.

6 Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.

6 Sero si ingemimus vespere, & anxium
Nobis cura animum sauciat aspera,
Mox omni vacuos sollicitudine
Nos mane exhilarat Deus.

7 Ego autem dixi in abundantia mea, non movebor in æternum.

8 Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem.

9 Avertisti faciem tuam a me, & factus sum conturbatus.

7 Quum regni fruerer divitis otio,
Quo, dixi, hinc valeam turbine dejici,
8 Te firmante meas res validissimo
Dextræ præsidio tuæ?
9 Ast eheu! faciem vix mihi amabilem
Subduxti, ex oculis quidquid erat boni
Fugit; luctifica nube animum mihi
Sensi protinus obrui.

10 Ad te Domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor.

10 Turbatus gelidæ mortis imagine,
Supremumque mihi permetuens diem
Cœpi ad te lacrymans brachia tollere,
Atque hæc cum gemitu loqui:

11 Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?

11 Si me hostes perimant, sanguine num meo
Iram lenieris? anne putredine
Quum corruptus abibo in cineres, mea
Contentus fueris nece?

12 Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam?

12 Tene expers animæ pulvis, & algido
Clausus sub tumulo prædicet, & tuæ
Legis veridica oracula gentibus
Evulgare aliis queat?

13 Audivit Dominus, & misertus est mei, Dominus factus est adjutor meus.

13 Dum verba hæc vehemens eliceret dolor,
Audisti placidis me, Deus, auribus,
Atque ingens inopem subsidio tua est
Me complexa benignitas.

14 Convertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia.

14 Pro luctu ac lacrymis lætitia meum
Tu replesti animum; tu mihi lugubrem
Detraxti ex humeris vestem, & ut antea
Cinxit me egregium decus.

15 Ut cantet tibi gloria mea, & non compungar, Domine, Deus meus in æternum confitebor tibi.

15 His pro muneribus deposito metu
Omni, ac tristitia cantibus efferam
Te sacris sine fine, & meritas agam
Grates perpetuò tibi.

PSAL-

PSALMUS XXX.

A suis derelictus, ab impiis vexatus, & ad inopiam redactus a suo liberatore opem contra hostes implorat: deinde ad Dei amorem homines justos incitat, divinaque spe fretos ad malorum tolerantiam adhortatur.

1 IN te ego quam, cœli rector metuende, locavi
Spes mihi non ullo tempore vana cadet:
Tu me justitiæ vindex defende, 2 precesque
Excipe, & afflicto fer mihi promptus opem.
3 Tu secura salus mihi sis in rebus egenis,
Et valida arx hosti non penetranda meo.
4 In te, quum pugnam aggredior, mihi vivida virtus:
In te, quum fugio, stat mihi certa salus.
Ut formido tui prosternat nominis hostes,
Sis ductor, victum suppeditesque mihi.
5 Da fugiam casses, & quæ mihi cæca locarunt
Retia, protector nam mihi solus ades.
6 Quam fidei committo tuæ, Deus optime, vitam
Serva, & polliciti sis memor ipse tui:
7 Tu, spes quos pascit male credula, despicis omnes,
Estque odio tibi gens numina vana sequens.
8 Me juvat abs te uno dulcem sperare salutem,
Qui pietate tua pectora mœsta levas.
9 Tu placido afflictum recreasti lumine, opemque
Rebus in angustis, te miserante, tuli.
10 O quoties hostes te fugi auctore sequentes,
Et flexi incolumis per loca tuta pedem!
11 Nunc quoque nunc miserere mei, nam vexor, & ira
Jam mihi turbantur lumina, corque gemit.
12 Luctifico prope vita cadit consumpta dolore,
Atque mei in lacrymis præteriere dies.

13 Vis

1 In te Domine speravi, non confundar in æternum, in justitia tua libera me.

2 Inclina ad me aurem tuam, accelera ut eruas me.

3 Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugii, ut salvum me facias.

4 Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu, & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.

5 Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi: quoniam tu es protector meus.

6 In manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me, Domine Deus veritatis.

7 Odisti observantes vanitates, supervacue.

8 Ego autem in Domino speravi, exultabo, & lætabor in misericordia tua.

9 Quoniam respexisti humilitatem meam, salvasti de necessitatibus animam meam.

10 Nec conclusisti me in manibus inimici, statuisti in loco spatioso pedes meos.

11 Miserere mei Domine, quoniam tribulor, conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, & venter meus.

12 Quoniam defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.

13 Infirmata est in paupertate virtus mea, & ossa mea conturbata sunt.

14 Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, & vicinis meis valde, & timor notis meis.

15 Qui videbant me foras fugerunt a me, oblivioni datus sum, tamquam mortuus a corde.

16 Factus sum tamquam vas perditum, quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu.

17 In eo dum convenirent simul adversum me, accipere animam meam consiliati sunt.

18 Ego autem in te speravi, Domine dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ.

19 Eripe me de manu inimicorum meorum, & a persequentibus me.

20 Illustra faciem tuam super servum tuum, salvum me fac Domine, non confundar, quoniam invocavi te.

21 Erubescant impii, & deducantur in infernum, muta fiant labia dolosa.

22 Quæ loquuntur adversus justum iniquitatem, in superbia, & in abusione.

23 Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te!

24 Perfecisti eis, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum.

25 Abscondes eos in abscondito faciei tuæ, a conturbatione hominum.

26 Proteges eos in tabernaculo tuo a contradictione linguarum.

27 Benedictus Dominus, quoniam mirificavit miseri-

13 Vis attrita malis misero mihi concidit omnis,
Tabidaque arripuit frigidus ossa tremor:
14 Me probris onerant hostes, odere propinqui,
Et sibi me propter quisque pericla timet.
15 Queis prius unanimi sociabar fœdere, vitant
Me modo, & ex animo, ut mortuus, excutior.
16 Non secus ac fractum me vas, & inutile temnunt,
Inque meum jaciunt turpia dicta caput:
17 Interea ecce omnes sceletum in consortia juncti
Intentant vitæ rumpere fila meæ:
18 Præsidio ac spes fulta tuo me sustinet: unus
Arbiter es, dixi, vitæ obitusque mei.
19 Ergo age me sævæ manibus, precor, eripe turbæ,
Cesset & hostilis, te reprimente, furor.
20 Hunc famulum irradiet tua lux, clementia servet,
Nec tibi fac cassas fundat ab ore preces.
21 Ora malis contra pudor obtuat; inque profundas
Ante diem trudat frigida mors tenebras:
Effrænem reprimant æterna silentia linguam,
Quæ tacitos vafra consuit arte dolos:
22 Qua falsa innocuis affingunt crimina, & omnes
Despiciunt, diris exagitantque modis:
23 Tu bonus interea pro! quam sincera reservas,
Qui te cumque timent, gaudia terrigenis.
24 Quænam a te referunt, quibus es fiducia, justi
Præmia! quanta animos pax tenet, atque quies!
25 Illos alma tui lux proteget oris, avaras
Ne gens injiciat sanguinolenta manus:
26 Quin ita secreta tutos in parte recondes,
Lingua ultra ut nequeant insidiante peti.
27 Qui me servatum valida, Deus, arce locasti,
Te laude eximia tempus in omne canam.

28 Actus

28 Actus ego primo dixi impete, nec bene compos
Mentis: me vindex numinis ira premit.
29 At tu, quas pavido supplex e pectore fudi,
Audisti facili protinus aure preces.
30 Diligite o superûm non ficto pectore regem
Vos, quibus impuro corda carent scelere.
Namque pios probat ille animos, Rectique tenaces
Servat; at elatum deprimit omne caput.
31 Spes innixa Deo vos firmet, duraque fortes
Vincite, nec vili corda pavore tremant.

PSALMUS XXXI.

Se peccati reum coram Deo David agnoscens, veniam suorum criminum ab eo impetrat; eandemque ut alii consequantur, suo illos exemplo ad pœnitentiam cohortatur.

1 FElix; cœlicolûm cui Pater optimus
Culpæ omnis veniam propitius dedit,
Et fœdas animi cui superobruit
Sordes perpetui nube silentii!
2 Felix, præteritæ admissa piacula
Cui vitæ ulterius non Deus exprobrat,
Et cujus reperit cor vacuum dolo!
3 Ast ipse indecori turpe silentio
Quòd pressi facinus, qui dolor, anxium
Pervadens animum, sederat ossibus,
Dum cœlum assiduis questibus impleo!
4 At tu prævalida me subigens manu,
Seu sol purpureo lumine sparserat
Terras, seu gravibus pallida texerat
Nox orbem tenebris, & mea morsibus
Crebris sollicitans pectora, surgere
Jussisti scelerum me barathro, & tua
Implorare piis numina vocibus.
5 Hinc quæ consilio te prius improbo
Celaram, in medium crimina protuli,
Nil servans latebra pectoris abditum.

6 Vix

cordiam suam mihi in civitate munita.

28 Ego autem dixi in excessu mentis meæ, projectus sum a facie oculorum tuorum.

29 Ideo exaudisti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te.

30 Diligite Dominum omnes sancti ejus, quoniam veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus superbiam.

31 Viriliter agite, & confortetur cor vestrum omnes, qui speratis in Domino.

1 Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.

2 Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, nec est in spiritu ejus dolus.

3 Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem tota die.

4 Quoniam die, ac nocte gravata est super me manus tua, conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

5 Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi.

6 Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.

7 Pro hac orabit ad te omnis sanctus, in tempore opportuno.

8 Verumtamen in diluvio aquarum multarum ad eum non approximabunt.

6 Vix detexi animi vulnera, quum mihi
Terso flagitiis factus es æquior.
7 Te quicumque sibi propitium cupit,
Ad te confugiat, quum veniæ est magis
Opportuna dies: 8 namque ubi in impios
Ærumnæ incipient (flumina vortices
Majores veluti jussa revolvere,
Quum subjecta premunt arva licentius)
Effundi, ille suo nil capiti timens
Horrendi effugiet gurgitis impetum.

9 Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me, exultatio mea erue me a circumdantibus me.

9 In duris mihi tu, queis premor undique,
Es rebus misero confugium, Deus:
Tu spes una animi, & delicium mei
Me salvum e mediis hostibus eripe.

10 Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris, firmabo super te oculos meos.

10 Quæ responsa mihi das bonus, audio:
„ Te cœlestis ego te face consili,
„ Ut certum teneas tutus iter, regam,
„ Defigamque tuis lumina gressibus.

11 Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus.

12 In camo & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.

13 Multa flagella peccatoris, sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

14 Lætamini in Domino, & exultate justi, & gloriamini omnes recti corde.

11 „ At te quadrupedum mente carentium
„ Ritu dispudeat vivere, 12 dura queis
„ Ni lora os cohibent, indocili jugum
„ Cervice excutiunt, & feriunt pede.
13 Addictum sceleri suppliciis virum
Urget sæpe Deus; sed quibus unica
Spes ipse, innumeris muneribus beat.
14 Hinc vos, justitiæ quos amor allicit,
Læta mente Deo plaudite: tempori
Haud vestra instabili gloria subjacet.

PSALMUS XXXII.

Justos, ut Deum collaudent, invitat; ejus omnipotentiam ac beneficentiam magnificentissime extollit, nullamque in hominum potentia ac viribus; in Deo verò firmissimam salutis spem reperiri evidentissime ostendit.

1 Exultate justi in Domino, rectos decet collaudatio.

1 VOs, quibus nullo sceleris veneno
Pectus infectum est, alacres supremo
(Nam pios munus decet hoc) Parenti
Dicite laudes.

2 Di-

2 Dicite, & promptas simul admovete
Aureæ dextras citharæ, nec absint
Apta bis quinis hilarare mentem
Nablia chordis.
3 Sed nova, & nulli prius exarata
Promite in lucem locuplete vena
Carmina, & flectat bene temperatas
Tibia voces.
4 Ulla non ætas abolebit, ore
Quæ Deus fido loquitur, suisque
Æquitas factis comes est dolosæ
Nescia fraudis.
5 Ille amat Justi cupidos, piæque
Indolem mentis probat, ac in omnem
Spargit innata pietate dives
Munera terram.
6 Illius nutu omnipotente vasta
Prodiit cœli domus, & perenni
Vox sua accendit rutilare jussas
Lumine stellas.
7 Ille turgentes, velut utre, clausit
Æquoris fluctus, & in ima pressos
Impulit prudens vada, spumeisque
Imperat undis.
8 Ergo sic fortem dominum expavescant
Ortus, Occasus, Boreas, & Auster,
Jussaque extemplo faciant, sacrumque
Nomen adorent.
9 Namque fœcunda simulatque Mundum
Mente concepit, voluitque molem
Condere hanc rerum, e nihilo repente ap-
paruit Orbis.
10 Ille discordes populi tumultus,
Et superborum male sana regum,
Callidè eludit studia, impiosque
Disjicit ausus.
11 At Dei quæ mens statuit, manebunt
Firma, nec quisquam poterit reniti;
Nam sua in cunctas soboles trahetur
Certa voluntas.
12 Ille ter felix populus quaterque
D Jure

2 Confitemini Domino in citharn, in psalterio decem chordarum psallite illi.

3 Cantate ei canticum novum, bene psallite ei in vociferatione.

4 Quia rectum est verbum Domini, & omnia opera ejus in fide.

5 Diligit misericordiam & judicium, misericordia Domini plena est terra.

6 Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.

7 Congregans sicut in utre aquas maris, ponens in thesauris abyssos.

8 Timent Dominum omnis terra, ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.

9 Quoniam ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt.

10 Dominus dissipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia principum.

11 Consilium autem Domini in æternum manet, cogitationes cordis ejus in generationem & generationem.

12 Beata gens, cujus est

Dominus Deus ejus, populus, quem elegit in hæreditatem sibi.

Jure censendus, sibi segregavit
Quem potens rerum dominus, suoque
Numine texit.

13 *De cælo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum.*

13 Ille convexi nitida ex Olympi
Arce, ubi æterno ex adamante structæ
Insidet sedi, sua fert in omnes
Lumina terras.

14 *De præparato habitaculo suo respexit super omnes, qui habitant terram.*

15 *Qui finxit singillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.*

14 15 Hinc Adameæ caput omne stirpis
Inspicit, librans opera, &, quod ipse
Finxit, humani penetrat recessus
Cordis in imos.

16 *Non salvatur rex per multam virtutem, & gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ.*

16 Splendidos ostro male regna multo
Militum reges numero tueri
Vidit, & frustra pugiles lacerto
Fidere forti:

17 *Fallax equus ad salutem, in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur.*

17 Vidit insignem phaleris, levesque
Cursu equum ventos præeuntem anhelo
Haud dare optatam domino insidenti
Posse salutem.

18 *Ecce oculi Domini super metuentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia ejus.*

18 Qui Deum puro didicit vereri
Pectore, hic tutus satis est: amico
Nam suum numen Deus invocantes
Lumine spectat.

19 *Ut eruat a morte animas eorum, & alat eos in fame.*

19 Hos ab obscuri miseratus Orci
Liberat tristi barathro, famemque
Noxiam lætis procul a piorum
Finibus arcet.

20 *Anima nostra sustinet Dominum, quoniam adjutor, & protector noster est.*

21 *Quia in eo lætabitur cor nostrum, & in nomine sancto ejus speravimus.*

22 *Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum speravimus in te.*

20 Una spes nobis opis hinc refulget;
Ipse tutatur miseros, 21 suæque
Gaudio dulci recreata firmat
Pectora gentis.

22 Ergo fac nostræ, bone rector orbis,
Ut spei & votis, tua queis vocamus
Numina, haud impar bonitas tua in nos
Se quoque prodat.

PSAL-

PSALMUS XXXIII.

Laudat Deum, aliosque, ut eum secum laudent, hortatur: justos sub Dei tutela, licet eos ad tempus vexari patiatur, semper esse demonstrat. Hic Psalmus in Hebræo Achrostychus est, idest literis ordine alphabetico conscriptus.

1 SEu mihi læta fluant, seu tristia tempora, regi
Cœlicolûm grata carmina voce canam.
Ille suo resonas animabit numine chordas,
Ille mea implebit laudibus ora suis.
2 Una erit huic animo numen cantare voluptas;
Gestiet auditis turba pudica modis.
3 Eja Deum cuncti mecum super æthera cantu
Tollite, & in laudes nominis ite sui.
4 Ille meis precibus facili bonus annuit aure,
Et grave sollicitæ mentis ademit onus.
5 Quisquis eum sequitur, perfusus luce serena
Splendet, & infamis non pudor ora tegit.
6 Testis ego, auxilium duro qui tempore poscens
Jam jam mersuris enato sospes aquis.
7 Aliger æthera juvenis demissus ab arce
Haud sinit hostili fraude perire pios.
8 At quid opus verbis? experti agnoscite, suavis
Quam Deus est, quantæ lætitiæque dator.
Discite, quam felix ævum traducat, in uno
Cui posita est omnis numine spes animi.
9 Vester amor Deus esto, piæ sine crimine mentes,
Hic bona nam vobis vera parabit amor.
10 Qui negat immodicæ cohibere cupidinis æstum,
Esuriet, medias sit licet inter opes:
At qui divitias perituras despicit, ardens
Mente Deum cupida quærere, dives erit.
11 Vos me filioli dulces audite; parandus
Nam qua sit, doceo, numinis arte timor.
12 Quisquis inoffenso vitam traducere cursu,
Quaque licet, felix discupis esse diu;

1 Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.

2 In Domino laudabitur anima mea; audiant mansueti, & lætentur.

3 Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipsum.

4 Exquisivi Dominum, & exaudivit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

5 Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.

6 Iste pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum, & de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.

7 Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.

8 Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus, beatus vir, qui sperat in eo.

9 Timete Dominum omnes sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum.

10 Divites eguerunt, & esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.

11 Venite filii, audite me; timorem Domini docebo vos.

12 Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos?

13 *Prohibe linguam tuam a malo, & labia tua ne loquantur dolum.*
14 *Diverte a malo, & fac bonum, inquire pacem, & persequere eam.*
15 *Oculi Domini super justos, & aures ejus in preces eorum.*
16 *Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.*
17 *Clamaverunt justi, & Dominus exaudivit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.*
18 *Juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu salvabit.*
19 *Multa tribulationes justorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus.*
20 *Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur.*
21 *Mors peccatorum pessima, & qui oderunt justum, delinquent.*
22 *Redimet Dominus animas servorum suorum, & non delinquent omnes qui sperant in eo.*

13 Ne mala præcipitem solve in convicia linguam;
Nec strue mendaci noxius ore dolos.
14 A vitiis animum remove, virtutibus orna,
Vivat & in miti pectore pacis amor.
15 Nam Deus innocuos oculis adspectat amicis,
Intentusque pia percipit aure preces.
16 At vultu terret sontes, & lumine torvo,
Nominaque æterna nocte premenda dabit.
17 Admovet ille piis facilem clamantibus aurem,
E mediisque malis eripit incolumes:
18 Ille oneri injusto promptam succumbere mentem
Erigit, &, quum spes deserit, ultro venit:
19 Justorum adversis jactetur cimba procellis,
Hanc feret in tutos numinis aura sinus.
20 Cura nec exanimum minor est; namque ipsa suorum
Haud sinit hostilis frangat ut ossa furor.
21 Cladibus at miseris excisa a stirpe peribit,
Quæ cœtus odit turba scelesta pios.
22 Eripiet fidos Deus e discrimine servos,
Quos spes præsidii sustinet alma sui.

PSALMUS XXXIV.

Contra adversarios injustè se persequentes justitiam omnipotentis Dei invocat: perversitatem eorum exaggerat, ultionemque cœlestem eis comminatur: illis vero, qui innocentiæ suæ adstipulantur, bona omnia a Deo precatur.

1 *Judica Domine nocentes me, expugna impugnantes me.*

2 *Apprehende arma, & scutum, & exsurge in adjutorium mihi.*

1 ÆTerne Olympi rector, ab impii
Defende cœtus me violentia;
Quique immerentem urgent, in illos
Damna refer, miserosque luctus.
2 Jam jam propinquant, arma Deus cape,
Scutumque telis non penetrabile
Apprende, confertumque in agmen
Surge, viam properante gressu

Clau-

v. 21. *Hebr. Devastabuntur, seu deficient.*

Claudens sceleſtis: 3 fulmineam manu
Haſtam tremenda dirige, & impetus
Male auſpicatos perditorum
Reprime, teque mihi potentem
Præbe ſalutis vindicem: 4 at hoſtium
Mihi parantum funera fac pudor
Ut ora perfundat, 5 retroque
Attoniti ſine honore cedant.
6 7 Sint qualis atro turbinis impetu
Diſperſa nubes pulveris aridi
Leves per auras; & miniſter
Æthereæ metuendus arcis
Vi magna adurgens terreat: aſperâ
Per ſaxa tendant tramite lubrico,
Fugamque perculſis pavore
Horribiles tenebræ retardent.
8 Scrobem immerenti nam mihi clanculum
Fodere, ut illuc haud mihi præcavens
Veſtigia inferrem, & tenaci
Implicitus laqueo perirem.
9 Non cogitantes exitialibus
Fortuna vexet caſibus, & ſuæ
Irretiant fraudes, ruantque
In foveam mihi deſtinatam.
10 11 Per te ſaluti tunc ego redditus,
Mentemque & omnes ubere gaudio
Perfuſus artus clamitabo:
Quis ſimilis Domino, aut ſecundus?
12 Qui fortiorum ſævitie vetat
Premi innocentes, quique inopes ope
Præſente tutatur, ferique
Eripit e manibus tyranni.
13 Heu! quidnam inauſum trux furor hoſtium
In me reliquit? Qui mihi crimina
Non vera conflarunt, maliſque
Non ſemel artibus in doloſa
Pene impulerunt retia: 14 pro bonis
Haud deſtiterunt damna rependere,
Auferre jucundum parati
Ætheræ mihi munus auræ.

3 Effunde frameam, & conclude adverſus eos, qui perſequuntur me, dic animæ meæ, ſalus tua ego ſum.

4 Confundantur, & revereantur quærentes animam meam.

5 Avertantur retrorſum, & confundantur cogitantes mihi mala.

6 Fiant tamquam pulvis ante faciem venti, & Angelus Domini coarctans eos.

7 Fiat via illorum tenebræ, & lubricum, & Angelus Domini perſequens eos.

8 Quoniam gratis abſconderunt mihi interitum laquei ſui, ſupervacue exprobraverunt animam meam.

9 Veniat illi laqueus, quem ignorat, & captio, quam abſcondit, apprehendat eum, & in laqueum cadat in ipſum.

10 Anima autem mea exultabit in Domino, & delectabitur ſuper ſalutari ſuo.

11 Omnia oſſa mea dicent Domine, quis ſimilis tibi?

12 Eripiens inopem de manu fortiorum ejus, egenum & pauperem a diripientibus eum.

13 Surgentes teſtes iniqui, quæ ignorabam, interrogabant me.

14 Retribuebant mihi mala pro bonis, ſterilitatem animæ meæ.

15 *Ego autem cum mihi* molesti essent, *induebar cilicio*.

16 *Humiliabam in jejunio animam meam, & oratio mea in sinu meo convertetur*.

17 *Quasi proximum, & quasi fratrem nostrum, sic complacebam*, quasi lugens, & contristatus sic humiliabar.

18 *Et adversum me lætati sunt, & convenerunt, congregata sunt super me flagella, & ignoravi*.

19 *Dissipati sunt, nec compuncti, tentaverunt me, subsannaverunt me subsannatione, frenduerunt super me dentibus suis*.

20 *Domine quando respicies? restitue animam meam a malignitate eorum, a leonibus unicam meam*.

21 *Confitebor tibi in ecclesia magna, in populo gravi laudabo te*.

22 *Non supergaudeant mihi, qui adversantur mihi inique, qui oderunt me gratis, & annuunt oculis*,

23 *Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur, & in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant*.

24 *Et dilataverunt super me os suum, dixerunt, euge, euge, viderunt oculi nostri*.

15 Morbis at illos quum mihi atrocibus
Languere rumor detulit, horridam
Villoque deformi rigentem
Applicui ad mea membra vestem.
16 Victu domabam me tenui, & preces,
Sua ut dolentes crimina noscerent,
Haud parcus effudi, meisque
Flectere te studui querelis.
17 His signa amoris, quo comitem comes,
Faterque fratrem prosequitur, dedi;
Et dura quum vidi ferentes,
Prole parens velut orba, flevi.
18 19 Proterva at illos vidi ego gaudia,
Meisque risum in luctibus edere,
Palamque me adversus parari
Consilium exitiale sensi.
In me quot eheu! nil mihi conscium,
Nec prævidentem sævierunt modis;
Famamque quam sæpe impudentes
Mortifera secuere lingua!
20 Indigna quanto hæc tempore perferes?
Parens benigne, in tot recrea malis:
Nam more prædantum leonum
Me rabidi aggrediuntur hostes.
21 Quum tot periclis me bonus eximes,
Tanti haud peribit gratia muneris,
Nam lætus in sacro frequentis
Te populi celebrabo cœtu.
22 Haud glorientur longius impii,
Tristi immerentem qui me odio premunt,
Et qui malignis annuentes
Luminibus 23 mihi verba blando
Ore eloquuntur mollia perfidi,
Sub corde volvunt dum tacito dolos,
Artesque vestigant nocendi,
Bile ferox agitante pectus.
24 Qui si involutum me aspiciant malis,
Fusi in cachinnos immoderatius,

En,

v. 15. *Hebr. Quum ipsi ægrotarent*.
v. 17. *Hebr. Quasi mater tristis, sic incurvabar*.

En, inquiunt, quem nostra longis
Pectora concupiere votis,
Dies refulsit: 25 tu tamen omnia
Qui perspicaci lumine dispicis,
Silentium jam rumpe, nec me
Desere, sancte Parens, inultum.
26 Exsurge tandem, juraque tu meæ
Cognosce causæ; 27 me tua ab hostibus,
Qua cuncta terrarum gubernas,
Justitia eripiat scelestis:
Hi clade nostra ne sine gaudeant,
28 Neve hæc loquantur pectore turgido:
Euge euge, successere cuncta
Ex animo, implicitusque nostris
Jam jam tenetur retibus: 29 obruat
His ora turpis fac pudor, aspera
Qui ferre me gaudent, meique
Quos tenet exitii voluptas.
30 Turbata curis tristibus impiæ
Gentis tremiscant pectora, dedecus
Quæ semper in nostrum maligno
Verba procax jaculatur ore.
31 Jucunda at illis tempora defluant,
Meæ quibus causæ integritas placet,
Laudentque te quotquot quietis
Me cupiunt reperire portum.
32 Qua me tueris justitiam, Deus,
Tuam perenni carmine prosequar:
Te mane primo, te cadente
Sole canam resonante plectro.

25 Vidisti Domine, ne sileas, Domine ne discedas a me.

26 Exsurge, & intende judicio meo, Deus meus, & Dominus meus in causam meam.

27 Judica me secundum justitiam tuam, Domine Deus meus, & non supergaudeant mihi.

28 Non dicant in cordibus suis, euge, euge, anima nostra, nec dicant, devoravimus eum.

29 Erubescant, & revereantur simul, qui gratulantur malis meis.

30 Induantur confusione, & reverentia qui magna loquuntur super me.

31 Exultent & lætentur qui volunt justitiam meam, & dicant semper, magnificetur Dominus, qui volunt pacem servi ejus.

32 Et lingua mea meditabitur justitiam tuam, tota die laudem tuam.

PSALMUS XXXV.

Impiorum & incredulorum hominum nequitiæ bonitatem & beneficentiam Dei opponit.

1 PEr cuncta, dixit impudenter impius,
Jam liber ibo crimina:
Nam, qui assidebat inquieto pectori,
Metum fugavi numinis.

1 Dixit injustus, ut delinquat in semetipso, non est timor Dei ante oculos ejus.

2 Quoniam dolose egit in conspectu ejus, ut inveniatur iniquitas ejus ad odium.

2 Errore blando captus ergo colligit,
Quod sua Deus vel nesciat
Delicta, vel si noverit, ea plectere
Incuriosus negligat.

3 Verba oris ejus iniquitas, & dolus, noluit intelligere, ut bene ageret.

3 Maligna semper, & referta fraudibus
Ab ore verba perfido
Fundit, nec almo curat uti lumine
Rationis, ut Rectum gerat:

4 Iniquitatem meditatus est in cubili suo, astitit omni via non bona, malitiam autem non odivit.

4 Nil ille spectat præter impium nefas
Imo in recessu pectoris,
Pravoque semper calle fert vestigia,
Sua haud perosus crimina.

5 Domine in cælo misericordia tua, & veritas tua usque ad nubes.

5 Quæ magnitudo! quanta vis! quæ largitas
Tuæ est, Deus, clementiæ!
Est illa templis altior cœlestibus,
Omnesque metas præterit.
Quid veritati par tuæ, perennibus
Quæ firma stabit seculis?

6 Justitia tua, sicut montes Dei, judicia tua abyssus multa.

6 Longe stabilior providentiæ est tuæ
Ratio, Deus, qua temperas
Terram, polumque, quam nivosa montium
Juga asperorum; & consilî
Vis est profundior tui, quam altum mare,
Illoque siquid altius.

7 Homines, & jumenta salvabis Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.

7 Tu pascis homines belluasque, & omnium
Securitati consulis.
Quam larga munerum tua est benignitas!
Quam dulcis in homines amor!

8 Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt.

8 Tu, quotquot in te firmiter fiduciam
Locant salutis, sic tuo
Foves favore, volucris ut fœtus suam
Blandè sub alam colligens.

9 Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.

9 Hos & bonorum copia, queis affluit
Uberrimè domus tua,
Replebis, & purum ex inexhausto dabis
Haurire fonte gaudium.

10 Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.

10 Tu vitæ es auctor, tu creator aureæ
Lucis: trahere nec spiritum
Te sine, nec alma luce fas est perfrui.

11 Prætende misericordiam tuam scientibus te, & justi-

11 Tua, quæso, largioribus

Te

Te diligentes augeat clementia
Bonis, tuaque tegat æquitas.
12 Non me superbus pes terat, nec dextera
Vexare sontis audeat.
13 Hostes premebant quo loco nos impii,
Illos eodem dejice,
Et sic ruentes lapsus infringat gravis,
Nunquam queant ut erigi.

tiam tuam his, qui recto sunt corde.

12 Non veniat mihi pes superbia, & manus peccatoris non moveat me.

13 Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare.

PSALMUS XXXVI.

Moralia præcepta iis, qui calamitatibus opprimuntur. Impii felicitati, quæ fallax & caduca est, invidendum non esse; spem vero in Deum conjiciendam, ac bene vivendum, ut felicitatem assequamur. Psalmus est Acrostychus.

1 NE pravæ post fida parum vestigia turbæ
Ferto gradum, & si forte vides bene sontibus esse,
Ne tibi depascat rabidus præcordia livor.
2 Nam velut æstivis gramen sub solibus aret
Ocius, enatisque recèns ut floribus ævum
Est breve, sic propere fugiet fortuna nocentum.
3 Fide Deo, Rectumque colens bene vive, tibique
Dives opum tellus habitabitur: 4 una voluptas
Sit Deus, & quidquid posces, bonus annuet ultro.
5 Huic curas animi, huic quæcumque negotia, & ipsum
Te committe volens: hoc auspice cuncta secundo
Nam tibi procedent cursu: 6 non immemor atris,
Justitiam latitare tuam finet ille sub umbris;
At magis illustrem solis face proferet aurea,
Quum medio in cursu pleno fulgore coruscat.
Fer patiens adversa, atque in mœrore quiesce,
Dum tibi solamen ferat exorabile numen.
7 Ne temere invideas, pravos si forte beatum
Aspi-

1 Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem.

2 Quoniam tamquam fœnum velociter arescent, & quemadmodum olera herbarum cito decident.

3 Spera in Domino, & fac bonitatem, & inhabita terram, & pasceris in divitiis ejus.

4 Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.

5 Revela Domino viam tuam, & spera in eo, & ipse faciet.

6 Et educet quasi lumen justitiam tuam, & judicium tuum tamquam meridiem, subditus esto Domino, & ora eum.

7 Noli æmulari in eo, qui prosperatur in via sua, in homine faciente injustitias.

v. 6. Hebr. Tace ad Dominum, & expecta eum.

8 Desine ab ira, & derelinque furorem, noli æmulari ut maligneris.

9 Quoniam qui malignantur, exterminabuntur, sustinentes autem Dominum ipsi hæreditabunt terram.

10 Et adhuc pusillum, & non erit peccator, & quæres locum ejus, & non invenies.

11 Mansueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.

12 Observabit peccator justum, & stridebit super eum dentibus suis.

13 Dominus autem irridebit eum, quoniam prospicit, quod veniet dies ejus.

14 Gladium evaginaverunt peccatores, intenderunt arcum suum.

15 Ut dejiciant pauperem & inopem, ut trucident rectos corde.

16 Gladius eorum intret in corda ipsorum, & arcus eorum confringatur.

17 Melius est modicum justo, super divitias peccatorum multas.

18 Quoniam brachia peccatorum conterentur, confirmat autem justos Dominus.

19 Novit Dominus dies immaculatorum, & hæreditas eorum in æternum erit.

Aspicias ævum traducere: 8 vince furorem
Insanum, & celerem preme tempestivior iram,
Nec te præcipitem vindictæ cæca cupido
Abripiat; 9 Deus exitium nam triste scelestis
Molitur, sed quem fulcit spes numinis una,
In patriis ducet diuturnum sedibus ævum.
10 Tu modo, cui stabilis visa est sors esse malorum,
Siste gradum, ut noscas, quota pars de rebus opimis
Huic superest, tibi qui felix est creditus olim.
Aurea vestiga celsi laquearia tecti,
Illusasque auro vestes, quas ille superbo
Invectus curru, populo admirante, gerebat.
Heu! nihil invenies, subitam nam cuncta ruinam
Cum domino traxere suo; 11 fortuna piorum
At dispar infracto animo mala dura ferentum.
Nam sibi promissas tandem ingredientur in oras,
Hasque colent longa securi in pace nepotes.
12 Impius in justum feralia pectore versat
Consilia, insidiasque struit, dentemque fatigans
Dente ferox fremit: 13 hæc Deus aspectatque, minasque
Irridet stulti capitis; nam prospicit illi
Exitium superincumbens. 14 Dextra improbus ensem
Distringit, nervoque sagittas aptat; 15 egenos
Innocuosque neci simul ut demittat acerbæ.
16 Vertetur tamen in domini fera pectora mucro
Impius, & valido contorta hastilia nervo
Frangentur; 17 præstat justi bene parta supellex,
Quantulacumque illa est, quam per vim rapta scelesti,
Et quæsita dolis prædives copia rerum.
18 Hujus enim elabentur opes, omnisque potestas
Corruet; at contra Deus illum robore fulcit
Usque novo, 19 numeratque dies, pœnasque recenset,
Ocius ut justos felicibus inserat oris,

Ven-

Venturi quas possideant in longa nepotes
Secula: 20 non pectus, quum sors adversa tonabit,
Securis formido premet, nam divitis agri
Uber alet, dum sæva fames metet undique fontes.
21 Quod si forte ipsos interdum numinis hostes
Cæca ad conspicuos fortuna evexit honores,
Agnorum similes adipi evanescere cernes,
Sacrifica in fumos quem flamma resolvit inanes.
22 Regifico indulgent hi luxu, & avita profundunt
Turpibus in vitiis patrimonia, cura nec unquam,
Ut reddant aliena, subit; dum paupere restat
De censu justis, turbæ quod detur egenti.
23 Vir soboli innocuus quæ possidet arva relinquet;
Semen at invisum cœlo ab radice peribit:
24 Qui præsente Deo cautus vestigia figit,
Obliquo haud graditur calle; 25 & si nutet, amica
Sustinet ipse manu, properatque attollere lapsum.
26 Jam senui, puer ante fui; tamen haud mihi justum
Contigit æthereo regi vidisse repulsum,
Nec natos misera ante fores alimenta petentes:
27 Hunc ego quin aliis ultro dare mutua vidi
Æraque, resque suas, & suppeditare benignam
Semper opem miseris; suaque hinc labentibus annis
Dives erit soboles, atque acceptissima cœlo.
28 Si vitii ambages fugies, si cultor Honesti
Indefessus eris, te victu divite pascet
Terra diu, 29 nam recta Deus qui diligit, Æqui
Cultores pariter charos habet, & sua feros
Respi-

v. 21. *Hebr. Sicut optimum, quod est in agnis, consumentur: in fumo deficient.*

20 Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur, quia peccatores peribunt.

21 Inimici vero Domini mox ut honorificati fuerint, & exaltati, deficientes, quemadmodum fumus deficient.

22 Mutuabitur peccator, & non solvet, justus autem miseretur, & tribuet.

23 Quia benedicentes ei hæreditabunt terram, maledicentes autem ei disperibunt.

24 Apud Dominum gressus hominis dirigentur, & viam ejus volet.

25 Cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.

26 Junior fui, etenim senui, & non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.

27 Tota die miseretur & commodat, & semen illius in benedictione erit.

28 Declina a malo, & fac bonum, & inhabita in seculum seculi.

29 Quia Dominus amat judicium, & non derelinquet sanctos suos, in æternum conservabuntur.

30 Injusti punientur, & semen impiorum peribit.

31 Justi autem hæreditabunt terram, & inhabitabunt in seculum seculi super eam.

32 Os justi meditabitur sapientiam, & lingua ejus loquetur judicium.

33 Lex Dei ejus in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus ejus.

34 Considerat peccator justum, & quærit mortificare eum.

35 Dominus autem non derelinquet eum in manibus ejus, nec damnabit eum, cum judicabitur illi.

36 Expecta Dominum, & custodi viam ejus, & exaltabit te, ut hæreditate capias terram, cum perierint peccatores videbis.

37 Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros Libani.

38 Et transivi, & ecce non erat, & quæsivi eum, & non est inventus locus ejus.

39 Custodi innocentiam, & vide æquitatem, quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.

40 Injusti autem disperibunt simul, reliquiæ impiorum interibunt.

41 Salus autem justorum a Domino, & protector eorum in tempore tribulationis.

42 Et adjuvabit eos Dominus, & liberabit eos, & eruet a peccatoribus, & salvabit eos, quia speraverunt in eo.

Respicere haud unquam cessabit curâ nepotes.
30 At scelerum artifices cita numinis ira tremendi
Corripiet, natosque ipsos ab stirpe revellet.
31 Cum sobole interea justus læta arva tenebit,
Felicem degens diuturna in tempora vitam.
32 Haud multa effatur sapiens, atque ante loquendum,
Ne temere effundat, librat æquo examine voces.
33 Ille Dei defixam altè sub pectore legem
Volvit, & arcano firmat vestigia ductu.
34 Opprimat ut justum, cæcis se fraudibus armat
Impius, exploratque nocendî tempora: 35 sed vim
Haud sinet inferri Deus, obstabitque, scelesti
Judicis insontem ne trux sententia damnet.
36 Fida Deus spes esto tibi, divinaque serva
Jussa tenax animo, tellus promissa patebit
Namque tibi, multisque bonis & honoribus auctus
Ire malos pessum aspicies. 37 Hos surgere quondam
Vidi equidem, læto dum sors arriserat ore,
Et cedris similes frontem exeruisse superbam:
38 Ast ubi mox gressus retuli, non amplius usquam
Cernere erat; mihi quin oculos per cuncta ferenti
Vel minima haud aderant prisci vestigia fastus.
39 Tu stude, ut intactis sis moribus, unaque Rectum
Sit tibi cura sequi, nam post tua fata superstes
Progenies lætæ traducet tempora vitæ.
40 At contra exitio dabitur gens improba, & hujus
Omnes fortunas pariter feret exitus idem.
41 Certa salus justis Deus est: hos rebus in arctis
Protegit, 42 auxilioque levat, sontumque cruentis
Eripit e manibus; quodque inconcussa salutis
Spes fuit ipse, dabit tuto considere portu.

PSAL-

PSALMUS XXXVII.

Criminum veniam supplex rogat: de hostium immanitate conqueritur, divinamque opem enixè flagitat.

1 NE, tibi quum pectus justa Deus æstuat ira,
Pœnis merentem corripe,
Justitiæque tuæ ne me rigor urgeat omnis,
Sed da locum clementiæ.
2 En quæ lethali direxti spicula ab arcu
Fixa meo inhærent pectori:
Me tua sub nimio cedentem fasce malorum
Attrivit ultrix dextera.
3 Collapsi exhaustis languent jam viribus artus,
Dum me ore torvo conspicis:
Ossa mihi gelido correpta horrore tremiscunt
Tot intuenti crimina.
4 Illa meo assurgunt capite altius, atque velut mons
Magno premunt me pondere.
5 Te medicas adhibente manus, obducta cicatrix
(Cavere stultus dum mihi
Negligo) in antiquum vulnus malesana coivit,
Fluensque sanie putruit.
6 Me tot in ærumnas scelus impulit, ægraque curvo
Dorso labant vestigia.
Quocumque ingredior, comites sunt nocte dieque
Curæ, & pavores anxii.
7 Interea & stimulos, queis me malesuada cupido
Ad crimen urget, sentio.
Nulla meo pars est in corpore sana, per omnes
Morbus vagatur pestilens;
8 Immodicus mentem prostravit mœror, & imo
E corde suspiro gemens.
9 Tu quid ego cupiam, nosti Deus, omnia cordis
Arcana nam vides mei.
Non mea te fugiunt suspiria, non singultus,
Non lugubres querimoniæ.

10 Sic

1 Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

2 Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & confirmasti super me manum tuam.

3 Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.

4 Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me.

5 Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ, a facie insipientiæ meæ.

6 Miser factus sum, & curvatus sum usque in finem, tota die contristatus ingrediebar.

7 Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea.

8 Afflictus sum, & humiliatus sum nimis, rugiebam a gemitu cordis mei.

9 Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus a te non est absconditus.

10 Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.

11 Amici mei, & proximi mei adversum me appropinquaverunt, & steterunt.

12 Et qui juxta me erant, de longe steterunt; & vim faciebant qui quærebant animam meam.

13 Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur.

14 Ego autem tamquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum.

15 Et factus sum, sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.

16 Quoniam in te Domine speravi, tu exaudies me Domine Deus meus.

17 Quia dixi, nequando supergaudeant mihi inimici mei, & dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

18 Quoniam ego in flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper.

19 Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo.

10 Sic mihi cor variis agitatur motibus, alto
Ut cimba fluctuans salo.
Me mea deseruit virtus, & marcida fletu
Præ magno hebescunt lumina.
11 Omne levamen abest, nam quos mihi sanguinis aux lex
Conjunxit, aut vicinia,
Conveniunt me contra omnes, atque ägmine facto
In damna sese animant mea.
12 Quisquis amicitiæ fuerat mihi fœdere junctus,
Ne fœda cernat vulnera,
Stans ex adverso longe se retrahit: hostes
Soli propinquant, in meum
Exitium haud segnes: 13 alii nituntur aperta
Me vi furentes perdere:
Falsa struunt alii mihi crimina; cæcaque passim
Ponunt eunti retia.
14 15 Ast ego, ceu sensus mihi nullus in auribus insit,
Mutusque verba reddere
Nulla queam, patiens convicia devoro; nec quæ
Fingunt refello crimina.
16 Tota mihi in te uno spes est sita, tuque precantem
Haud aure dura respues.
17 Ne permitte, meis hostes, Deus optime, damnis
Sic efferantur impii:
Hi, si forte mihi nutent vestigia, læto
Plaudunt frementes murmure.
18 Ast ego, quas mihi cumque velis infligere pœnas,
Alacri subibo pectore;
Excipiam prono flagrorum vulnera dorso
Tua inferenda dextera.
19 Semper erit misero mea mens exercita luctu,
Et nulla noscam gaudia:
Crimina, ut opprobrio mihi sint, admissa fatebor,
Ob illa semper anxius.

20 Intereà augentur numeroque, & viribus hostes
Res ob secundas turgidi,
21 Detrectantque mihi, sector quod honesta, malumque
Loco rependunt gratiæ.
22 Casibus afflictum ne tantis desere, neve
A me recedas longius;
23 Quin rebus propera lapsis succurrere; nam spes
In te est salutis unica.

20 Inimici autem mei vivunt, & confirmati sunt super me, & multiplicati sunt, qui oderunt me inique.
21 Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.
22 Ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discesseris a me.
23 Intende in adjutorium meum, Domine Deus salutis meæ.

PSALMUS XXXVIII.

De linguæ custodia, deque hujus vitæ vanitate, ac miseria verba facit. Concludit postulando a Deo aliquod solatium; antequam ex hac vita discedat. Exaratus creditur hic Psalmus a Davide quo tempore probris conviciisque a Semei lacessitus non modo nihil respondit, verum etiam vetuit, ne quisquam ulcisceretur.

1 FIxum stat alto pectore (tramitis
Hac arte recti quam sequor orbitam
In omne nam tempus tenebo)
Instabilem cohibere linguam.
2 Hanc ergo frænis, hanc retinaculis
Duris revinxi tunc quoque, quum probris
Injuriosis immerentem
Me rabidus laceravit hostis.
3 Ne rixa fando surgeret aspera,
Pressi obstinato verba silentio
Ceu victus, etsi jus loquendi
Omne mihi daret æqua causa.
4 Sed more flammæ pectore conditus
Dolor sub imo exæstuat acrius,
Gentisque dum pravæ revolvit
Facta animus, mage fervet ira.
5 Mihi alme, dixi, tu Pater indica,
Nil namque mentis luminibus tuæ
Est abditum, quando supremus
Adveniet mihi finis ævi;

1 Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.
2 Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me.
3 Obmutui, & humiliatus sum, & silui a bonis, & dolor meus renovatus est.
4 Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.
5 Locutus sum in lingua mea, notum fac mihi Domine finem meum.

6 Et numerum dierum meorum quis est, ut sciam quid desit mihi.

6 Ut nosse detur, quam misero diu
Enavigandum sit mare turbidum,
Et quando cessabit molesta
Cura meum cruciare pectus.

7 Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea tamquam nihilum ante te.
8 Verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens

7 Per secla vitam fine carentia
Tu degis; ætas at mea sic brevi
Est termino comprensa, nil ut
Sit tibi composita: 8 heu! quid omnes
Quicumque terræ munere vescimur
Sumus? quid ipsa hæc quæ bona inutili
Persæpe sectamur labore
Sunt, species nisi vana somni?

9 Verumtamen in imagine pertransit homo, sed & frustra conturbatur.

9 Homo instar umbræ labilis avolat,
Ævoque frustra se cruciat brevi;
Contentus haud unquam paratis,

10 Thesaurizat, & ignorat, cui congregabit ea.

10 Addit opes opibus, tenaxque
Has mille servat clavibus, inscius
Ille an fruetur, quem sibi destinat
Heredem, an externum fugaces
Divitiæ dominum sequentur.

11 Et nunc quæ est expectatio mea? nonne Dominus? & substantia mea apud te est.

11 Quæ pectus ergo spes mihi roboret?
Fidumque quis sit confugium in malis,
Quum nec voluptates, nec aurum
Nostra queat saturare corda?
Tu solus hic es tu, Deus, omnia
In quo beatus possideo bona:

12 Ab omnibus iniquitatibus meis erue me, opprobrium insipienti dedisti me.
13 Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti, amove a me plagas tuas

12 Tu solve me culpæ revinctum
Nexibus, indecorisque turbæ
Ludibriis ne me amplius objice:
Diu illa probris me scidit, 13 os tamen
Silendo pressi, namque rebar
Cuncta tuo peragi arbitratu.
At vulnerum est sat, desine desine
Enerve corpus cædere, 14 nam tuæ

14 A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus, propter iniquitatem corripuisti hominem.

Heu! pene defeci sub ictu
Dexteræ, & attonitum tremendis
Me reddidisti vocibus; hæc licet
Justè nocentes pœna premat viros,
Malis ut attriti potentem
Te dominum trepidare discant.

15 Ut,

15 Ut, dente cæco quam tineæ vorant,
Vestis putrescit, flagitii reum
Sic pectus occultis adurges
Tu stimulis, & inane reddis
Quidquid cupido stulta hominum petit.
16 At vota, quæso, jam mea suscipe,
Genasque per tristes volutæ
Te lacrymæ, gemitusque flectant.
17 Ne me silendo despice, namque ego,
Tamquam viator, sarcina quem gravat,
Ad te æger extremis ab oris
Advenio, auxiliumque posco.
18 Permitte duris ergo laboribus
Mens fessa paulum se relevet, prius
Vitale quam lumen relinquens
Immemori tumulo recondar.

15 *Et* tabescere fecisti sicut araneam animam ejus, *verumtamen vane conturbatur omnis homo.*

16 *Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam, auribus percipe lacrymas meas.*

17 *Ne sileas, quoniam advena ego sum apud te, & peregrinus, sicut omnes patres mei.*

18 *Remitte mihi, ut refrigerer, priusquam abeam, & amplius non ero.*

PSALMUS XXXIX.

Gratias agit Deo Propheta, quod sese gravissimo discrimine liberaverit. Negat, se holocausta oblaturum, quippe qui totum se illi mancipaverit; oratque, ne ope divina in posterum destituatur.

1 REgis cœlicolûm dum patiens opem
Promissam opperior, lumine me bonus
Tandem propitio vidit, & ad meam
Aures applicuit precem.
2 Alto me e barathri gurgite, mors ubi
Et luctus stabulant, traxit, 3 & ardua
Me secum arripiens ad juga montium
Firmo constituit gradu.
4 Jam pro flebilibus promere næniis,
Ac tristi gemitu dulcia me jubet
Non audita prius carmina, nomini
Allatura decus suo.

1 *Expectans expectavi Dominum, & intendit mihi.*

2 *Et exaudivit preces meas, & eduxit me de lacu miseria, & de luto facis.*
3 *Et statuit super petram pedes meos, & direxit gressus meos.*
4 *Et immisit in os meum canticum novum, carmen Deo nostro.*

E 5 Qui-

v. 15. Hebr. Dissolvisti velut tineam desiderium ejus.

5 Videbunt multi & timebunt, & ſperabunt in Domino.

5 Quicumque hæc fieri viderit (omnibus
Sic o ſic liceat cernere!) maximum
Hic numen trepido corde verebitur,
Sperans hinc melius ſibi.

6 Beatus vir, cujus eſt nomen Domini ſpes ejus, & non reſpexit in vanitates & inſanias falſas.

6 Felices nimium, ſpes quibus auxilî
Inconcuſſa Deus, quos neque nominis
Quærendi ambitio ſollicitat, neque
Terrena alliciunt bona!

7 Multa feciſti tu Domine Deus meus mirabilia tua, & cogitationibus tuis non eſt qui ſimilis ſit tibi.

7 Quam ſunt multa tuæ magnaque dexteræ,
Quæ paſſim aſpicimus, prodigia o Deus!
Anne arcana tui abſcondita conſilî
Mens ulla aſſequier queat?

8 Annuntiavi, & locutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum.

8 Laudes ipſe tuas hac ſtudui tenus
Lætis per populos ſpargere vocibus;
Immenſa aſt adeo vis ſupereſt adhuc,
Nulli ut ſit numerabilis.

9 Sacrificium & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi.

9 Ritu ferre patrum quas tibi geſtii,
Solemnes renuis ſumere victimas:
At vis, ut dociles nutibus impiger
Aures admoveam tuis.

10 Holocauſtum, & pro peccato non poſtulaſti, tunc dixi, ecce venio.

10 Te pro flagitiis nulla piacula
Placant, mens etenim caſta litat Deo:
Tunc dixi: en ſceleris purus, & integer
Vitæ ad te venio, Deus.

11 In capite libri ſcriptum eſt de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.

11 Scripta hæc in tabulis verba fidelibus,
Me rite ut placitis ſubjiciam tuis:
Huc me vota ferunt, nam tua in intimo
Sculpta eſt lex animo mihi.

12 Annuntiavi juſtitiam tuam in eccleſia magna, ecce labia mea non prohibebo, Domine, tu ſciſti.

12 Me vulgare tuæ juſtitiæ decus
Audiſti in populi cœtibus inclyti,
Addictæque tuis (ſcis bene) laudibus
Haud linguæ impoſui modum.

13 Juſtitiam tuam non abſcondi in corde meo, veritatem tuam & ſalutare tuum dixi.

13 Quanta in judiciis integritas tuis,
Dictorumque fides, nube ſilentii
Haud preſſi, atque hominum certa quod unicus
Sis ipſe, edocui, ſalus.

14 Non abſcondi miſericordiam tuam, & veritatem tuam a concilio multo.

14 Quo gens cumque loco viſa frequentior,
Narrabam, facilis quam tua parcere
Sit cunctis pietas, quodque fidelitas
Nulli deficiat tua.

15 Ad

15 Adfis ergo bonus nunc mihi, & auxilî
Protectum toties me clypeo tui
Fidus nunc etiam protege, 16 17 nam malis
Heu! heu! innumeris premor:
Tot stringor scelerum nexibus, ut mei
Ipsos exsuperent jam capitis pilos;
Hinc me omnis miserum, qui fuit antea,
Cordis destituit vigor.
18 At tu; quæso, tuæ largus opis, Deus,
Verte ad me propere lumina, & ultimis
Mersum pene malis eripe numinis
Me patrocinio tui.
19 Hos diri pudeat criminis, aspero
Qui letho hanc animam absumere cogitant,
20 Quique in damna truces invigilant mea
Se dent præcipiti fugæ.
21 His ignominiæ perpetuò nota
Vultus inficiat, qui caput asperis
Hoc probris onerant, quique, ubi contigit
Quid lævi mihi, gestiunt.
22 At sincera animo gaudia sentiant
Quotquot te cup do pectore diligunt,
Inque uno sibi te queis posita est salus,
Laudes hi celebrent tuas.
23 Afflictor nimiis æger ego malis;
At te cura mei sollicitet, Deus.
24 O qui dulce mihi præsidium, in meam
Serus ne venias opem.

15 Tu autem Domine, ne longe fucias miserutiones tuas a me, misericordia tua & veritus tuu semper susceperunt me.

16 Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus, comprehenderunt me iniquitates meu, & non potui ut viderem.

17 Multiplicatu sunt super eupillos capitis mei, & cor meum dereliquit me.

18 Complaceat tibi Domine, ut eruas me, Domiue ad udjuvandum me respice.

19 Confunduutur, & revereantur simul, qui quarunt uuimum meam, ut uuferant eam.

20 Couvertantur retrorsum, & revereantur qui volunt mibi mala.

21 Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mibi, euge, euge.

22 Exultent, & lutentur super te omues quurentes te, & dicant semper, magnificetur Dominus, qui diligunt saluture tuum.

23 Ego autem mendicus sum & pauper, Dominus sollicitus est mei.

24 Adjutor meus, & protector meus tu es, Deus meus ne tardaveris.

P S A L M U S XL.

Beatos eos esse asserit, qui afflictis benefaciunt: deinde de fictis ac fraudulentis amicis acerrimè conqueritur, & pro sua incolumitate Deo supplicat.

1 Beatus ille ter quaterque, pauperis
Qui præbet aurem questibus,
Malisque presso qui levamen afferens,
Sortis rigorem temperat!

1 Beutus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.

2 Dominus conservet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum ejus.

3 Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus, universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.

4 Ego dixi Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi.

5 Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur, & peribit nomen ejus?

6 Et si ingrediebatur ut videret, vana loquebatur, cor ejus congregavit iniquitatem sibi.

7 Egrediebatur foras, & loquebatur in idipsum.

8 Adversum me susurrabant omnes inimici mei, adversum me cogitabant mala mihi.

9 Verbum iniquum constituerunt adversum me, numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat?

10 Etenim homo pacis meæ, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.

11 Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me, & retribuam eis.

12 In hoc cognovi, quoniam voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

Hunc namque, turbo quum malorum cinxerit,
Servabit incolumem Deus:
2 Huic vita felix, huic bonorum copia
Continget, & diri manus
Evadet hostis: 3 quum laborans ultimo
Morbo jacebit languidus,
Qui vim doloris sævientis mitiget,
Lecto assidens, erit Deus.
4 Tu, qui potenti cuncta torques numine,
Vultu pio me respice,
Dixi, & salutem redde pristinam mihi,
Quam culpa tristis abstulit.
5 Hostes precantur dira, meque devovent:
Quando hic peribit, & suum
Æterna nomen compriment oblivia?
6 Si quis jacentem lectulo
Invisit horum, blandiens suavibus
Me detinebat vocibus,
Dum fel tegebat acre sub præcordiis:
7 Vix namque primo e limine
Digressus, urbis pervagando compita,
Obmurmurabat pervicax.
8 Ore evomentes tunc venenum pestilens
Hostes, meis qui cogitant
Obesse rebus, 9 sic truces pronuntiant:
Obstrinxit hic se pessimo,
Quo non valebit liberari, crimine:
Nam quem Deus sic perculit,
An hic receptis viribus se faucibus
Lethi imminentis eximat?
10 Quid quod vir ille, quo nihil fidelius
Fore arbitrabar; qui meæ
Mensæ larisque particeps, me perfido
Tentavit astu perdere?
11 At tu benigno me tuere lumine,
Ægroque dextram porrige,
Ut, quod merетur, præmio nequissimam
Gentem vicissim munerer.
12 Index amoris certus hic erit tui,
Si clade non hostes mea

Gau-

Gaudere permittas: 13 ob innocentiam
Tu me tueris, quam colo,
Et sempiternùm me bonus tuebere;
14 Abrahamiæ stirpis Deo
Per cuncta laudes deferantur secula,
Gratesque agantur maximæ.

13 Me autem propter innocentiam suscepisti, & confirmasti me in conspectu tuo in æternum.
14 Benedictus Dominus Deus Israel a seculo, & usque in seculum, fiat, fiat.

FINIS LIBRI PRIMI.

PARAPHRASIS POETICA

IN LIBRUM SECUNDUM PSALMORUM

PSALMUS XLI.

Hostium suorum furore a patria abactus vivido flagrat desiderio, ut templum Domini revisat, seque ipsum spe patriæ repetendæ consolatur.

1 Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.

1 UT cervus fugiens truces molossos,
Vexatusque siti anxiè requirit
Puri fontis aquas, quibus labore
Fractos immodico relaxet artus,
Te sic te, Deus, expetit, tuique
Hoc cor deficiens amore languet.

2 Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?

2 In te uno incipiuntque, desinuntque
Cordis vota mei omnia, o perennis
Vitæ fons mihi, & omnium bonorum.
O quando ille aderit dies beatus,
Dies aureus, omniumque, quotquot
Nasci vidimus, optimus dierum,
Tuum quo mihi des adire templum!

3 Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus?

4 Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.

5 In voce exultationis, & confessionis, sonus epulantis.

3 Noctes atque dies gemo; dolorque
Se pascit lacrymis amarulentis,
His dum turba rogat proterva dictis:
Dic, ubi Deus est tuus: quid ægrum
Sic te deserit? 4 Obruor malorum
Hoc dum turbine, cogitatione
Pectus hac quoque identidem acquiescit,
Tempus scilicet illud affuturum,
Quo templum mihi numinis licebit
Sanctum scandere; 5 gestientis inter
Choreas populi, sacrosque cantus.

6 Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?

6 Tot ergo bona si tibi parantur,
Cur mœres, anime, asperoque tandem
Modum ponere cur negas dolori?

7 Ti-

7 Tibi spem Deus excitet salutis,
Nam malis vacui omnibus, metuque
Adhuc carmina læta concinemus.
8 Hæc me flebilibus modum querelis
Jubent figere; saltuosa circum
Jordanis licet incolam, Hermonisque
Inculti nemora: hinc anhelat unum
Te mens, teque memor colitque, amatque.
Non hoc una ferit caput procella,
Facto sed velut agmine hac & illac
Urget me alluvio omnium malorum.
Curæ cura, dolor subit dolori,
Nec est ulla quies: 10 tenebricosis
Ut e nubibus imber, & sonoræ
Ruit copia grandinis, satisque
Affert exitium, fragore vasto
Dum cœlum horrificè tonat, tui sic
Prostratus jaceo impetu furoris.
11 Sed me lumine lætiore spectans
Malis eripies, & alma tandem
Lux pellet tenebras; 12 at atra dum nox
Me premet, tibi supplicare pergam,
Laudes dicere nec tuas omittam.
Te flens alloquar: o salus, meæque
Vitæ præsidium, Deus, 13 quid eheu!
Quid sic immemor es mei, gravique
Me luctu sinis opprimi, scelesti
Dum me hostes cruciant? 14 Mea ossa tamquam
Ferri cuspide dividunt acuta,
15 His dum turba rogat proterva dictis:
Dic, ubi Deus est tuus: quid ægrum
Sic te deserit? 16 Inquies sed heu! tu
Cur mœres, anime, asperoque sic me,
Teque ipsum stimulo doloris urges?
Tibi spem Deus excitet salutis,
Nam malis vacui omnibus metuque
Adhuc carmina læta concinemus.

7 Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, & Deus meus

8 Ad meipsum anima mea conturbata est, propterea memor ero tui de terra Jordanis, & Hermoniim a monte modico.

9 Abyssus abyssum invocat, in voce cataractarum tuarum.

10 Omnia excelsa tua, & fluctus tui super me transierunt.

11 In die mandavit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum ejus.

12 Apud me oratio Deo vitæ meæ, dicam Deo, susceptor meus es.

13 Quare oblitus es mei? & quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?

14 Dum confringuntur ossa mea, exprobraverunt mihi qui tribulant me inimici mei.

15 Dum dicunt mihi per singulos dies, ubi est Deus tuus? quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?

16 Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, & Deus meus

PSALMUS XLII.

A gente profana & impia liberari petit; & duci ad domum Dei, sacrificaturus & laudaturus Deum, seque ipsum spe divini auxilii excitat, atque confirmat.

1 Judica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo, & doloso erue me.

2 Quia tu es Deus fortitudo mea, quare me repulisti? & quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

3 Emitte lucem tuam & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.

4 Et introibo ad altare Dei, ad Deum, qui lætificat juventutem meam.

5 Confitebor tibi in cithara Deus Deus meus, quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?

6 Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, & Deus meus

1 DEfende causæ jura tu meæ; Deus,
Salvumque gente ab improba
Me redde, &, hostis arte quos nefaria
Dolos paravit, amove.
2 Si robur omne tu mihi, si credidi
Tuo salutem numini,
Cur me repellis, cur dolore maceror,
Dum me hostis urget impius?
3 Ah! dura nobis desinat captivitas,
Promissa lux & fulgeat,
Qua noctis atræ nos diu prementia
Jam dissipentur nubila.
Tui illa nobis montis ad fastigia
Viam antecedens indicet,
Fundata templi quo super moles tui
Surgit propinqua nubibus.
4 Tunc ipse puris vestibus circumdatus,
Dulcique mentem gaudio
Perfusus accedam ad tuam aram, 5 barbiton
Pulsans canorum dextera,
Tuisque carmen dedicatum laudibus,
Parens benigne, proferam.
At tu quid anima tamdiu mœres mea,
Et me dolore conficis?
6 Tibi sit omnis in Deo fiducia,
Illique grates reddito:
Salus ab illo nam tibi certissima
Veniet, & omnis faustitas.

PSAL-

PSALMUS XLIII.

Vetera Dei beneficia in Israeliticum populum commemorat, suasque calamitates deflet, Deumque exorat, ut populo causa religionis variè vexato, & impiorum libidini impune exposito benignè subveniat.

† 2 O Alme rector cœlicolûm, tua
Nostras ad aures non tulit inclyta
Tot facta rumor, sæpe falsi
Nuntius; at retulere nostri
Nobis parentes fallere nescii
Quidquid vel ipsis testibus egerás,
Vel quidquid antiquis avorum
Temporibus didicere gestum.
3 Pollente dextra tu populos suis
Eliminasti finibus impios,
Nostrosque fecisti beata
Ut regio exciperet parentes.
4 Virtusne duri militis, armaque
Hostes fugassent fortia, ni tui,
Qua cuncta torques, adfuisset
Numinis haud superanda virtus?
5 Quos luce vultus irradias tui,
Tibique charos protegis, haud furor
Hostilis, adversæque tela
Haud quatient metuenda fortis.
6 O rex, & idem qui mihi es inclytum
Numen, tuis si nutibus omnia
Reguntur, ah! salvi jubeto
Iacidæ, tua cura, surgant.
7 Nobis te amico, sæpe acies retro
Formidolosas fudimus hostium,
Tuaque dextra deprimente
Sub pedibus jacuere nostris.
8 Nam nulla nobis spes in aheneo
Arcu, sagittisque, aut gladio fuit;
9 Ast omnis a te uno profecta est
Nostra salus, odioque tristi

Qui

1 Deus, auribus nostris audivimus, patres nostri annuntiaverunt nobis.
2 Opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.

3 Manus tua gentes disperdidit, & plantasti eos, afflixisti populos, & expulisti eos.

4 Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non salvavit eos.

5 Sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis.

6 Tu es ipse rex meus & Deus meus, qui mandas salutes Jacob.

7 In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.

8 Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non salvabit me.
9 Salvasti enim nos de affligentibus nos, & odientes nos confudisti.

10 In Deo laudabimur tota die, & in nomine tuo confitebimur in seculum.

11 Nunc autem repulisti & confudisti nos, & non egredieris Deus in virtutibus nostris.

12 Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros, & qui oderunt nos, diripiebant sibi.

13 Dedisti nos tamquam oves escarum, & in gentibus dispersisti nos.

14 Vendidisti populum tuum sine pretio, & non fuit multitudo in commutationibus eorum.

15 Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem & derisum his qui sunt in circuitu nostro.

16 Posuisti nos in similitudinem gentibus, commotionem capitis in populis.

17 Tota die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me.

18 A voce exprobrantis, & obloquentis, a facie inimici, & persequentis.

19 Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te, & inique non egimus in testamento tuo.

20 Et non recessit retro cor nostrum, & declinasti semitas nostras a via tua.

Qui nos premebant, opprobrio, Deus,
Turpi obruisti; 10 gloria nominis
Idcirco florebit per ævum
Omne tui, & sine fine sacris
Te prosequemur laudibus. 11 At modo
Ut versa tristi sunt vice tempora!
Dum nos repellis, despicisque
Heu! miseros, neque nostra curæ
Tibi est in hostes agmina ducere:
12 Fugæ hinc paventes præcipiti dare
Nos terga cogunt, & Tuorum
Exsuviis potiuntur hostes.
13 Nos, destinatas ceu pecudes neci,
Horum libido respicit, & solo
A patrio extorres vagamur
Per varias sine honore gentes.
14 Venire parvo nos pretio, ut malam
Mercem tulisti: quod semel obtulit
Avarus emptor, distrahendis
Isacidis satis esse duxti.
15 Quicumque circum nos habitat, malis
Sese Tuorum recreat impius,
Risuque despectans amaro
Probra truci jaculatur ore.
16 Quid plura? Facti fabula gentibus
Sumus profanis, inque pudens jocus,
In nostra dum quassant procaces
Damna caput, caperantque frontem.
17 Noctes diesque ore insidet in meo
Pudor, soloque heu! lumina sunt mihi
Defixa semper, 18 dum malignis
Vocibus obloquitur, minaxque
Me terret hostis: 19 mole tot obruti
Flemus malorum; pectore non tamen
Dilapsus es nostro, tuæque
Nos penes inviolata legis
Stetere jussa; 20 & perfidiæ reos
Nec terga fœdè nos tibi vertere,
Nec recta vidisti viarum
Deseruisse timore victos;

21 A

21 A te repulsos gens licet urgeat
Draconibus crudelior, & prope
Horror tenebrosus sepulcri
Parte premat miseros ab omni.
22 Tui at fuisset nominis immemor
Si forte nobis mens, & inanium
Ad surda vertissent Deorum
Isacidæ simulacra palmas;
Stultè precati, 23 num tibi, in intimos
Cordis recessus qui penetras, nefas
Id quisset abscondi, tuæque
Nonne fragor sonuisset iræ?
24 Te propter invisi heu! sumus omnibus,
Datique letho, quotquot eunt dies,
Immanis, ut cæsæ bidentes,
Ingluviem satiamus hostis:
25 Exsurge: quid jam quid, Deus, amplius
In nostra cessas auxilia? impiger
Exsurge, nec semper repelle,
Quæ te humilis colit usque, gentem.
26 Cur nostra vultu despicis aspero
Lamenta, luctus, funera? An immemor
Sic esse perges, & Tuorum
Nulla animum tibi cura tanget?
27 28 En indecoro in pulvere vultibus
Fixis precamur te, Deus: adjuva
Tot nos in ærumnis, tuaque
Incolumes bonitate redde.

21 Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos umbra mortis.

22 Si obliti sumus nomen Dei nostri, & si expandimus manus nostras ad Deum alienum.

23 Nonne Deus requiret ista? ipse enim novit abscondita cordis.

24 Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis.

25 Exsurge, quare obdormis Domine? exsurge, & ne repellas in finem.

26 Quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopia nostra, & tribulationis nostra?

27 Quoniam humiliata est in pulvere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster.

28 Exsurge Domine, adjuva nos, & redime nos propter nomen tuum.



PSAL-

ỷ. 21. Hebr. In loco draconum.

PSALMUS XLIV.

Excellens carmen Epithalamicum, quod, ut communis ferme omnium interpretum docet opinio, in nuptiis Salomonis cum filia Pharaonis vel Salomon ipse, vel aliquis coævus Propheta exaravit, pronubisque tradidit, ut in solemni pompa caneretur, deinde ut a filiis Core utpote propheticum carmen ac divinum in templo recitaretur. Innitur enim sublimiori sensu ineffabilis Christi cum Ecclesia conjunctio. Sponsi ac Sponsæ dotes quamplurimæ recensentur, & hujus admirabilis conjunctionis felicitas exprimitur.

1 Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi.

2 Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis.

3 Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.

1 JAm mea concepere sacras præcordia flammas,
Et pleno voces aditum de pectore quærunt:
Carmina fert animus regi nova dicere; dextræ
2 At celeri scribentis erit par lingua loquendo.
3 Tu natos hominum, forma pulcherrimus, omnes
Exsuperas, speciemque tui quum fingeret oris
Gratia, cœlesti perfudit nectare labra:
Hinc tibi, nil mirum, donis tam grandibus aucto
Imperium æternos numen quod servet in annos.

4 Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime.

5 Specie tua, & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna.

6 Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua.

7 Sagitta tua acuta, populi sub te cadent, in corda inimicorum regis.

8 Sedes tua Deus in seculum seculi, virga directionis virga regni tui.

9 Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus

4 Cinge tuum cinge ense latus; rex inclyte; 5 tanta
Quum te majestas decoret: sint prospera cœptis
Cuncta tuis, regnumque tua virtute capesse.
6 Tu Veri ingenito præfulges lumine, teque
Mores exornant placidi, studiumque tuendæ
Justitiæ; tuaque augustis assueta triumphis
Egregias res dextra geret: 7 tu pectus acuta
Cuspide transadiges hosti; cogesque subactas
Se tibi submisso prosternere poplite gentes.
8 Nulla tuam poterunt, e qua regis omnia justis
Legibus, omnivora vi secula carpere sedem;
9 Quodque Æqui tibi mirus amor, malefactaque abhorres,
Siderei idcirco summus tibi rector Olympi
Ube-

Uberius læto frontem perfudit olivo,
Te cunctis regni anteferens consortibus unum.
10 E loculis tibi quum vestes promuntur eburnis,
Quales hinc myrrhæ, stactæque suavis odores,
Et casiæ adspirant! Magnis e regibus ortæ
Ad tua lætantes accurrunt jussa puellæ.
11 At consors thalami quæ se regina locavit
Dextra e parte tibi quam divite splendet amictu,
Quamque illa & gemmis & puro intermicat auro!
12 O felix audi me filia, remque sub alto
Pectore conde memor: tanti dignata superbo
Quum sis conjugio regis, vale dicere patri
Propter eum haud dubita, patriasque relinquere sedes.
13 Ille tua captus specie te obtutibus unam
Sollicitis, unam cupida te mente sequetur.
At tu, ceu dominum, supplex venerabere votis,
Obsequioque coles; nec te certasse priorem
Officio secum pigeat: 14 tibi murice tinctas
Assyrio vestes mittet Tyros inclyta, quique
Sunt mage præstantes opibus, rerumque potentes
Supplicibus poscent votis tibi fœdere jungi.
15 Hæ quamquam insigni, regalis filia, cultu
Te vestes decorant, variaque in luce refulges,
Fimbria quam late jaculatur textilis auri;
Attamen egregiæ, placido quas pectore servas,
Virtutes longe te magnificentius ornant.
16 Longa puellarum tecum manus ibit, avito
Quæ tibi conjunctæ sunt sanguine, teque sequentis
17 Clamores inter populi, festasque choreas
Composito adducent gressu regalis in aulæ
Limina, & augebunt hilaris spectacula pompæ.
18 Nascetur soboles ex te numerosa, parentes
Quæ tibi ob amissos mœrenti dulce levamen
Afferet: imperii hæc minuet tibi sedula curas,
Atque reget lata populos ditione superbos.

oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

10 *Myrrha, & gutta, & casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te, filiæ regum in honore tuo.*

11 *Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.*

12 *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum patris tui.*

13 *Et concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.*

14 *Et filiæ Tyri in muneribus, vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.*

15 *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.*

16 *Adducentur regi virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi.*

17 *Afferentur in lætitia & exultatione, adducentur in templum regis.*

18 *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos principes super omnem terram.*

19 Memores erunt nominis tui in omni generatione & generationem.
20 Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, & in seculum seculi.

19 Illa tuæ ad feros laudis decora alta nepotes
Carmine transmittet memori: 20 tibi semper honores
Conspicuos utroque ferent ab litore gentes.

PSALMUS XLV.

Nullam timoris causam Hierosolymitanæ civitati esse ostendit, quum ipsa sub potentis Dei degat patrocinio, cœlestiumque donorum flumine uberrimè fæcundetur. Hic quoque Psalmus cum tribus sequentibus a filiis Core exaratus creditur.

1 Deus noster refugium, & virtus, adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.
2 Propterea non timebimus, dum turbabitur terra, & transferentur montes in cor maris.
3 Sonuerunt, & turbatæ sunt aquæ eorum, conturbati sunt montes in fortitudine ejus.
4 Fluminis impetus lætificat civitatem Dei, sanctificavit tabernaculum suum altissimus.
5 Deus in medio ejus, non commovebitur, adjuvabit eam Deus mane diluculo.
6 Conturbatæ sunt gentes, & inclinata sunt regna, dedit vocem suam, mota est terra.
7 Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob.
8 Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad finem terræ.
9 Arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni.

1 QUum fors sæva gravi turbine personat,
Nobis fida salus est Deus; hic sua
Nos virtute tegit, præsidio fovet.
2 Hinc terram insolitus si tremor occupet,
Montesque e propriis sedibus eruti
Currant in medium præcipites salum,
Haud monstra hæc animis incutient metum.
3 Mugitu horribili si mare perstrepens
Immanè intumeat gurgite spumeo,
Egressumque suis finibus arduas
Rupes perpetuis verberet ictibus;
4 5 Hanc urbem placido qui rigat agmine
Securam fluvius reddet, & illius
Cives læta trahent tempora; nam sibi
Heic templum posuit maximus ætheris
Rector: quo trepident solliciti metu,
Quos numen valida præveniens ope
Observat vigili lumine? 6 Turbidis
En fervent populi seditionibus,
Et regna exitio proxima jam labant:
Ut vox insonuit numinis, illico
Terra omnis tremuit; 7 sed regit exitus
Qui belli ancipites, Isaciam hic domum
Custos prævalido numine protegit.
8 Huc gressum, o populi, vertite, & inclyta
Portenta attonito lumine cernite,
Quæ rex omnipotens prodidit: 9 impium
Bellum

Bellum ipse Isaciis finibus obstrepens
Repressit penitus, nexibus æreis
Et septemgemina compede vinciens;
Arcus cum jaculis fregit, & ignibus
Incendit clypeos; 10 jamque quiescite
A curis vacui, clamat, & omnia
Jussis esse meis subdita noscite,
Divinisque meum numen honoribus
Unum rite coli. 11 Qui regit exitus
Bellorum ancipites, Isaciam hic domum
Custos prævalido numine protegit.

10 Vacate, & videte quoniam ego sum Deus, exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra.

11 Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob.

PSALMUS XLVI.

Universas gentes ad laudes Deo canendas invitat, dum ejus Arca cum triumpho atque exultatione defertur.

1 INvicem læto fremite eja plausu,
Et Dei laudes celebrate dulci
Carmine, o quotquot sub utroque gentes
Degitis axe.
2 Ille nam terræ pelagique rector,
Quo tremit rerum series loquente,
Cujus assurgunt, pereuntque nutu
Regna potenti,
3 Oppida en nobis valida, efferasque
Subdidit gentes, nimiumque nostros
Ad pedes fastum tumidæ coegit
Ponere mentis.
4 Nos sibi e cunctis bonus ipse namque
Ultro selegit populis, vetusti
Qui sumus clara Isacidæ propago,
Grata Tonanti.
5 Cernite, ut densa populi corona
Septus in sacram modo scandit arcem,
Et tubæ ut circum, lituique clangunt
Ære canoro?
6 7 Ergo vos Patri superûm beato,
Omnia æternis moderanti habenis
Plau-

1 Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis.

2 Quoniam Dominus excelsus, terribilis, rex magnus super omnem terram.

3 Subjecit populos nobis, & gentes sub pedibus nostris.

4 Elegit nobis hæreditatem suam, speciem Jacob, quam dilexit.

5 Ascendit Deus in jubilo, & Dominus in voce tubæ.

6 Psallite Deo nostro, psallite, psallite regi nostro, psallite.

7 Quoniam rex omnis terræ Deus, psallite sapienter.

Plaudite, & laudes iterate magno
Numine dignas.

8 Regnabit Deus super gentes, Deus sedet super sedem sanctam suam.

8 Jam super victas sua sceptra gentes
Extulit late dominator orbis,
Et sibi æternam super astra fixit
Flammea sedem.

9 Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, quoniam dii fortes terræ, vehementer elevati sunt.

9 Gentium en lecti proceres, ducesque
Se Deo Abrami sociant, Deisque
Hunc suis longe unanimi altiorem
Voce fatentur.

PSALMUS XLVII.

Ob ædificationem arcis Sion, seu civitatis Davidicæ, in qua Arcæ domicilium futurum erat, lætissimè gratulatur. Hanc Deum a profanorum regum principumque conatibus tueri dicit: ordinem, magnitudinem, pulchritudinemque fabricæ per partes expendit, Deoque gratias agit, quod populo exoratus hanc arcem ad sui nominis gloriam propagandam ædificari permiserit.

1 Magnus Dominus, & laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.

2 Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion, latera aquilonis, civitas regis magni.

1 Laudibus æterni resonent hæc mœnia regis
Auspiciis surgunt quæ reparata suis.
2 Jam lætos inter plausus, festivaque vulgi
Gaudia Sioniis arx sedet alta jugis:
Ad Boream oppositus mons est, quo condita magni
Numinis urbs longe conspicienda patet.

3 Deus in domibus ejus cognoscetur, cum suscipiet eam.

3 Heic habitare Deum, hanc armis tutarier urbem
Nubibus aeriis æmula tecta docent:

4 Quoniam ecce reges terræ congregati sunt, convenerunt in unum.

5 Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos.

6 Ibi dolores ut parturientis, in spiritu vehementi conteres naves Tharsis.

4 Nam magnis florentem opibus populare tyranni
Dum fortes junctis viribus approperant,
5 Vix bene conspecta, pallor stetit ore, per ima
Frigidus attonitis fluxerat ossa tremor.
6 Ut miseras matres, partus ubi venerit hora,
Sic regum invasit tristia corda dolor.
Hostiles formido acies dispserserat, Euri
Disjicit ut trepidas sæva procella rates.

7 Quæ

7 Quæ nobis ventura olim cecinere parentes,
Vidimus ærerna in numinis urbe geri.
8 Sæpe tibi in templo, Pater optime, vota precesque
Fudimus, & tandem fers miseratus opem.
9 Fama tui ut magnum peragravit nominis orbem,
Sic volitent laudes cuncta per ora tuæ.
Semper agit rectè tua dextera, sive scelestis
Illa paret pœnas, præmia sive piis.
10 Alma Sion, Judæque tibi cuncta oppida plaudant,
Corripiet fontes quum sua pœna viros;
11 Vosque Sionæi, posita formidine, cives
Circum magna urbis mœnia ferte pedem:
Cernite, quam fossis, munitaque turribus altis,
12 13 Quam pulcra urbs domibus, quam spatiosa viis.
Edifcat soboles hinc postera, numinis almi
Nos ope perpetua, præsidioque tegi.

7 Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri, Deus fundavit eam in æternum.

8 Suscepimus Deus misericordiam tuam, in medio templi tui.

9 Secundum nomen tuum, Deus, sic & laus tua in fines terræ, justitia plena est dextera tua.

10 Lætetur mons Sion, & exultent filiæ Judæ, propter judicia tua Domine.

11 Circumdate Sion, & complectimini eam, narrate in turribus ejus.

12 Ponite corda vestra in virtute ejus, & distribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera.

13 Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, & in seculum seculi, ipse reget nos in secula.

PSALMUS XLVIII.

Opum inutilitas, quæ vitam producere nequeunt, ostenditur. Mortem vitari non posse, atque omnes per eam æquari: illos autem miseros esse ait, qui in quo vera felicitas consistit ignorant, quique se belluis ratione carentibus similes efficiunt.

1 Quotquot sol oriens aspicit, aut cadens
His aurem populi advertite vocibus,
Auditasque sub alto
Res defigite pectore.
2 Audite, ex humili sanguine qui genus
Obscurum trahitis; vosque, fugacibus
Quos fortuna beavit
Gazis, atque potentia.
3 Nil heic vaniloquum; nam sapientiæ
F Hau-

v. 2. *Hebr.* *Filii viri*, idest nobiles.

1 Audite hæc omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis orbem.

2 Quique terrigenæ, & filii hominum, *simul in unum dives, & pauper.*

3 Os meum loquetur sapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam.

Hausta e fonte canam; quodque reconditum
Imis sensibus hæret,
Pandam consilium grave.

4 Inclinabo in parabolam aurem meam, aperiam in psalterio propositionem meam.

4 At responsa prius numinis audiam
(Namque afflante loquar numine) & abdita
Rerum rite resolvens
Aptabo citharæ modis.

5 Cur timebo in die mala? iniquitas calcanei mei circumdabit me.

5 Cur formido mihi cor quatiet, dies
Quum fœcunda mali venerit ultima?
Vitæ errata prioris
Hunc hunc incutient metum.

6 Qui confidunt in virtute sua, & in multitudine divitiarum suarum gloriantur.

6 Hæc altè memori pectore figite
Vos o, prævalido robore virium
Quos fretos, opibusque
Tollit spiritus insolens.

7 Frater non redimit, redimet homo, non dabit Deo placationem suam.

7 Sceptro omnes domitans mors adamantino
Nullas surda preces excipit; hinc semel
Quem demisit ad Orcum,
Non, hinc ut redeat, finit.
Non, si pro misero frater amabilis
Numen perpetua sollicitet prece:

8 Et pretium redemptionis animæ suæ, & laborabit in æternum, & vivet adhuc in finem?

9 Non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes? simul insipiens & stultus peribunt.

10 Et relinquent alienis divitias suas, & sepulcra eorum domus illorum in æternum.

8 Haud donis, pretiove
Ulli terrigenûm moram
Morti afferre avidæ fas, neque longior
Continget positis orbita terminis:
9 Stultos, & sapientes
Lethi dura necessitas
Æqua lege rapit: 10 corde quid anxio
Ergo sic homines divitiis student
Cogendis sine fine,
Nec quidquam est animo satis;
Si linquenda aliis cuncta, ubi compulit
Mors in perpetuam noctem, & in horrida
Muti claustra sepulcri?

11 Tabernacula eorum in progenie & progenie, vocaverunt nomina sua in terris suis.

11 Saxo quid Paryo juvat
Extruxisse suis tecta nepotibus,
Ut fama egregii nominis ultimas
Se se extendat in oras?
Curæ heu prorsus inutiles!

12 Et homo, cum in honore esset, non intellexit, compa-

12 Si claram eximiæ sortis originem
Alto sæpe homines pectore volverent,

Ævum

Ævum non agerent par
Brutis mente carentibus.
13 Vivendi hæc ratio prava nepotibus
Causas heu! miseris exitii dabit,
Nam pejora probabunt
Abjectis melioribus.
14 At, qualis pecudes trux lupus, in scrobe
Depascet positos mors fera: 15 tunc piis
Respirare licebit,
Excussaque tyrannide
Ipsi jura dabunt gentibus; improbos
Nam regna accipient luce carentia,
Unde ardor dominandi,
Et vana ambitio est procul.
16 Huic longè absimilis, quum mea ferreus
Somnus condiderit lumina, sors mihi
Continget, superisque
Me in regnis statuet Deus.
17 Urat non animum livor edax, tuæ
Nec menti insinuet se stupor, impium
Si quem gloria, & auctum
Multis divitiis vides.
18 Nam secum moriens nulla feret bona;
Fastu & regifico qui modo turgidum
Stipant ordine longo,
Servi tunc capient fugam.
19 Hunc, quod deliciis mollibus, & levi
Indulsit genio, turba superstitem,
Cui traducere secum
Jucundos placuit dies,
Ad cœlum egregiis laudibus extulit:
20 Verum ut summa dies patribus addidit,
Pressum nocte perenni
E mente immemores fugant.
21 Si quam conspicua sunt ab origine
Mortales animo sæpe revolverent,
Vitam mente carentum
Brutorum haud agerent parem.

ratus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.

13 *Hæc via illorum scandalum ipsis*, & postea in ore suo complacebunt.

14 *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos*
15 *Et dominabuntur eorum justi in matutino, & auxilium eorum veterascet in inferno a gloria eorum.*

16 *Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me.*

17 *Ne timueris, cum dives factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus ejus.*

18 *Quoniam cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus.*

19 *Quia anima ejus in vita ipsius benedicetur, confitebitur tibi, cum benefeceris ei.*

20 *Introibit usque in progenies patrum suorum, & usque in aeternum non videbit lumen.*

21 *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.*

F 2 PSAL-

v. 13. *Et posteri eorum verbis ipsorum delectabuntur*, hoc est probabunt, & imitabuntur.

PSALMUS XLIX.

Asaphus Poeta celeberrimus, idemque musicæ Præfectus, qui ut in lib. Paralipomen. legitur Salomonis & Davidis ætate floruit, hunc Psalmum non cecinisse modo, sed & exarasse communiter creditur. Hujus nomine extant alii undecim Psalmi, quum magnæ aliorum parti modos fecerit. Ejus ingenium hoc habuit peculiare, ut de rebus tristibus meditaretur. In hoc autem Psalmo juxta literalem Prophetæ sensum Dei adventus cum terribili apparatu describitur ex Sione in Babylonicam civitatem, ut populum suum e captivitate liberet, impiosque plectat; bonosque mærentes, quod consueta sibi sacrificia eo tempore offerre non possent, soletur. Inanis autem illorum fiducia, qui spem in solis legalibus sacrificiis collocant, impiorumque consuetudo acerrimè redarguitur, quibus gravissima Deus ipse supplicia minitatur.

1 COElicolûm, atque hominum rector, quo terra loquente
Tremiscit omnis, ad suum
Advocat Isacidas
Conspectum: 2 adveniunt quotquot sunt solis ab ortu
Occasum ad usque: splendida
Undique lux niveo
Cingit amictu alta venientem e rupe Sionis;
3 Et jam patenti numine
Cernere conspicuum
Se dedit, haud hominum culpas, temerataque jura
Alto premens silentio.
4 Igneus ante pedes
Prærapido torrens fluit agmine, truxque procella
Effusa circum murmure
Infremit horrifico.
5 Judicii in testes terram vocat ipse, polumque,
De gente quod feret sua.
6 Agmen in unum alacres

1 Deus deorum Dominus locutus est, & vocavit terram.

2 A solis ortu usque ad occasum, ex Sion species decoris ejus.

3 Deus manifeste veniet, Deus noster, & non silebit.

4 Ignis in conspectu ejus exardescet, & in circuitu ejus tempestas valida.

5 Advocabit cælum desursum, & terram discernere populum suum.

6 Congregate illi sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia.

Cogen-

Cogentur, quotquot solemni fœdere pactas
Deo obtulere victimas.
7 Conscius incipiet
Æther justitiam tunc evulgare Tonantis,
Et nuntiabit, judicem
Orbis adesse Deum.
8 O gens Isacidæ, mea gens, tunc inquiet, audi;
Amoris in te nam mei
Testem adhibere juvat
Te mihi: numen ego, genitorque in rebus acerbis
Tibi benignus affui;
9 Nec queror, usta meis
More patrum fuerit quod victima parcior aris,
Hoc namque stat cordi minus:
Qua mihi mente lites,
Hoc unum inspicio: 10 e stabulis pinguesne requiro
Tuis juvencos offeras
Ut mihi, deque tuo
Sacrifices grege selectas num posco capellas?
11 Me me ferarum agrestium,
Me pecudum omne genus
Saltubus herbiferis errans Dominumque, Deumque,
Agnoscit; 12 &, quæ nubium
Ardua tranat iter,
Nota mihi volucrum gens est, per me illa canoræ
Stirpis propagat secula;
Meque jubente solum
Parturit, & flavis decorantur messibus arva.
13 Haud rebus ullis indiget,
Numine cuncta suo
Qui pascit, rerumque penes quem summa potestas.
14 An stulta tu me existimas
Carnibus altilium
Taurorum vesci, mactatorumque caprorum
Fuso cruore prolui?
15 Nulla mihi pecudum

7 Et annuntiabunt cœli justitiam ejus, quoniam Deus judex est.

8 Audi populus meus, & loquar, Israel, & testificabor tibi, Deus Deus tuus ego sum

9 Non in sacrificiis tuis arguam te, holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.

10 Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos.

11 Quoniam mea sunt omnes feræ silvarum, jumenta in montibus, & boves.

12 Cognovi omnia volatilia cœli, & pulchritudo agri mecum est.

13 Si esuriero, non dicam tibi, meus est enim orbis terra, & plenitudo ejus.

14 Numquid manducabo carnes taurorum? aut sanguinem hircorum potabo?

15 Immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.

Sunt in deliciis libamina: fer mihi puro
Tu ſacra laudis pectore,
Votaque ſolve reus.

16 *Et invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.*

16 In miſeris tunc rebus opem me poſce, meoque
Reddam favore ſoſpitem:
At memor ipſe mihi
Perſolves tanto pro munere laudis honorem:
Hæc una merces poſcitur,
Hæc mihi ſola placet.

17 *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?*

18 *Tu vero odiſti diſciplinam, & projeciſti ſermones meos retrorſum.*

17 Mox fera in adverſam convertens lumina partem
Sic increpabit impium:
Quid mea ſacrilegis
Fœdera tu recitas labris, 18 aliiſque verendam
Qua fronte legem prædicas,
Te renuente ſequi?

19 *Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.*

19 Tu, fure aſpecto, te extemplo in furta ſodalem
Huic obtuliſti; adulteri
Quos nota polluerat,
His te conſocians, ſtimulante libidine, caſtas
Tentare es auſus conjuges:

20 *Os tuum abundavit malitia, & lingua tua concinnabat dolos.*

20 Libera fræna tuæ
Laxaſti linguæ, vafro quæ ſemper amabat
Aſtu, doliſque fallere.

21 *Sedens adverſus fratrem tuum loquebaris, & adverſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum, hæc feciſti, & tacui.*

21 Plura quid objiciam,
Si te non puduit maculoſo murmure fratris
Sciſciſſe famam, cui tua
Lac dedit ipſa parens?
Hæc tu patraſti execranda, fera, impia; & ipſe
Silendo cuncta pertuli.

22 *Exiſtimaſti inique, quod ero tui ſimilis, arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam*

22 Num tamen eſſe tui
Me duxti aſſimilem, tua crimina conniventi
Ut præterirem lumine?
Non ita; digna tuis,
Improbe, promeritis dabo præmia, nam tibi vitæ
Facta exprobrabo turpia, ut
Sint tibi ſupplicio.

23 *Intelligite hæc, qui obliviſcimini Deum, nequando rapiat, & non ſit qui eripiat.*

23 Vos o juſtitiam obliti, legemque Tonantis
Corde hæc ſub alto condite:
Nam mea dextra ſemel

Si

Si quem plectendum arripiat, vis nulla furori
Auferre sit potis meo.
24 Laudibus ipse sacris,
Quas mihi lingua palam cordi non dissona cantat,
Oblector: hoc ritu litat
Qui mihi, salvus erit.

24 Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei.

PSALMUS L.

Fervida pœnitentis Davidis oratio, in qua Deum efficacissimis rationibus ad commiserationem flectere conatur. Veniam pro adulterio, atque homicidio primum petit, deinde ne in ejusmodi peccata in posterum labatur, auxilium exposcit.

1 2 O Qui reorum fletibus, & pia
Prece invocantum, rex bone, flecteris,
Te, quæso, placatum gementi
Redde mihi, veniæque largum.
3 Tu cor pudendis elue sordibus,
Noxæque quidquid restat adhuc meæ
Absterge, dum purum sit omnis
Nequitiæ, scelerisque pectus.
4 Meum ipse nosco crimen, & anxia
Quocumque verto lumina, se truci
Fit obvium aspectu, repletque
Corda metu, stimulisque mordet.
5 In te peractum triste mihi est nefas,
Solus nocentem plectere qui potes,
Tuosque demens execranda
Flagitia ante oculos patravi.
Præbe at benignum te mihi, ut impleas
Promissa fidus sic tua, & hostium
De te malignè sentientum
Ingenium domites reluctans.
6 Scis, primo ab ortu quod veteris mihi
Impura adhæsit flagitii lues,
Meæque quod fœtu nocenti
Intumuit genitricis alvus.

1 Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam.
2 Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam.
3 Amplius lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me.

4 Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.

5 Tibi soli peccavi, & malum coram te feci, ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas, cum judicaris.

6 Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.

7 Ecce enim veritatem dilexisti, incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

8 Asperges me hyssopo, & mundabor, lavabis me, & super nivem dealbabor.

9 Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata.

10 Averte faciem tuam a peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.

11 Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis.

12 Ne projicias me a facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

13 Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.

14 Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur.

15 Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ, & exultabit lingua mea justitiam tuam.

16 Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.

7 At fraudis expers sic meruit mea
Quondam probari simplicitas tibi,
Me legum in arcana ut tuarum
Inveheres, sapientiæque
Tuæ explicares sensa recondita:
8 Fronde ergo sacra, quæ scelus expiet,
Adsperge me hyssopi, lavesque
Sic animi maculas, ut ipsa
Nive enitescam purior: 9 hinc ubi
Te mitigatum sensero, gaudio
Me recreabis, squallidasque
Excutient mea membra sordes.
10 Delicta acuto ne mea lumine
Scrutere semper: desine tristium
Tandem minarum; criminumque
Quod superest abole priorum.
11 Tu labe ab omni cor vacuum mihi
Refinge, & in me spiritus, auspice &
Auctore te, simplex novetur
Justitiæ cupidus sequendæ.
12 Ab ore ne me, sancte Parens, tuo
Arcere pergas longius, obsecro,
Nec cujus afflatu fovebar
Numinis aura tui relinquat.
13 Qua recreabas una animum mihi,
Fac spe salutis rursus ut erigar,
Cordisque da motus rebelles
Ut domina ratione frænem.
14 Tunc ipse adhortans ad veniam malos,
Tuas docebo rite sequi vias:
Hi deviam a Recto reflectent
Consilia ad meliora mentem.
15 Reum cruoris me fateor, sed o
Parce o salutis spes, Deus, unica;
Tuamque, quæ crimen remisit,
Justitiam mea lingua lætis
Vulgabit hymnis; 16 nexibus at prius
Culpæ impeditam solve, solutaque
Te laudibus dignis per omnes
Assiduè celebrabit oras.

17 Si victimarum te caperet cruor,
Multa litassem cæde bidentium,
Sed nulla nunc sacris, ut olim,
Hostia te juvat usta flammis.
18 Pectus, quod odit crimina, & angitur
Admissa propter, mens temerarii
Ignara fastus, seque sponte
Discrucians tibi grata in omne
Fuere tempus victima. 19 Da modo,
Precor, Sionì te facilem tuæ,
Nullisque subvertenda seclis
Mœnia fac Solymæa surgant.
20 Ritu litabit tunc tibi mystico
Gens justa, tunc (quod gratius est tibi;
Quam lacte depulsus juvencus)
Laudibus ara tuis sonabit.

17 Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique, holocaustis non delectaberis.

18 Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies.

19 Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Jerusalem.

20 Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, & holocausta, tunc imponent super altare tuum vitulos.

PSALMUS LI.

David increpat Doegum Idumæum proditorem suum, exitium illi, salutem sibi præsagiens.

1 Quid tibi vertis, malesane, laudi,
Quod potens sic es sceleris? Benignum
Numen an nescis vigilem innocenti impendere curam?
2 Perfidas semper tua lingua fraudes
Versat: hac infers graviora longè
Damna, quam dura renovata cote
Sæva bipennis.
3 Falsa tu veris, facinusque Honestò
Turpe præponis, 4. cupidùmque cædis
Te juvat vafro nocuas ab ore
Fundere voces.
5 Criminum ast ultor Deus ausa propter
Dira te plectet, pariterque ab imâ
Stirpe divellet vitiosa tecum
Germina prolis.

1 Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?

2 Tota die injustitiam cogitavit lingua tua, sicut novacula acuta fecisti dolum.

3 Dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem magis, quam loqui æquitatem.

4 Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa.

5 Propterea Deus destruet te in finem, evellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viventium.

6 Videbunt justi, & timebunt, & super eum ridebunt, & dicent, ecce homo, qui non posuit Deum adjutorem suum.

7 Sed speravit in multitudine divitiarum suarum, & prævaluit in vanitate sua.

6 7 Hoc ubi justi exitium sceleste
Viderint gentis, pavidi intremiscent,
Talibus docti, male provocari
Numinis iram.
Tu jocus fies, miser, audiesque
Talia: en mentis male compos ille,
Qui sibi fidens ope non egebat
Numinis almi.
Quid juvant illum tot opes dolosis
Artibus partæ? placidasque semper,
Aura qua flabat Zephyri, tulisse
Vela per undas?

8 Ego autem, sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei in æternum, & in seculum seculi.

9 Confitebor tibi in seculum quia fecisti, & expectabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.

8 Spe bona fretus sed ego, virentis
Ramus ut felix oleæ, tuetur
Cura quem solers, habitabo sacram
Numinis ædem.
9 Te canam semper, Pater alme, qui tot
Me bonis auges: pia turba, dulce
Cui tuum est nomen celebrare, laudes
Laudibus addet.

PSALMUS LII.

Humanum genus universum ex ignorantia Dei corruptum describitur. Pannicus impiorum terror, & turbatio. Concluditur cum invocatione ad Deum, ut populum suum e captivitate in patriam reducat.

1 Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.

2 Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus, non est qui faciat bonum.

3 Deus de cælo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum.

1 IMpius ut pœnæ formidine liber habenas
Laxaret sceleri, vesano talia secum
Pectore versabat: stabili non temperat ullus
Orbem lege Deus, cæco at mortalia casu
Fors agit. 2 Hinc ipse, execrataque turba Tonanti,
Sordibus omnigenis corrupto pectore, Recti
Deseruere viam: 3 specula e flammantis Olympi
Ipse Deus vigili lustrabat lumine terras,
Cerneret, ad superas num quis sapientior arces
Se vertens animi studiosa indagine numen

Quæreret : 4 idem omnes per devia traxerat error
Præcipites, fas haud ullo, Rectumque sequente.
5 Nonne ego in artifices scelerum, rex ætheris alti
Tunc ait, exsurgam, qui gentem more ferarum
Dilectam mihi dilaniant? 6 His conscius horror,
Nulla aderit quum causa metus, formidine pectus
Concutiet subita, mea namque ad numina votis
Vertere supplicibus se se renuere superbi:
7 Quodque homines me posthabito coluere, retundam
Insanos animi fastus, & corporis ossa
Confringam, spretosque dabo in ludibria vulgi.
8 At tu e Sionia prospectans mitior arce
Dilatam populo Isacidum, Deus alme, salutem
Fer precor, & patriis abrupta compede terris
Restitue, ut tanto dignas pro munere grates
Lætus agat, sacroque ferat te ad sidera cantu.

4 Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

5 Nonne scient omnes qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam, ut cibum panis?

6 Deum non invocaverunt, illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor.

7 Quoniam Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.

8 Quis dabit ex Sion salutare Israel? cum converterit Deus captivitatem plebis suæ, exultabit Jacob, & lætabitur Israel.

PSALMUS LIII.

Divinam opem adversus hostes implorat, quam sibi adesse sentiens, grates Deo se acturum pollicetur.

1 Rerum conditor unice,
Virtute incolumem tui
Redde nominis, & meam
Vindex protege causam.
2 Quas fundo querimonias
Æquis auribus, ut soles,
Audi, votaque supplicis
Blando suscipe vultu.
3 Magnis viribus irruit
In me gens fera, nec fore
Te retur mihi vindicem
Celsa ex ætheris arce.
4 At tu, sancte Parens, mihi
Tendes dexter opem, & tuo

1 Deus in nomine tuo salvum me fac, & in virtute tua judica me.

2 Deus exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei.

3 Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, & fortes quæsierunt animam meam, & non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

4 Ecce enim Deus adjuvat me, & Dominus susceptor est animæ meæ.

Ful-

Fultam præsidio teges
Vitam rebus in arctis.

5 *Averte mala inimicis meis, & in veritate tua disperde illos.*

5 Se se retibus implicent
Hostes appositis mihi;
Promissique memor tua
Sontes opprime dextra.

6 *Voluntarie sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.*

6 Nomen laudibus ast ego
Tollam quo recreor tuum;
Et multus pecudum cruor
Sacras imbuet aras.

7 *Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me, & super inimicos meos despexit oculus meus.*

7 Tu mentem gravibus mihi
Curis exuis; & truces
Quos hostes timui, tuo
Sperno robore fractos.

PSALMUS LIV.

In gravissimo periculo positus Deum orat, & columbæ alas, quibus fugiat, postulat. Hostium fraudes, perfidiamque describit, & præcipuè Achitophelis. Spem in Deo collocat, adversariorumque suorum immaturum obitum prædicit.

1 *Exaudi Deus orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam, intende mihi, & exaudi me.*

1 O Præses arcis sidereæ Deus,
Pias ferentem cum gemitu preces
Ne sperne durus, sed paterno
Ore tuens miseratus audi,

2 *Contristatus sum in exercitatione mea, & conturbatus sum a voce inimici, & a tribulatione peccatoris.*

2 Dum mens acerbis obruta luctibus
Curisque languet, vocibus asperis
Trux hostis insultat, premitque
Me rabies hominum nocentum.

3 *Quoniam declinaverunt in me iniquitates, & in ira molesti erant mihi.*

3 Eheu! haud merentem turpibus inquinant
Notis, & in me sic odium tenax
Furenter exercent, ut ipsum
Vivere sit grave pondus ægro.

4 *Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me.*

4 Cor hac & illac fluctuat anxium,
Jactata qualis cimba frementibus
Diu procellis; pallidæque
Ante oculos mihi semper errat

Ima-

Imago mortis: 5 frigidus insilit
In membra terror, pressaque tot malis
Mens horret, effusæque circum
Lumina debilitant tenebræ.
6 Dixi: columbæ quis mihi præpetes
Aptabit alas, ocius ut levi
Evadere hinc possim volatu,
Atque aliis reperire in oris
Sedes quietas? 7 Tunc ego in abditos
Saltus recedens, exul in ultimis
Terris manerem; 8 sic minantis
Effugerem sonitum procellæ,
Ab æstuoso turbine bellici
Sospes furoris: 9 tu tamen hostium
Vesana perturba meorum
Consilia, o dominator Orbis:
Jamque inquietis vocibus invicem
Jurgantur, 10 urbis mœnia jam scelus
Per alta discurrit, suumque
Heic solium posuisse gaudet:
Turpis cupido, vis 11 dolus, & truces
Rixæ viarum omnes aditus tenent,
Plebemque divexant rapinæ
Horribiles, avidumque fœnus.
12 Si quem sciebam lethiferos mihi
Parare luctus, vipereo palam
In me hostis accensus furore
Ore probra ingereret procaci,
Forte æquiori ferrem animo, 13 & caput
Ferro minaci si peteret, fugam
Molirer; 14 ast te suspicari
Quî poteram mihi perduellem,
Eras amoris fœdere qui sacro
Conjunctus, & dux, & socius mihi,
15 Quem mensa communis sedentem,
Atque Dei veneranda mecum
Vidit ferentem sæpe preces domus?
16 Festinet uncas injicere his manus

Mors

v. 8. *Hebr. Festinabo procellosum ventum, & turbinem evitare.*

5 *Timor, & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ.*

6 *Et dixi, quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?*

7 *Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine.*

8 Expectabam eum, qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus, & tempestate.

9 *Præcipita Domine, divide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in civitate.*

10 *Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas, & labor in medio ejus, & injustitia.*

11 *Et non defecit de plateis ejus usura, & dolus.*

12 *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique.*

13 *Et si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo.*

14 *Tu vero homo unanimis, dux meus, & notus meus.*

15 *Qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu.*

16 *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viventes.*

17 Quoniam nequitia in habitaculis eorum, in medio eorum.

18 Ego autem ad Deum clamavi, & Dominus salvabit me.

19 Vespere, & mane, & meridie narrabo, & annuntiabo, & exaudiet vocem meam.

20 Redimet in pace animam meam ab his, qui appropinquant mihi, quoniam inter multos erant mecum.

21 Exaudiet Deus, & humiliabit illos, qui est ante secula.

22 Non enim est illis commutatio, & non timuerunt Deum, extendit manum suam in retribuendo.

23 Contaminaverunt testamentum ejus, divisi sunt ab ira vultus ejus, & appropinquavit cor illius.

24 Molliti sunt sermones ejus super oleum, & ipsi sunt jacula.

25 Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet, non dabit in æternum fluctuationem justo.

26 Tu vero Deus deduces eos, in puteum interitus.

27 Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos, ego autem sperabo in te Domine.

Mors dira monstris, atque tellus
In barathrum rapiat dehiscens,
17 Quorum nefandis corda patent dolis:
18 At mente pura quum sceleris Deum
Ipse invocaro, me potenti
Auxilio miserans levabit,
19 Quævis diei me sibi supplicem
Videbit hora: 20 ille ad gemitus meos
Demittet aurem, meque gentis
Millibus e mediis, ahena
Mihi parantis vincula, sospitem
Reddet, quietis sedibus inferens;
21 Ille, inquam, ab ævo qui perenni
Regnat, opem properè petenti
Feret, sed hostes deprimet efferos,
22 In persequendo crimine pertinax
Queis usque mens est, & supremum
Indocilis trepidare numen.
Hi dextra amicos sacrilega tuos,
Quos pacis almæ cura tenet, premunt,
23 Legesque divinas, & omne
Fas animis violant superbis.
24 Sunt ora pacis nuntia candidæ,
Dum bella pectus discupit acria,
Vocesque miti leniores
Sunt oleo, at feriunt sagittis
Tinctis veneno sævius. 25 O tenax
Quicumque Recti te, sobolem, domum
Deo tuendam credidisti,
Ne dubita, hinc referes levamen.
Namque ipse justos circumagi haud finit
Curarum ab æstu perpetuo; 26 at malos
In triste detrudet sepulcrum
Ante diem; 27 artificesque fraudum,
Quique inquinari sanguine gestiunt,
Flore in juventæ mors viridi metet;
Me, qui locavi spem omnem in uno
Te Deus, eripies periclis.

PSAL-

v. 22. Hebr. Extendit manum suam in pacificos suos.

PSALMUS LV.

Inter hostes positus fervidas ad Deum preces exhibet, fiduciam de divina ope habet, atque agit gratias, quod sese & exaudierit, & liberarit.

1 PEr miseratus opem mihi fer, Deus optime, pravus
Me namque fastu vir superbo despicit,
Et mihi dum validis sine fine assultibus instat,
Mœrore mentem conficit miserrimo.
2 Non requies datur ulla mihi, densisque catervis
Me semper urgent præpotentes æmuli.
3 Haud tamen in tantis trepidat mens æqua periclis,
In te salutis namque spes innititur.
4 Te mea perpetuò celebrabunt carmina, nec me
Movebit hominum vis tuæ fidentem opi.
5 Sunt odio mea facta viris, & dicta scelestis,
Mihique ut obsint omne studium conferunt.
6 Jam densi coeunt, & tecti sepibus acri,
Quocumque gressus verto, spectant lumine.
7 Tantane sacrilegæ patieris inulta relinqui
Gentis facinora, meque prorsus opprimi?
Haud ita: nam fontes radicitus extirpati
Justo peribunt criminum te vindice.
8 Tædia cuncta fugæ tibi nota, meique labores,
Meo & fluentes ore servas lacrymas.
9 Quum me promissæ secluseris arcis asylo,
Hostes pudendæ terga committent fugæ.
10 Quo tibi cumque preces effudi in tempore, promptam
Opem benignus attulisti supplici.
11 Prosequar æternis te laudibus, &, mea donec
Spes ipse fueris, metuam ab hominibus nihil.
12 Me quibus obstrinxi, stant pectore vota sub alto
Defixa, solvamque tibi reddens gratias.

13 Tu

1 Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo, tota die impugnans tribulavit me.

2 Conculcaverunt me inimici mei tota die, quoniam multi bellantes adversum me.

3 Ab altitudine diei timebo, ego vero in te sperabo.

4 In Deo laudabo sermones meos, in Deo speravi, non timebo quid faciat mihi caro.

5 Tota die verba mea execrabantur, adversum me omnes cogitationes eorum in malum.

6 Inhabitabunt, & abscondent, ipsi calcaneum meum observabunt.

7 Sicut sustinuerunt animam meam, pro nihilo salvos facies illos, in ira populos confringes.

8 Deus vitam meam annuntiavi tibi, posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

9 Sicut & in promissione tua, tunc convertentur inimici mei retrorsum.

10 In quacumque die invocavero te, ecce cognovi, quoniam Deus meus es.

11 In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem, in Deo speravi, non timebo, quid faciat mihi homo.

12 In me sunt, Deus, vota

tua, qua reddam, laudationes tibi.

13 Quoniam eripuisti animam meam de morte, & pedes meos de lapsu, ut placeam coram Deo in lumine viventium.

13 Tu caput hoc dira servasti a morte, meisque
Latas dedisti semitas vestigiis.
Munere pro tali lætus tua jussa capessam,
His donec animus imperarit artubus.

PSALMUS LVI.

In gravissima calamitatis procella Deum invocat, eique post mali evasionem gratias agit, suasque laudes musicis instrumentis coram frequenti populo se celebraturum pollicetur.

1 Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea.

2 Et in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.

3 Clamabo ad Deum altissimum, Deum, qui benefecit mihi.

4 Misit de cœlo, & liberavit me, dedit in opprobrium conculcantes me.

5 Misit Deus misericordiam suam, & veritatem suam, & eripuit animam meam de medio catulorum leonum, dormivi conturbatus.

6 Filii hominum, dentes eorum arma & sagitta, & lingua eorum gladius acutus.

7 Exaltare super cœlos Deus, & in omnem terram gloria tua.

8 Laqueum paraverunt pedibus meis, & incurvaverunt animam meam.

1 MIhi te facilem, Deus, bonumque
Præbe, nam tibi fido, 2 sub tuique
Umbra numinis unicè acquiesco,
Pullus matris uti latens sub alis.
Tu me, dum fera detumescat atri
In me concita temporis procella,
Dexter protege: 3 semper invocabo
Celsi te Dominum ætheris, bonorum
Mihi qui innumerûm auctor extitisti,
4 Qui si deproperes ab axe vindex,
Hostes dedecore obrues superbos.
5 Promissam miserans opem petenti
Fer ergo, Deus, impiisque prædam
Ne me desere, qui leonis instar,
Ventris quum rabies agit furentem,
Me discerpere gestiunt, nec ullam
Permittunt vacuam timore noctem.
6 Hæc me monstra hominum ferocientum
Vexant perpetuò, exeruntque dentes
In me fulmineos; acutiusque
Ense lingua secat, nocetque quantum
Lethali jaculum illitum veneno.
7 Virtutem æthereis, potentiamque
Tuam cœlicolæ efferant in oris,
Et terras tua se ferat per omnes
Gloria ingenito decore fulgens.
8 Hostes nam mihi subdola explicantes
Passim retia, negligentioris

Ut

Ut vestigia fallerent, 9 profundam
In scrobem subito incidere lapsu
Mihi consilio malo excavatam.
10 In me nulla mora est, Deus, tibique
Fundam suaviloquos ab ore cantus.
11 Nablium mihi præsto sit, chelysque
Aurea, unde decus tuli, ante primum
Exsurgam jubar, 12 audietque cœtus
Ingens me populi tuas canentem
Laudes, & tibi gratias agentem.
13 Qua nos prosequeris, benignitatis
Nullus terminus est tuæ, modusque;
Et tua exsuperat fides nivosa
Montium juga, nubiumque tractus.
14 Virtutem æthereis, potentiamque
Tuam cœlicolæ efferant in oris,
Et terras tua se ferat per omnes
Gloria ingenito decore fulgens.

9 Foderunt ante faciem meam foveam, & inciderunt in eam.

10 Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum, cantabo, & psalmum dicam. 11 Exsurge gloria mea, exsurge psalterium & cithara, exsurgam diluculo.

12 Confitebor tibi in populis Domine, & psalmum dicam tibi in gentibus.

13 Quoniam magnificata est usque ad cælos misericordia tua, & usque ad nubes veritas tua.

14 Exaltare super cælos Deus, & super omnem terram gloria tua.

PSALMUS LVII.

Injustos homines acriter coarguit, suppliciaque illis a Deo brevi superventura denuntiat: justos autem ob eorum æquissimam animadversionem lætaturos esse prædicit, & providentiam ac justitiam Dei celebraturos.

1 Vos o, justitiæ lex quibus ardua
Tutandæ imposita est, reddite egentibus,
Quos robusta premit factio, jus suum.
2 Quid mens nequitiam cogitat & dolos?
Conceptumque nefas dextera perficit?
3 At frustra doceo Recta capessere,
Prima flagitium quos ab origine
Egit præcipites tramite lubrico?
Materna ex utero qui prope fallere
Vafris incipiunt vocibus; 4 5 aspidi
Horrendæ similes, quæ truculentius
Admorsura, sibi callida præstruit
Aures, ne magico carmine torpeat.

1 Si vere utique justitiam loquimini, recta judicate filii hominum.

2 Etenim in corde iniquitates operamini, in terra injustitias manus vestra concinnant.

3 Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero, locuti sunt falsa.

4 Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas.

5 Quæ non exaudiet vocem incantantium, & ve-

nefici incantantis sapienter.

6 Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum, molas leonum confringet Dominus.

7 Ad nihilum devenient tamquam aqua decurrens, intendit arcum suum donec infirmentur.

8 Sicut cera, quæ fluit, auferentur, supercecidit ignis, & non viderunt solem.

9 Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum, sicut viventes, sic in ira absorbet eos.

10 Lætabitur justus cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris.

11 Et dicet homo, si utique est fructus justo, utique est Deus judicans eos in terra.

6 Arces at superûm qui regit arduas
Dextra os fulminea conteret impiis,
Qui ficco veluti ventre leunculi
Infligunt rabidis vulnera dentibus.
7 Vanescent subito, ceu pluvialibus
Torrens auctus aquis: jam Deus arripit
Arcum, tela manu jam quærit ignea,
Nec, dum corruerint, mittere desinet.
8 Æstivis veluti solibus interit
Limax; inque utero fœtus obit prius,
Solis quam videat lumina flammei,
Sic rapti ante suum dispereant diem.
9 Par in progeniem sæviat improbam
Tempestas, teneros nec sinat altius
Vepres vulnificis surgere brachiis.
Ævi dum viridis flos viget, ocius
Ardens ira malos numinis obruet,
Insanum miseros ceu mare navitas.
10 Hæc lætis homines luminibus pii
Cernent supplicia, &, dum fluet impii
Ingens sub pedibus copia sanguinis,
11 Discent, pro meritis præmia quod boni;
Quod pœnam referant improbi, & arbiter
Æquis cuncta Deus legibus ordinet.



PSAL-

v. 8. *Hebr. Instar limacis colliquescentis diffluant: velut abortivum mulieris, non videbunt solem.*

PSALMUS LVIII.

Saul Rex quum Davidem coram se lyra canentem transverberare frustra conatus esset, missis vespere satellitibus, qui eum interficerent, obsedit eundem in domo Micholis uxoris suæ, quæ ut viri sui periculum animadvertit, per fenestram demisit eum, ut fugiens mortem evaderet. In hac fuga auxilium a Deo petit, suisque hostibus gravia mala comminatur. Post liberationem ad gratias Deo agendas se se accingit.

1 Vides, quot hostes, o Deus, efferi;
Meum qui anhelant spargere sanguinem;
In me steterunt? 2 quæso, ab illis
Eripe me incolumem potentis
Virtute dextræ: 3 4 jam mihi viribus
Junctis minantur; jam valido impete
In immerentem, nulliusque
Participem sceleris feruntur:
5 Tu pro me in hostes obvius, agmina
Immensa nutu qui superûm regis,
Exsurge bellator, pioque,
Isacidum Pater alme, vultu
Me specta; 6 at omnes qui scelus impiis
Immane tentant mentibus aggredi,
Prosterne gentes, & nocentum
Nulli, animo miserante, parce.
7 Quum nox ab alto præcipitat polo,
Errant per urbis compita, ceu canes,
Fatigat impastos edendi
Quos rabies, cupidique nostro
Cruore pasci, 8 nil nisi prælia,
Ferrumque, & ignem, & perniciem crepant,
Nec rentur audivisse quemquam,
Qui valeat mihi verba fidus
Referre testis; 9. tu tamen, abdita
Cui nulla res est, gentis inania
Conata reddes, & tremendis
Percuties meritam flagellis.

1 Eripe me de inimicis meis Deus meus, & ab insurgentibus in me libera me.

2 Eripe me de operantibus iniquitatem, & de viris sanguinum salva me.

3 Quia ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes.

4 Neque iniquitas mea, neque peccatum meum Domine, sine iniquitate cucurri, & direxi.

5 Exsurge in occursum meum, & vide, & tu Domine Deus virtutum, Deus Israel.

6 Intende ad visitandas omnes gentes, non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem.

7 Convertentur ad vesperam, & famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem.

8 Ecce loquentur in ore suo, & gladius in labiis eorum, quoniam quis audivit?

9 Et tu Domine, deridebis eos, ad nihilum deduces omnes gentes.

10 Fortitudinem meam ad te custodiam, quia Deus susceptor meus es, Deus meus misericordia ejus praeveniet me.

11 Deus ostendet mihi super inimicos meos, ne occidas eos, nequando obliviscantur populi mei.

12 Disperge illos in virtute tua, & depone eos, protector meus Domine.

13 Delictum oris eorum, sermonem labiorum ipsorum, & comprehendantur in superbia sua.

14 Et de execratione, & mendacio annuntiabuntur in consummatione, in ira consummationis, & non erunt.

15 Et scient, quia Deus dominabitur Jacob, & finium terrae.

16 Convertentur ad vesperam, & famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem.

17 Ipsi dispergentur ad manducandum, si vero non fuerint saturati, & murmurabunt.

18 Ego autem cantabo fortitudinem tuam, & exultabo mane misericordiam tuam.

19 Quia factus es susceptor meus, & refugium meum, in die tribulationis meae.

10 Tu robur omne, & praesidium mihi
Adversus hostes es, Deus optime,
Tuoque protectum favore
Spe valida recreas salutis.
Tu me benigna praeveniens ope
Ab impiorum viribus auferes,
11 12 Poenisque, quas justè reservas,
Aspiciam domitos acerbis.
Ne sternat omnes mors tamen ocior;
Obliviosi nube silentii
Tuae ultionis ne rigorem
Gens premat Isacidum; sed error
Vagos per orbis dissipet ultimas
Oras, ab alto & praecipites gradu
Ad ima descendant; tua sed
Nos releva, Pater alme, dextrâ.
13 Immane linguae pestiferae ob scelus,
Et non ferendae verba superbiae,
14 Fraudesque mendaces, & ausu
Sacrilego temerata pacta,
Furore justo percitus impium
Evelle terris semen ab omnibus,
15 Ut Ortus, Occasusque noscant,
Isacium dare jura numen
Plagas per omnes. 16 Attamen improbi,
Quum nox tenebras fera reduxerit,
Hostes vagabuntur canina
In me iterum rabie intumentes:
Haud civitatis moenia negligent
Obire rursum, 17 viscera ut expleant
Cruore nostro; sed feroces
Noxae ubi spes animos relinquet,
Quam turbulentis vocibus infrement!
18 Ipse at, fugatis sideribus nova
Quum luce sol terras rigabit,
Aggrediar celebrare cantu
Dextrae vigentis robur, 19 ab hostibus
Qua liberasti me. Deus: unica
In rebus adversis salutis
Tu statio, mea tu molestis

Curis

Curis relaxas pectora: 10 dulcibus
Te semper hymnis, te cithara canam;
Præsente qui firmas labantem
Dexter ope, incolumemque reddis.

10 *Adjutor meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus es, Deus meus misericordia mea.*

PSALMUS LIX.

David calamitates populi a Deo derelicti deplorans pro salute supplicat; deinde agnoscens, se a Deo voti compotem factum, futuras sibi de finitimis populis victorias Deo adjuvante pollicetur.

1 Extorres, fractique malis, Deus, ultima pene
Vidimus excidia:
2 Mitior at tandem nos respice: terra, profundos
Te quatiente sinus,
Horrendis subsidit hiatibus, & gemit altis
Saucia vulneribus:
Tu laceros artus repara, bellique tumultus
Reprime luctificos.
3 Gens tua pro! quanto fuit obruta turbine luctus,
Et quot acerba tulit!
Illam ad turbatos jussisti accedere fontes,
Mortiferosque siti
In rabida succos bibere, atque haurire furoris
Pocula plena tui.
4 Tunc quoque sed miseris tua jura verentibus altum
Providus extuleras
Signum, quod vigili spectantes lumine, fractos
Erigerent animos,
Lethalique arcu tela in se jacta, repulsis
Hostibus, effugerent,
5 Ut sic exsortes scelerum tuereris, ab omni
Eriperesque metu.
Nunc quoque nunc miseris succurre, tuamque petenti
Fer mihi lenis opem.
Fallor? an omnipotens celsa e flammantis Olympi
Annuit arce Pater?

1 *Deus repulisti nos, & destruxisti nos, iratus es, & misertus es nobis.*
2 *Commovisti terram, & conturbasti eam, sana contritiones ejus, quia commota est.*

3 *Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis.*

4 *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus.*

5 *Ut liberentur dilecti tui, salvum fac dextera tua, & exaudi me.*

6 Deus locutus est in sancto suo, latabor, & partiber Sichimam, & convallem tabernaculorum metibor.

6 Haud fallor: lætus Sichimæ arva feracia genti
Partiar Isaciæ,
Inque ima pariter Socothi frugiferentes
Valle metabor agros.

7 Meus est Galaad, & meus est Manasses, & Ephraim fortitudo capitis mei.

7 Jam meus est Galaad, mea sunt, quæ divitis olim
Arva Manassis erant:
Magnanima Efremi pubes custodia nostri
Pervigil est capitis:

8 Juda rex meus, Moab olla spei mea.

8 Me dominum agnoscit Judæ Tribus inclyta regnis
Nobilitata meis:
(Vile ministerium) loturo in labra Moabus
Trux mihi fundet aquam.

9 In Idumaam extendam calceamentum meum, mibi alienigena subditi sunt.

9 Nunc tentanda armis, & sceptris restat Idume
Adjicienda meis;
Jamque Palæstinas victrici tempora lauro
Cinctus adibo domos.

10 Quis deducet me in civitatem munitam? quis deducet me usque in Idumaam?

11 Nonne tu Deus, qui repulisti nos, & non egredieris Deus in virtutibus nostris?

10 At quis Idumeæ mihi fidus ad ardua gentis
Oppida ductor erit?
11 Quis, nisi tu Genitor? qui nos ob crimina prædam
Hostibus addideras,
Isaciæ renuens præcedere ductor, ut olim,
Agmina militiæ.

12 Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis.

12 At miseris nunc affer opem; namque irrita spes est
Freta hominum auxilio.

13 In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.

13 Tecum invicti erimus, tua nostros deprimet hostes
Dextra, dabitque neci.



PSAL.

PSALMUS LX.

A molesto exilio ut a Deo liberetur orat, a quo praeterea, quum se voti compotem factum esse sentiat, diuturnam regi vitam precatur; pollicetur que, se aeternis laudibus Dei nomen prosecuturum, & vota redditurum.

1 Quas fundo, rerum procreator optime,
Preces benignus accipe,
Et imbre mixtis lacrymarum questibus
Intentus aures admove.
2 Voco te ab oris ultimis mœstissimo
Dolore corda saucius.
3 Tu me hinc ad altas tolle rupes montium,
Tibique fidentem rege:
Adversus hostes impios aheneæ
Te turris instar objice.
4 Tuæ fac ædis semper in sacrario
Curis ut expers immorer,
Tuisque ut alis more pulli protegar.
5 Meis at ecce casibus
Permotus aurem supplici jam commodas,
Votique reddis compotem.
Hereditatem jam Tuis prædivitem
Das ultro te verentibus.
6 Largire regi longa vitæ tempora,
Suique regnent posteri.
7 Accepius ille sit tibi, nec subtrahe
Vultus tui præsentiam:
Te semper æquum sentiat, te maxima
Fidelitate præditum.
8 Sic, donec incolumi licebit vita mihi
Frui, tuum hymnis dulcibus
Cantabo nomen, & memor tuas feram
Votiva ad aras munera.

1 Exaudi Deus deprecationem meam, intende orationi meæ.

2 A finibus terræ ad te clamavi, dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me.
3 Deduxisti me, quia factus es spes mea, turris fortitudinis a facie inimici.

4 Inhabitabo in tabernaculo tuo in secula, protegar in velamento alarum tuarum.

5 Quoniam tu Deus meus exaudisti orationem meam, dedisti hereditatem timentibus nomen tuum.

6 Dies super dies regis adjicies, annos ejus usque in diem generationis, & generationis.
7 Permanet in æternum in conspectu Dei, misericordiam, & veritatem ejus quis requiret?
8 Sic psalmum dicam nomini tuo in seculum seculi, ut reddam vota mea de die in diem.

PSALMUS LXI.

In gravissimis malis seipsum ad patientiam constanter adhortatur, omnemque in Deo piissimo ac potentissimo, & quemque pro meritis præmio vel pœna afficiente fiduciam collocandam esse docet.

1 Nonne Deo subjecta erit anima mea? *ab ipso enim salutare meum.*

1 CUr ego fretus valida Tonantis
Spe graves fundam gemitus, salutis
Ille si certæ fuit, infremente
Turbine, portus?

2 *Nam & ipse Deus meus, & salutaris meus, susceptor meus, non movebor amplius.*

2 Ille defensor, columenque vitæ
Est meæ: in rebus mihi robur ægris
Sufficit; quonam mea contremiscant
Corda periclo?

3 *Quousque irruitis in hominem? interficitis universi vos, tamquam parieti inclinato, & maceriæ depulsæ?*

3 Quo, truces, usque in miserum ruetis
Ense vos stricto, cita queis ruina
Instat? En estis, putria ut solutis
Mœnia saxis.

4 *Verumtamen pretium meum cogitaverunt repellere,* cucurri in siti, *ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant.*

4 Pectori hæc vestro sedet una cura,
Ut bonum mî omne abripiatis; hinc me
Blanda vox laudat, fera dum veneno
Corda tumescunt.

5 *Verumtamen* Deo subjecta esto *anima mea, quoniam ab ipso patientia mea.*

5 Ast ego duros animo labores
Sustinens æquo, superi acquiesco
Regis ad nutus; mea spes in uno
Firma recumbit.

6 *Quia ipse Deus meus, & salvator meus, adjutor meus, non emigrabo.*

6 Ille tutamen mihi, strenuusque
Semper adjutor stetit, atque rebus
Fida in adversis statio salutis,
Præsidiumque.

7 *In Deo salutare meum, & gloria mea, Deus auxilii mei, & spes mea in Deo est.*

7 Est mihi clarum decus ipse, opemque
Fert salutarem; mea manat inde
Vita,

v. 1. *Hebr. Certe filebit Deo anima mea*. Silere juxta Scripturæ phrasim est patienter ferre, divinamque opem expectare.
v. 4. *Hebr. Cucurrerunt ad mendacium.*
v. 5. *Hebr. Ad Deum sile*: in sensu supra explicato.

Vita, libertas, requies, & omnis
Vera voluptas;
8 Gentium quidquid capit Orbis, illi
Fidat, & curas animi revelet:
Unus humanam juvat ille duro
Tempore gentem.
9 Principum elata ambitio, atque regum
Est inani aura levior, nec ipsam
Vanitas vincet, bene utramque si æquo examine pendas.
10 Nil sibi tutum putet ille, quem mens
Conscia admissi sceleris remordet;
Nullus ad prædas animum, malasque
Vertat ad artes.
Qui sibi multam peperere gazam,
Ceteris partem faciant, opumque
Ne caducarum sitis execranda
Pectus adurat.
11 Hæc enim magni dominator orbis
Protulit sancto semel ore verba,
Sæpe quæ audivi repetita vatum
Ore suorum;
Nempe se rerum nimium potentem
Arbitrum, mitemque animo; irrogantem
Impiis pœnas, pariterque dantem
Præmia justis.

8 Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra, Deus adjutor noster in æternum.

9 Verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.

10 Nolite sperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiscere, divitiæ si affluant, nolite cor apponere.

11 Semel locutus est Deus, duo hæc audivi, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia, quia tu reddes unicuique juxta opera sua.

P S A L M U S LXII.

Seipsum in exilio divinæ bonitatis contemplatione solatur, hostibus suis interitum, incolumitatem sibi prædicens.

1 Vix aurora suos orbi incipit explicare vultus,
Sopore pulso quum anxiè requiro
Te Deus, 2. atque animum mihi quæ sitis urit æstuantem,
Languere cogit, emorique corpus.
3 Me licet hæc habeant loca squallida, & aridi recessus,
Tuisque longe ab ædibus remotus
Exul

1 Deus Deus meus, ad te de luce vigilo.

2 Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.

3 In terra deserta, & invia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.

Exul agam, tamen hinc ad te cupidus feror, tuæque
Dextræ potentis robur, & verendam
Majestatem alacer meditor: 4 tua pluris æstimatur
Mihi benignitas, suave vitæ
Quam munus: te laude insigni prosequar, 5 tuumque,
Spirabo donec, nomen invocabo
Sublatis palmis ad sidera, gratiasque reddam
Tibi perennes; 6 quumque recreabor
Omnigenûm, te dante, bonorum copia, tibi hymnos
Cantabo dulces gestiente lingua.
7 Te memor in tenebris recolo, te solis ante primum
Jubar, salutis nam meæ fuisti
Confugium: 8 mihi dulce tua requiescere est sub umbra,
Tuisque pennis leniter foveri.
Unum ego te votis ardentibus expeto, tuæque
Me trado dexteræ unicè tuendum.
9 In caput hoc hostes vanis conatibus dolosas
Fraudes parabunt; nec juvabit antra
Abdita telluris pavidos subiisse, namque cæsi
Gladio peribunt, vulpiumque pascent
Ingluviem: 10 rex ipse tamen, superoque qui fideles
Regi obsequuntur gestient, suasque
Vulgabunt laudes, ora impia namque conticescent
In nos vomentia pestilens venenum.

4 Quoniam melior est misericordia tua super vitas, labia mea laudabunt te.

5 Sic benedicam te in vita mea, & in nomine tuo levabo manus meas.

6 Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationis laudabit os meum.

7 Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te, quia fuisti adjutor meus.

8 Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua.

9 Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.

10 Rex vero lætabitur in in Deo, laudabuntur omnes, qui jurant in eo, quia obstructum est os loquentium iniqua.



PSAL-

PSALMUS LXIII.

Postulat a Deo Propheta, ut se se ab hostium nequitia, & insidiis tueatur. Eorum furorem atque artificia ad se perdendum describit, eorumque ruinam ac calamitatem vaticinatur.

1 GEntis humanæ Pater alme, duris
In rebus audi supplicem;
Quaque turbavit mihi pectus hostis,
Exsolve me formidine.
2 Tu mihi promptam fer opem, tumultu
In me scelesta nam gravi
Turba conspirat, 3 lacerare amaris
Prompta immerentem vocibus,
Quæ venenatis similes sagittis
Lethale vulnus inferunt.
4 Jamque nil numen veriti tremendum,
Quod innocentes vindicat,
Pectore immiti statuere dextras
Meo cruore tingere.
5 Quippe dixere unanimes: age, olli
Casses locentur subdoli.
Quis satis prudens penetrarit, alto
Quod corde celatur nefas?
6 7 Pessimas ergo meditantur artes,
Nil cogitantem ut opprimant:
Omnis at tandem penitus nefandi est
Vis dissipata consilî.
8 Namque eos certis feriit sagittis
Tonantis ultrix dextera;
Et sibi damnum peperere lingua
Me gestientes lædere.
9 Quisquis hæc vidit, sibi sensit ossa
Gelido pavore corripi:
10 Jamque per terras memorantur omnes
Miranda facta numinis.
11 Gestiet justus, stabilemque in uno
Ponet Deo fiduciam,

Atque

1 Exaudi Deus orationem meam cum deprecor, a timore inimici eripe animam meam.

2 Protexisti me a conventu malignantium, a multitudine operantium iniquitatem.
3 Quia exacuerunt ut gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.
4 Subito sagittabunt eum, & non timebunt, firmaverunt sibi sermonem nequam.

5 Narraverunt, ut absconderent laqueos, dixerunt, quis videbit eos?

6 Scrutati sunt iniquitates, defecerunt scrutantes scrutinio.
7 Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus.
8 Sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum, & infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum.

9 Conturbati sunt omnes qui videbant eos, & timuit omnis homo.
10 Et annuntiaverunt opera Dei, & facta ejus intellexerunt.
11 Lætabitur justus in Domino, & sperabit in eo, &

laudabuntur omnes recti corde.

Atque cum simplex, scelerisque pura
Mens efferet præconiis.

PSALMUS LXIV.

David hujus Psalmi auctor eum exarasse creditur in gratiarum actionem ob imbrem, & ubertatem regioni restitutam post ingentem siccitatem, ac famem: Post multa vero secula ob verba, quæ titulo apposita leguntur, repetitus fuisse traditur ab Ezechiele, & Jeremia (non iis quidem magnis Prophetis, sed ab aliis ejusdem nominis viris) quum populus vel in captivitate detineretur, vel jam e captivitate esset exiturus. Argumentum autem Psalmi hoc est, Deum videlicet a suo populo laudandum esse, cujus potentiam luculentissimè describit, eumque, ut Isacidas omnium bonorum copia in posterum cumulet, exorat.

1 Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Jerusalem.

1 Qualis Sioniam decet
Urbem, sancte Parens, hymnum Abrahamidæ
Cantabunt hilares tui,
Et votiva tibi munera deferent,

2 Exaudi orationem meam, ad te omnis caro veniet.

2 Qui te rite vocantibus
Aurem das famulis propitiam tuis.
Quidquid gentium ab aureo
Sol curru irradiat, confluet, ut tuum
Numen suppliciter colat.

3 Verba iniquorum prævaluerunt super nos, & impietatibus nostris tu propitiaberis.

3 Ob nostrum facinus dira minantium
Vexat nos hominum furor;
At nobis veniam tu dabis, & grave
Tandem servitii jugum
Franges, quod nimio plus miseros premit.

4 Beatus, quem elegisti, & assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis.

4 Felix o ter & amplius,
E cœtu innumero quem populi legis,
Ut templi penetralia
Lætus sancta colat perpetuò tui!

5 Hinc

v. 3. *Hebr. Res*, vel *opera iniquitatis*.

5 Hinc omnis procul improbus
Esto, namque pios accipere hæc domus,
Et Recti cupidos amat.
6 Te puro heic quoties corde vocabimus,
Nostræ ad te penetrent preces:
E te nostra salus pendet, & omnium
Tu spes gentium es unica:
Te, qui oras habitant orbis ad ultimas,
Quosque horrentia dividunt
Longinquis positos æquora in insulis,
Rebus te in miseris vocant.
7 Pollens tu propriis viribus arduos
Montes montibus aggeras,
Sustentasque tuæ mole potentiæ.
Tu sævi fremitum maris,
Ex imis agitans sedibus, excitas,
Fluctus dein tumidos premis.
8 Gentes attonito talia lumine
Quum signa aspiciunt, pavent,
Et membris gelidus se tremor implicat:
At laudes properè in tuas
Surgunt, & nitida sol ubi montium
Pingit luce cacumina,
Et quum se Oceani fluctibus abdidit.
9 Tu, quum terra caloribus
Percussa immodicis hiscit, & omnia
Jam jam deficiunt, sinum
Spargis largifluis imbribus, incolas
Fœtu ut lætifico beet;
10 Jordanesque novis auctus aquis fluit
Pleno turgidus alveo;
Et jam mollis humus jussa virescere
Frugum semina protulit.
11 Rorem gleba jacens irriguum bibat,
Quo crescant segetes; 12 tuo
Felix annus eat munere, nostraque
Lætos omnia ad exitus
Tendant: dives agros copia vestiat:
13 Saltus rupibus horridi
Pingantur viridi gramine, pulcraque

Colles

5 Replebimur in bonis domus tuæ, sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.

6 Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, & in mari longe.

7 Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia, qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum ejus.

8 Turbabuntur gentes, & timebunt, qui habitant terminos a signis tuis, exitus matutini, & vespere delectabis.

9 Visitasti terram, & inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam.

10 Flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio ejus.

11 Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus; in stillicidiis ejus lætabitur germinans.

12 Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur ubertate.

13 Pinguescent speciosa deserti, & exultatione colles accingentur.

Colles ornet amœnitas.

14 Se grex multiplicet fœtibus, altaque
Lætus gramina tondeat.
Imis proveniens vallibus aurea
Sic sulcos oneret seges,
Vix ut sufficiant messibus horrea.
Pubes rustica dulcibus
Nomen grata tuum cantibus efferet.

14 Induti sunt arietes ovium, & valles abundabunt frumento, clamabunt, etenim hymnum dicent.

PSALMUS LXV.

Omnes homines ad laudandum Deum, eique gratias pro collatis Israelitico populo beneficiis agendas invitat. Admirabilia illius opera recenset, & solemnes ei victimas se immolaturum pollicetur.

1 QUæ terram incolitis nullo discrimine cunctæ
Gaudete gentes, optimumque carmine
Suaviloquo celebrate Patrem, sacrisque tremendum
Efferte nomen cœli ad astra laudibus;
2 Immensamque sui vim numinis admirantes
Dicite: tuarum quanta rerum est gloria,
Et virtus tibi quanta, Deus! qui ponere mentis
Fastum protervos cogis adversarios.
3 Te colat obliqui moles circumvaga mundi;
Tuasque laudes læta tellus prædicet.
4 Huc vacui curis vestigia ferte, Deique
Miranda facta sedulò perpendite;
Quamque suæ metuenda homini sint, noscite, mentis
Consilia. 5 Arenas vertit ipse in aridas
Æquoris undosi fluctus, atque ire per alveum
Late patentis fluminis sicco pede
Isacidas immensa animi dulcedine jussit,
6 Queis ipse rector sempiternus præsidet.
Ille alto e solio populos circumspicit omnes,
Et facta cujusque intuetur singula.
Quisquis eum indocilis flecti male provocat, ausus
Obpervicaces ne superbus ambulet.

1 Jubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini ejus, date gloriam laudi ejus.

2 Dicite Deo, quam terribilia sunt opera tua Domine! in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.

3 Omnis terra adoret te, & psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo.

4 Venite, & videte opera Dei, terribilis in consiliis super filios hominum.

5 Qui convertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede, ibi lætabimur in ipso.

6 Qui dominatur in virtute sua in æternum, oculi ejus super gentes respiciunt, qui exasperant, non exaltentur in semetipsis.

7 In suâ conspirent cunctæ præconia gentes,
Suisque cuncta laudibus sonent loca.
8 Nos bonus eripuit lethi pallentibus umbris,
Fulcitque firmis ambulantes gressibus.
9 Explorata tamen tibi nostri ut plenius esset,
Rex o Deusque, pectoris fidelitas,
Nos adversarum per sæva pericula rerum
Probasti, ut aurum, flamma quod vivax coquit.
10 Illapsi in laqueos per te sumus hostis, ahena
Qui crura nobis alligavit compede,
Immiti ditione premens, atque omne laborum
Subire, pœnarumque nos cogens genus.
11 Per medios veluti fluctus, mediosque per ignes
Transire fecit dura nos necessitas:
At tandem incolumes aevis felicibus infers,
Tot ubi laborum nos manent solatia.
12 13 Ingrediar, Deus, ergo tui penetralia templi,
Et vota solvam, mente quæ conceperam,
Quæque tibi verbis solemnibus, aspera quum me
Sors proterebat, ore supplex fuderam.
14 Bos, aries, mollisque tuas cadet agnus ad aras,
Et flamma pingues devorabit hostias.
15 Dum refero, mihi quanta Deus bona contulit, huc o
Omnes adeste, rite qui colitis Deum.
16 Hunc ego sollicitis vix cœpi exposcere votis,
Atque ora laudes in suas resolvere,
Quum bonus auxilium tulit; 17 at contacta veneno
Si pestilenti mens fuisset criminum,
18 Me neque spectasset facilis, neque vocibus aurem
Meis dedisset, ut dedit, pronam Deus.
19 Qui prece lenitus mihi terga haud vertit acerbis
In rebus, almo sit Parenti gloria.



7 Benedicite gentes Deum nostrum, & auditam facite vocem laudis ejus.
8 Qui posuit animam meam ad vitam, & non dedit in commotionem pedes meos.
9 Quoniam probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.
10 Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra.
11 Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.
12 Introibo in domum tuam in holocaustis, reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea.
13 Et locutum est os meum, in tribulatione mea.
14 Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum, offeram tibi boves cum hircis.
15 Venite, audite, & narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.
16 Ad ipsum ore meo clamavi, & exaltavi sub lingua mea.
17 Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.
18 Propterea exaudivit Deus, & attendit voci deprecationis meæ.
19 Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, & misericordiam suam a me.

PSALMUS LXVI.

Orat Deum, ut populo suo benedicat, optatque, ut quælibet gens Deum & agnoscat & celebret, eique gratias agit ob ubertatem telluri concessam.

1 Deus misereatur nostri, & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.

2 Ut cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum.

3 Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes.

4 Lætentur, & exultent gentes, quoniam judicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.

5 Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum suum.

6 Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.

1 TUa quæso, Deus, benignitate
Nos complectere, munerumque larga
Lætos effice copia tuorum:
Error quas animo intulit tenebras,
Tui lux abigat beata vultus,
2 Ut quæ ad te via ducit, una gressus
Nostros dirigat; & patefcat orbi,
Quod sis Isacidum salutis auctor.
3 Te cunctæ celebrent, canant, adorent,
Supplicent tibi, serviantque gentes,
4 Et metu posito, anxioque luctu
Puris gaudia mentibus sequantur.
Nam tu providus universa justis
Regis legibus, omnibusque cura
Ades pervigili. 5 Ergo sempiternùm
Te cunctæ celebrent, canant, adorent,
Supplicent tibi, serviantque gentes.
En, quæ vix tenues ferebat olim,
Largis imbribus irrigata fructus
Fudit terra sinu uberes beato.
6 Tui hoc muneris est, Deus: benignus
Sic o! perge tuæ favere genti,
Teque unum colat, ac tremiscat orbis.



PSAL-

PSALMUS LXVII.

Hic Psalmus maximè omnium salebrosus est atque difficilis: in eo enim, ut Muisius inquit, tot ferme scopuli, tot labyrinthi, quot versus, quot verba, ut non immeritò crux ingeniorum, & interpretum opprobrium dici possit. Orationis genus sublime est, atque, ut Abenezra videtur, eximium est, sive, ut ipsius verbo utar, gloriosissimum *canticum. Græci & Latini Patres allegoriam & mysteria solummodo in eo scrutati sunt; de Christi adventu, resurrectione, & ascensione, de prædicatione Apostolorum, atque Ethnicorum conversione interpretantes. Juxta historicum autem ac literalem sensum (scriptus enim fuit, ut probabilior fert opinio, quo tempore Arca ex domo Obededom in montem Sionis transferebatur) est carmen triumphale de victoriis Hebræorum, in quo Propheta postulat, ut Deus ante populum suum proficiscatur, hostesque populi præsentia sua dissipet. Dei profectionis pompam, ac prodigia olim in deserto patrata describit, universumque Israelem ad laudes supremi rerum Domini celebrandas hortatur.*

1 O Qui sidereum nutu moderaris Olympum,
Alme Parens, exsurge; fugamque scelesta capessat
Gens, leges exosa tuas: 2 spirantis ut auræ
Deficit afflatu fumi vapor; ut tepefacta
Supposito cera igne liquet; præsentia vultus
Sacrilegos metuenda tui sic dissipet hostes.
3 Ore at lætitiam pia gens testata Tonanti
More patrum plaudet, cæsis epulata juvencis.
4 Carmina quid cessant? age, dicite carmina regi
Cœlicolûm, nomenque sonent vocalia plectra:
Vos illi, quacumque volat ferventibus Arca
Rapta rotis, æquate vias, qui legibus orbem
Æternis regit omnipotens, dominique tremendum

1 Exsurgat Deus, & dissipentur inimici ejus, & fugiant qui oderunt eum, a facie ejus.
2 Sicut deficit fumus, deficiant, sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei.
3 Et justi epulentur, & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia.
4 Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus, iter facite ei, qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.

5 *Exultate in conspectu ejus, * turbabuntur a facie ejus, patris orphanorum, & judicis viduarum.*
6 *Deus in loco sancto suo, Deus*, qui inhabitare facit unius moris in domo.

7 *Qui educit vinctos in fortitudine*, similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulcris.

8 *Deus cum egredereris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto.*
9 *Terra mota est, etenim cæli distillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel.*

10 *Pluviam voluntariam segregabis Deus hereditati tuæ, & infirmata est, tu vero perfecisti eam.*

11 *Animalia tua habitabunt in ea, parasti in dulcedine tua pauperi, Deus.*

12 *Dominus dabit verbum* evangelizantibus, *virtute multa.*

Nomen habet: 5 choreis læti indulgete, patremque
Dicite, qui gremio pueros genitoribus orbos,
Et viduas æquus fovet arbiter. 6 Ille coruscos
Ætheris immensi licet incolat arduus orbes,
Non tamen humanas res obliviscitur; auget
Quippe domos vacuas optata prole, 7 gravesque
Servæ adimit genti dextra victrice catenas:
Dum populos resides sua jussa facessere cogit
In loca senta situ, sterilesque recedere terras,
Atque sepulcrorum similes habitare cavernas.
8 Per salebrosa Arabum quum saxa vagantibus ibas
Signifer Isacidis, 9. motu concussa repenti
Sensit præsentem tellus, cœlique tonantis
Horrificos inter strepitus e nubibus imbres
Grandine commixta fumantis in algida Sinæ
Præcipiti se se fudere cacumina lapsu.
10 Lenibus ast etiam, quales cupiere, benignus
Ah! quoties pluviis saturasti sicca piorum
Arva, fatiscentes renovans ad semina glebas,
Prataque vernanti circumundique gramine pingens,
11 Quo pecudum sedata fames, morbique repulsi;
Quique prius languebat inops, recreatus opimo
Victu animam erexit fugientem, & in horrea lætus
Frugiferæ messis dulces congessit acervos.
12 Tu, quum signa duces referent victricia fractis
Hostibus, egregios nostris cantare triumphos
Virginibus dabis, & gratas celebrare choreas.

13 Mi-

v. 5. * Voces *turbabuntur a facie ejus* in fonte non leguntur.
v. 6. *Hebr. Qui habitare facit unicos*, seu *solitarios in domo.*
v. 7. *Hebr. At rebelles habitaverunt in loco arido & sicco.*
v. 12. *Hebr. Annuntiatricibus.*

13 Milite nos multo reges in fœdera juncti
Nitentur delere; fugæ sed terga paventes
Præcipiti vertent; imbellis fœmina dites
Dividet exsuvias: 14 si tu gens fida Tonanti
Innumeris attrita malis in pulvere fœdo,
Et tripodas inter jaceas fuligine nigros;
Par tamen assurges niveo candore columbæ,
Adverso cui sole color nunc æmulus auri,
Nunc nitor argenti molles discriminat alas:
15 Armigerûmque Deus quum fregerit agmina regum,
Deposito squalore caput Solyma alta superbum
Eriget, & puro fulgebit lumine, qualis,
Quum texere nives, splendet Selmonia rupes.
16 Vertice sublimi licet aurea sidera Basan
Pulset, & armentis viridantes proferat herbas;
Sionio tamen haud ausit contendere monti,
17 Quem Pater omnipotens cunctis præ montibus unum
Delegit gratam sibi cuncta in secula sedem.
18 Illum militiæ cœlestis plurima, læto
Æthera mulcentis modulamine, millia cingunt
Perpetuò; Sinæ seu legifer ardua curru
In juga nubivago tendit, penetralia templi
Accipiunt seu sacra sui, 19 sive ætheris arces
Egregius scandit victor, pompamque triumphi
Hostes compedibus vincti servilibus augent.
Illi devictæ gentes insignia passim
Dona ferunt, 20 mentesque hominum ad meliora redactæ
Vera Dei credunt oracula: 21 nulla Tonantis
Prætereat sine laude dies; certæ ille salutis
Est columen, tutis qui gressibus incedentes
Nos regit: 22 ille Deus, Deus ille est noster, ahena

H 2 Indo-

13 Rex virtutum dilecti, dilecti,& speciei domus dividere spolia.

14 *Si dormiatis inter medios cleros, penna columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri.*

15 *Dum discernit cœlestis reges super eam, nive dealbabuntur in Selmon, mons Dei, mons* pinguis.

16 Mons coagulatus, mons pinguis, *ut quid suspicamini montes coagulatos?*

17 *Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, etenim Dominus habitabit in finem.*

18 *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium, Dominus in eis in Sina in sancto.*

19 *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem, accepisti dona in hominibus.*

20 *Etenim non credentes, inhabitare Dominum Deum*

21 *Benedictus Dominus die quotidie, prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.*

22 *Deus noster, Deus salvos faciendi,& Domini Domini exitus mortis.*

v. 13. *Hebr. Reges bellicosi fœdus inierunt, & fugerunt; at habitatrix domus dividet spolia.*
v. 15. *Hebr. Percutit, punit, ulciscitur.*
Ibid. *Basan.*
v. 16. *Hebr. Mons casei*, vel *mons celsitudinum*, *mons Basan.*

Indomitæ qui ſceptra valet refringere mortis.

23 Verumtamen Deus confringet capita inimicorum ſuorum, verticem capilli perambulantium in delictis ſuis.

23 Ille hoſtes populi, tranquilla mente ſecutos
Triſte nefas, hirtis arreptos crinibus enſe
Percutiet, lethale adigens per tempora vulnus.

24 Dixit Dominus, ex Baſan convertam, convertam in profundum maris.

24 Regem ego Baſanis ut gentibus imperitantem,
Infeſtumque meis domui, Deus inquit; & undis
Ut mea Niliacas ſubmerſit dextera turmas,
Sic quicumque meos temere violarit amicos,

25 Ut intingatur pes tuus in ſanguine, lingua canum tuorum ex inimicis, ab ipſo.

Intereat; 25 tuque, o mea gens, gradiere per altos
Sanguine tincta pedem mactatorum hoſtium acervos,
Et lambent avidis ſanie manantia linguis
Membra canes. 26 Rex alme, tuos videre triumphos

26 Viderunt ingreſſus tuos Deus, ingreſſus Dei mei, regis mei, qui eſt in ſancto.

Iſacidæ, quum tot deletis gentibus olim
Ad tua templa pedem pompa comitante ferebas.

27 Prævenerunt principes conjuncti pſallentibus, in medio juvencularum tympaniſtriarum.

27 Primi ibant, dulci qui carmina voce canebant,
Quique dabant lætos ſonitus citharaque, tubaque:
In medio at cinctæ palmis, oleaque puellæ
Tympana cum ſiſtris, pulcro ordine progredientes,
Dextris pulſabant niveis; 28 ſicque ore monebant:

28 In eccleſiis benedicite Deo Domino, de fontibus Iſrael.

Vos celebrate Deum Iſacio de ſemine creti.

29 Ibi Benjamin adoleſcentulus, in mentis exceſſu.

29 Beniamini etiam, quem partu enixa ſupremum
eſt
Pulcra Rachel, comitem ſe gens adjunxerat illis
Cœtibus, ingentique animum perculſa ſtupore
Senſibus amiſſis obtutu hærebat in uno.

30 Principes Juda, duces eorum, principes Zabulon, principes Nephthali.

30 Magnanimi heic Proceres antiqua ab origine Judæ,
Et Zabulonis erant de ſanguine, torque ſuperbi
Nephthalica de gente duces: 31 tua dextera firmet

31 Manda Deus virtuti tuæ, confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.

Pro populo quod cœpit opus, Deus optime, noſtro,
Et priſcis patrata nova miracula ſeclis.

32 E tem-

32 E templi Solymæi adytis victoria genti
Clara tuæ adveniet, teque immortalibus alti
Laudibus extollent reges dona ampla ferentes.
33 Tu diros hostes domita, deprendere qui nos,
Ceu fera se occultans in arundinibus limosis,
Fraude parant: videu, ut contra nos agmine denso
Deproperent tauris similes, ad bella juvenex
Quos stimulant, patriaque tuos ut pellere sede,
Purior argento queis lex, nitantur amicos?
34 Tu sævas, quæ bella volunt, tu disjice gentes:
Ad te oraturos pacem Mareotica mittet
Terra viros, gensque Æthiopum tibi se dare victam
Gestiet, & lectis cumulans altaria donis
Te colet. 35 Agnoscant vastum te extensa per orbem
Regna, Deus, populique canant te in secula regem,
36 Qui celeri vectus curru ex Oriente per amplum
Æthera ad oppositi tendis spatia ultima mundi.
37 Nulla tuæ imperio vocis res obstat, & illa
Arduus audita polus intremit, imaque tellus.
Te Patrem Isacii generis, Dominumque potentem
Omnia concelebrent, cujus se gloria raucis
Nimborum in regnis prodit, quum dividis igni
Nubila fulmineo, & tonitru quatis ardua mundi
Mœnia; 38 sed major stupefacta in pectora manat
Augusti ex adytis templi penetralibus horror.
Invictum nostræ tu genti robur in hostes
Sufficies: damnum tua gloria nesciat ævi.

32 A templo tuo in Jerusalem, tibi offerent reges munera.

33 Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum, ut excludant eos, qui probati sunt argento.

34 Dissipa gentes, quæ bella volunt, venient legati ex Ægypto, Æthiopia præveniet manus ejus Deo.

35 Regna terræ, cantate Deo, psallite Domino.

36 Psallite Deo, qui ascendit super cœlum cœli, ad Orientem.

37 Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, date gloriam Deo super Israel, magnificentia ejus, & virtus ejus in nubibus.

38 Mirabilis Deus in sanctis suis, *Deus Israel ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus.*

v. 38. *Hebr. Terribilis Dominus ex* adyto *sanctuarii sui.*

PSALMUS LXVIII.

Justi hominis oratio ab hostibus sævissimis & iniquissimis oppressi. Testem innocentiæ suæ Deum vocat, oratque, ut gloriæ suæ causa opem sibi ferat. Hostium potius calamitates vaticinatur, quam mala eis imprecetur; populique reditum, Hierosolymæ urbiumque Judæ restaurationem prædicit. In nonnullis hujus Psalmi versiculis Christum innui patientem manifestò apparet.

1 Salvum me fac Dens, qnoniam intruvernnt aquæ nsque ud uuimam meam.

2 Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.

3 Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me

4 Laboruvi clamuns, runcæ facta sunt fauces meæ, defecerunt ocnli mei, dnm spero in Denm meum.

5 Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qni oderunt me gratis.

6 Confortuti sunt qni persecnti sunt me inimici mei injuste, quæ non rapui, tunc exsolvebum.

7 Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea a te non sunt abscondita.

8 Non erubescant in me, qui expectant te Domine, Domine virtutum.

9 Non confuudautur super me, qui quærunt te, Dens Isruel.

10 Quoniam propter te sustinui opprobrinm, operuit confusio fuciem meum.

1 AFfer opem, Deus, affer opem; me namque malorum
Pene æstuantes obruere vortices.
2 Infixum fundo me detinet alta vorago,
Lentoque limo non licet convellere
Mersa pedum penitus vestigia; 3 in ima profundi
Procella magnis intonata fluctibus
Me vada præcipitem traxit: 4 vox gutture rauco
Propter perennes ejulatus deficit:
Caligant defessa tuendo lumina; 5 6 & acres
Qui me immerentem persequuntur æmuli,
Usque adeo numero crescunt, ut non mea inumbrent
Tanta capilli densitate tempora.
His non per fraudes cogor bona rapta dolosas,
Parata honesto sed labore cedere.
7 Est tibi simplicitas mea cognita; fictaque, nosti,
Quot exprobrarunt innocenti crimina.
8 Ne tibi qui fidunt animo, Pater alme, vacillent,
Si me carentem viderint solatio;
9 Dejectoque tui vultu haud tristentur amici,
In rebus abs te si relinquar asperis.
10 Fœda ego te propter sum vulgi opprobria passus,
Et mœsta turpis ora signavit pudor.

11 Me

11 Me velut externum renuunt agnoscere fratres,
Quique ex eodem ventre matris editi,
Me gnati vitant, atque execrantur: 12 amara
Mihi intumescens bile pectus æstuat,
Quum tua flagitiis incessant sacra profanis:
Conjecta nomen in tuum convicia
Me contra conjecta reor, sensuque doloris
Acerbioris corda nostra vulnerant.
13 Si tenuo per longa domans jejunia corpus,
Fletusve spargo, ceu stolidus irrideor.
14 Hirsuta si veste tegor, quæ maceret artus,
Fio immodestæ civitatis fabula.
15 Me Proceres probris portæ in statione petebant,
Interque calices turba risit ebria.
16 Talibus at supplex te vocibus implorabam:
Adesse tempus jam vides, ut tristibus
Expediar tandem curis: 17 audi ocius ergo,
Audi precantem, meque præsens adjuva,
Sancte Parens, cujus bonitas terramque polumque
Immensa replet, & salutis munera
Expectata diu promissi haud immemor affer.
18 Tu me, lutosa fixus in voragine
Ne miser inteream, releva, gentisque scelestæ
Me devoventis reprime impudentiam.
19 Ne sine, me tumidis tempestas obruat undis,
Barathrique fauces me profundi absorbeant.
20 O Pater humanæ miserans incommoda gentis,
Te, quæso, redde supplici placabilem:
21 A famulo vultum ne dura ferente retorque;
Cito at precantis vota duc ad exitum.
22 Sit vitæ tibi cura meæ, finemque malorum
Impone, ut hostes erubescant impii.
23 Tu nosti, quam sæpe probris sum læsus amaris,
Vultumque quoties decoloravit pudor.
24 Ante oculos stat turba tuos me tristè fatigans,
Novoque luctu sauciare cogitat.
25 Me miserum! tota cui nemo repertus in urbe est,
Meo dolore qui doleret anxius;

11 Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ.
12 Quoniam zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.
13 Et operui in jejunio animam meam, & factum est in opprobrium mihi.
14 Et posui vestimentum meum cilicium, & factus sum illis in parabolam.
15 Adversum me loquebantur, qui sedebant in porta, & in me psallebant, qui bibebant vinum.
16 Ego vero orationem meam ad te Domine, tempus beneplaciti Deus.
17 In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me, in veritate salutis tuæ.
18 Eripe me de luto, ut non infigar, libera me ab iis qui oderunt me, & de profundis aquarum.
19 Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum.
20 Exaudi me Domine, quoniam benigna est misericordia tua, secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me.
21 Et ne avertas faciem tuam a puero tuo, quoniam tribulor, velociter exaudi me.
22 Intende animæ meæ, & libera eam, propter inimicos meos eripe me.
23 Tu scis improperium meum, & confusionem meam, & reverentiam meam.
24 In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me, improperium expectavit cor meum, & miseriam.
25 Et sustinui qui simul contristaretur, & non fuit,

& qui consolaretur, & non inveni.

26 Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto.

27 Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones, & in scandalum.

28 Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurva.

29 Effunde super eos iram tuam, & furor ira tua comprehendat eos.

30 Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.

31 Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

32 Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in justitiam tuam.

33 Deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur.

34 Ego sum pauper, & dolens, salus tua, Deus, suscepit me.

35 Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude.

36 Et placebit Deo super vitulum novellum, cornua producentem & ungulas.

37 Videant pauperes, & latentur, quarite Deum, & vivet anima vestra.

38 Quoniam exaudivit pauperes Dominus, & vinctos suos non despexit.

39 Laudent illum cœli & terra, mare, & omnia reptilia in eis.

40 Quoniam Deus salvam faciet Sion, & adificabuntur civitates Juda.

Lenibus aut saltem mihi qui solatia dictis
Præbens levaret cordis ægrimoniam.
26 Felle dedere mihi tinctas, ut vescerer, escas,
Sitimque aceto depulere fervidam.
27 Illis suppeditet pariter sua mensa venenum,
Interque dulcia jugulentur fercula:
Inde sibi tristes videant instare ruinas,
Ubi salutis collocarant anchoram.
28 Lumina perpetua caligine cinge, suisque
Corpus vacillet destitutum viribus.
29 Hos super e pleno tua pectore depluat ira,
Et tua merentes insequatur ultio.
30 Quas coluere domos desertas redde, nec ullus
Habitet sceleftæ gentis in tentoriis.
31 Nam, tua percussit quem dextra, immitius urgent,
Exasperantque refricando vulnera.
32 Culparum impediant se nexibus usque novarum,
Tuæque careant æquitatis præmio.
33 Illos e censu viventum erade, nec unquam
Lætis piorum misceantur cœtibus.
34 At me ægrum, & nimia curarum mole gravatum
Tuere, quæso, jamque redde sospitem.
35 Te laude assidua, Genitor, celebrabo; tuumque
Canora nomen personabit barbitos.
36 Hoc fuerit tibi dulce magis, quam si tener aram
Tuam juvencus imbuisset sanguine,
Cui cornu emicuit, firmavitque ungula plantas:
37 Mites videbunt, gestientque gaudio;
Quique Deum metuunt, degent securius ævum.
38 Ille audit inopum vota, nec servilibus
Constrictos vinclis obliviscetur amicos.
39 Ergo illum Olympi prædicet fulgens domus,
Terrarumque sola, undisonique tumentia ponti
Freta, atque vastus quidquid orbis continet.
40 Ille Sionæam servabit ab hostibus arcem,
Judæque lapsas civitates eriget:

41 Has

41 Has læti Isacidæ firma ditione tenebunt,
Suisque linquent possidendas liberis:
42 Illic, qui sancta numen pietate verentur,
Seclis nepotes sempiternis incolent.

41 Et inhabitabunt ibi, & hæreditate acquirent eam.

42 Et semen servorum ejus possidebit eam, & qui diligunt nomen ejus, habitabunt in ea.

PSALMUS LXIX.

Sibi & piis omnibus implorat opem a Deo; hostibus vero confusionem prædicit.

1 IN rebus trepidis mihi, benigne
Parens, affer opem, malisque fractum
Levare accelera: viden, quot hostes
Meam in perniciem feruntur? 2 Ora
Illis at pudor occupet, metusque
Turbet pectora; 3 denique terga turpi
Fugæ qui mihi damna moliuntur.
4 Fac ignominiæ notis inusti,
Me salvo, hi fugiant, & erubescant,
Qui, quum turbine me vident malorum
Premi, lætitia fremunt: 5 at omnes,
Qui fido tibi pectore obsequuntur,
Quique in te sibi spem locant salutis,
Prodant gaudia plausibus, tibique
Laudes carmine deferant perenni.
6 Ast ego auxilio carens, malisque
Curis anxius invoco salutis
Meæ te columen, Deus: 7 fer ergo
Opem, nam potes, ocius misello,
Ne frementibus obruar procellis.

1 Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina.

2 Confundantur, & revereantur, qui quærunt animam meam.

3 Avertantur retrorsum, & erubescant, qui volunt mihi mala.

4 Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi, euge, euge.

5 Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te, & dicant semper, magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

6 Ego vero egenus, & pauper sum, Deus adjuva me.

7 Adjutor meus, & liberator meus es tu, Domine ne moreris.

PSALMUS LXX.

David jam senex opem Dei adversus impios exposcit, testaturque, perpetuam in illo fiduciam se se habiturum, neque a Dei laudibus se se cessaturum, quum præsertim hostium injuriis, odiisque liber fuerit.

1 In te Domine speravi, non confundar in æternum, in justitia tua libera me, & eripe me.

1 IN te omnis uno sancte quum rerum sator
Tempus in omne mihi
Locata sit spes auxilî,
Non me illa, donec vixero, frustrabitur:
Ergo fer æquus opem,
Meque e periclis eripe:

2 Inclina ad me aurem tuam, & salva me.

2 Tu mitis aurem te vocanti commoda,
Incolumemque tuo
Me, quæso, redde numine.

3 Esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum, ut salvum me facias.

3 Adversus hostes sis mihi columen, velut
Turris ahena, salus
Sperata ne me deserat.

4 Quoniam firmamentum meum, & refugium meum es tu.

4 Tu namque robur es, Deus, fortissimum,
Confugiumque mihi
In rebus unus asperis.

5 Deus meus, eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis, & iniqui.

5 Scelesti ab hostis vindica me dextera,
Omnia qui temere
Legum refringit vincula.

6 Quoniam tu es patientia mea Domine, Domine spes mea a juventute mea.

6 Tu dulce mœsto pectori solatium,
Spesque opis haud dubia
Fuisti ab annis primulis.

7 In te confirmatus sum ex utero, de ventre matris meæ tu es protector meus.

7 Tu me parentis ab utero vix editum
Non secus atque tuum
Amplexus es puerulum,
Gaudens ab illo me tueri tempore:

8 In te cantatio mea semper, tamquam prodigium factus sum multis, & tu adjutor fortis.

8 Nocte dieque meis
Feram te in astra cantibus.
Novere vitæ qui graves casus meæ
Prodigio similem,
Quod dura tot tuli, putant;
Nil pertimesco sed procellas asperæ
Sortis: opem ætherea
Ab arce nam feres mihi.

9 Ho-

9 Hostes dolebunt invidi, dum laudibus
Vox mihi plena tuis
Sonabit ore, & carmine
Tuam perenni prædicabo gloriam.
10 Ne mihi terga seni
Vertas, nec ægrum deseras.
11 Scelesta namque gens, meis quæ retia
Gressibus insidians
Prætendit, ecce convenit,
12 Tumultuansque pervicaci talia
Murmurat ore: „ suus
„ Jam dereliquit hunc Deus:
„ Ergo insequamur, atque violenta manu
„ Corripiamus; opem
„ Vindex quis illi præbeat?
13 At tu, procella dum furit, ne longius
Alme recede Deus,
Prædam nec hosti desere.
14 Qui me dolosis aucupantur artibus,
Dedecorantque meam
Famam, erubescant impii
Hostes, suisque decidant conatibus.
15 16 At mea semper eris
Tu spes, novisque laudibus
Te semper extollam, arbiter justissime,
Te sine fine meæ
Salutis auctorem canam;
17 Doctisque quamquam non ego mentem satis
Artibus excolui,
Præbente lumen te mihi,
Conabor aliquid de tua potentia
Dicere; justitia
Potissimis at laudibus
Mihi efferetur, qua fui sospes, tua.
18 Tu mihi multa, Deus,
Primis ab annis pandere
Dignatus es tuæ opera mira dexteræ;
Hactenus illa meis
Vulgata late cantibus

9 Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.

10 Ne projiciat me in tempore senectutis, cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.

11 Quia dixerunt inimici mei mihi, & qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum.

12 Dicentes, Deus dereliquit eum, persequimini, & comprehendite eum, quia non est qui eripiat.

13 Deus ne elongeris a me, Deus meus, in auxilium meum respice.

14 Confundantur, & deficiant detrahentes animæ meæ, operiantur confusione & pudore, qui quærunt mala mihi.

15 Ego autem semper sperabo, & adjiciam super omnem laudem tuam.

16 Os meum annuntiabit justitiam tuam, tota die salutare tuum.

17 Quoniam non cognovi literaturam, introibo in potentias Domini, Domine memorabor justitiæ tuæ solius.

18 Deus docuisti me a juventute mea, & usque nunc pronuntiabo mirabilia tua.

Fue-

19 Et usque in senectam, & senium, Deus ne derelinquas me.

Fuere, 19 eruntque vel senecta in ultima;
Ne tamen hoc opere
Me derelinque in arduo,

20 Donec annuntiem brachium tuum generationi omni, quæ ventura est.

20 Dextræ futuris donec apto carmine
Fortia facta tuæ
Annuntiaro seculis,

21 Potentiam tuam, & justitiam tuam Deus usque in altissima, quæ fecisti magnalia, Deus quis similis tibi?

21 Sciant ut omnes, quam potestas inclyta
Sit tibi, quoque regas
Cuncta æquitatis ordine.
O numen orbis unicum, quis cetera
Æquiparare tibi
Ausit Deorum numina?

22 Quantas ostendisti mihi tribulatiines multas, & malas, & conversus vivificasti me, & de abyssis terræ iterum reduxisti me.

22 Quot me experiri dura rerum feceras!
Quamque ego sæpe nigræ
Ad mortis usque limina
Descenderam! sed illico me dextero
Lumine respiciens
Lethi abstulisti e faucibus.

23 Multiplicasti magnificentiam tuam, & conversus consolatus es me.

23 Tu reddidisti pristinum decus mihi,
In mediisque meum
Cor recreasti angustiis.

24 Nam & ego confitebor tibi in vasis psalmi veritatem tuam, Deus psallam tibi in cithara, sanctus Israel.

24 Idcirco gratus te canam, sanctissime
Isacidum genitor;
Tuasque laudes aureum
Nunc personabit barbiton, nunc nablium.

25 Exultabunt labia mea cum cantavero tibi, & anima mea, quam redemisti.

25 Quot mea dulcisonis
Vox efferet te cantibus!
Et quali hic animus perfruetur gaudio,
Numine sæpe tuo
A morte raptus impia!

26 Sed & lingua mea tota die meditabitur justitiam tuam, cum confusi & reveriti fuerint qui quærunt mala mibi.

26 Hinc nulla mihi lux præteribit, qua tuæ
Non celebretur honos
Mihi æquitatis; at malis,
Qui me laborant perdere, os teget pudor,
Criminis usque sui
Premente conscientia.

PSAL.

PSALMUS LXXI.

David Deum orat, ut Salomonem filium suum regni habenas capessentem divinæ sapientiæ lumine illustret, & gratia cumulet, utque in universum populum suæ beneficentiæ munera effundat. Regni illius amplitudinem, felicitatem ac diuturnitatem vaticinatur. In figura autem Salomonici regni Messiæ majestas, ejusque regni gloria in omnia secula duratura prædicitur.

1 2 DA regi Isacidum, Deus, ut sapientia mentem,
Te duce, vera regat; soboli da regis, ut Æqui
Ad normam flectens animum det mitia genti
Jura suæ, & clypeo legum defendat egentes.
3 Aerii pacem montes, pacemque profundæ
Valles perpetuò resonent; atque aspera cultu
Justitiam agrestum gens diligat: 4 ille tuendas
Ultro inopum causas, & defensore carentum
Suscipiet, plectetque malos; 5 &, donec Olympo
Sol rapidos agitabit equos, & dividet atræ
Nocti luna jubar, magnum quæ sparsa per orbem
Regna sui metuent vim numinis; 6 utque sine ullo
Delabens strepitu terram juvat imber, & æstu
Ros velut in magno languentes erigit herbas,
Haud secus adveniens populos bonus ille beabit;
7 Sceptraque quum capiet, toto florebit in orbe
Justitia, & terras pax incolet aurea, donec
Luna reget tacitæ labentia tempora noctis.
8 Quantus ab Eoo protenditur æquore tractus
Æquor ad occiduum, magnoque Euphratis ab amne
Quidquid ad extremos fines interjacet orbis
Ultro

1 Deus judicium tuum regi da, & justitiam tuam filio regis.
2 Judicare populum tuum in justitia, & pauperes tuos in judicio.

3 Suscipiant montes pacem populo, & colles justitiam.

4 Judicabit pauperes populi, & salvos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem.
5 Et permanebit cum sole, & ante lunam, in generatione & generationem.

6 Descendet sicut pluvia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram.

7 Orietur in diebus ejus justitia, & abundantia pacis, donec auferatur luna.

8 Et dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum.

9 Coram illo procident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent.

Ultro sibi agnoscet dominum ; 9 Æthiopumque superba
Illius ante pedes gens procidet, atque jacentes
Pulvere in immundo serviliter oscula terræ
Insigent hostes veniam, pacemque precantes:

10 Reges Tharsis, & insulæ munera offerent, reges Arabum, & Saba dona adducent.

11 Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei.

12 Quia liberabit pauperem a potente, & pauperem, cui non erat adjutor.

13 Parcet pauperi, & inopi, & animas pauperum salvas faciet.

14 Ex usuris & iniquitate redimet animas eorum, & honorabile nomen eorum coram illo.

15 Et vivet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipso semper, tota die benedicent ei.

10 Quique tenent pontum, & cinctas vasto æquore terras,
Et dites Arabum reges, mollesque Sabæi
Dona ferent, 11 cunctique colent, metuentque tyranni,
Nullaque non illi gens serviet ; 12 ille potentis
Depressos inopes fastu, auxilioque carentes
Eripiet, 13 rebusque ferens solatia fessis
Eriget, 14 injustoque gravatos fœnore solvet ;
Hisque suus nec deerit honos, neque fama peribit.
15 Illius in vitam nil invida juris habebunt
Secula, magnificumque illi vectigal in auro
Dives opum regio mittet Nabathæa quotannis,
Æternoque suas celebrabit carmine laudes.

16 Et erit firmamentum in terra in summis montium, superextolletur super Libanum fructus ejus, & florebunt de civitate sicut fœnum terræ.

16 Regna tenente illo, summa usque ad culmina duros
Per montes frumenta ferent ; & messis in altum
Succrescens vento dabit exagitata sonorem,
Qualem est in Libani cedris audire, ubi rami
Se flictu alterno feriunt: tanta incolet urbes
Copia felicis populi, viridantia verno
Tempore quam multis pinguntur floribus arva.

17 Sit nomen ejus benedictum in sæcula, ante solem permanet nomen ejus.

17 Illius augustum per secla perennia nomen,
Quod viguit, Sol ante vaga quam lampade luxit,
Fama immortalis memoret: 18 gens quæque per illum

18 Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum.

Sit

v. 16. *Hebr. Frumentum*, seu *copia frumenti*, ut alii vertunt.

Sit felix, magnifque omnes extollere certent
Laudibus. 19 Ifaciæ gentis regique Deoque,
Qui fieri fic mira jubet, decus efto, 20 fuumque
Perpetuis nomen feclis celebretur, & omnem
Numinis alma fui majeftas repleat orbem.

19 Benedictus Dominus Deus Ifrael, qui facit mirabilia folus.
20 Et benedictum nomen majeftatis ejus in æternum, & replebitur majeftate ejus omnis terra, fiat, fiat.

FINIS LIBRI SECUNDI.

PARA-

PARAPHRASIS POETICA

IN LIBRUM TERTIUM PSALMORUM.

PSALMUS LXXII.

Asaphus hujus Psalmi, & decem sequentium author, postquam diu cum animo suo pugnavit, divinæ æquitatis bonitatisque aspectu convictus suarum cogitationum errorem detegit. Offensus enim impiorum felicitate in hac vita, quæ sæpe piis lapsus, & querelarum occasionem præbet, de ea fere per totum Psalmum oratione satis concitata verba facit. Demum concludit, quidquid exterior rerum species suadeat, humanarumque rerum vices significent, æquissimas esse Dei vias, & obscurissima licet Providentiæ consilia, meram esse æquitatem; quum brevi impiorum felicitati perpetua reservetur calamitas; adeoque summum bonum in sola Dei dilectione constituit.

1 Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde!

2 Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei.

3 Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.

4 Quia non est respectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum.

5 In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.

1 Quam præbet æquum se Deus Isaci
Infecta nulla queis scelerum lue
Sunt corda, jam nosco: 2 sed atris
In tenebris titubante quondam
Gressu ferebar tramite lubrico,
Præoccupata mente ab inanibus,
Persæpe quæ fiunt, querelis,
Meque prope in vitium trahebat
Communis error: 3 namque ubi in otio
Vidi scelestos degere commoda
Tot inter, & flatu secundo
Ire ratem, invidia beatæ
Sortis movebar. 4 Non metus afficit
Illos severæ mortis, & aspera
Haud cura mordet, 5 nec laborum,
Ut reliquos, series fatigat.

For-

Fortunâ tristi verbere sæviens
Vix audet illos tangere, ab omnibus
Emergere assuetos periclis
Protinus, anxiferoque luctu.
6 Fastu procaces hinc nimio tument,
Cunctisque prorsum flagitiis, velut
Veste obteguntur, 7 queis vigorem
Dant epulæ, illecebræque molles.
8 Quidquid voluptas lubrica præcipit,
Contaminato pectore cogitant,
Tum quidquid admisere turpe
Haud reticent, decorique vertunt.
9 Lingua impudenti non homines sat est
Incessere: ipsos in superos quoque
Proferre non horrent ab ore
Sacrilego temere querelas.
10 Heu! gens timendum est ne pia (dum videt
Cursu scelestis omnia prospero
Delabi ad extremam senectam)
Ingenuum excutiat modestæ
Mentis pudorem, 11 talia turbido
Nam corde volvit: quis putet, omnia
In orbe quæ fiunt ab alta
Ætheris arce Deum intueri;
Si digna factis præmia negligit
Referre? 12 Multis ecce opibus malos
Sors auctat, & luxu fluentes
Vitam alacres agitant beatam.
13 Turbæ incitatus questibus impiæ
Voce hac lacesso sidera: quid juvat,
Immune quod pectus dolosæ
Fraudis erat, scelerisque dextra?
Quodque innocentum cœtibus additus
Recto ambulabam tramite, 14 atrocibus
Irata si cædit flagellis
Sors miserum, neque surgit ulla
Mœroris expers lux mihi? 15 Si tamen
Hæc adprobarem, quæ temerarius
Tunc mentis effari, pudore
Posthabito, mihi suasit ardor,

6 Ideò tenuit eos superbia, operti sunt iniquitate & impietate sua.
7 Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis.
8 Cogitaverunt, & locuti sunt nequitiam, iniquitatem in excelso locuti sunt.

9 Posuerunt in cœlum os suum, & lingua eorum transivit in terra.

10 Ideo convertetur populus meus hic, & dies pleni invenientur in eis.

11 Et dixerunt, quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso?

12 Ecce ipsi peccatores, & abundantes in seculo, obtinuerunt divitias.

13 Et dixi, ergo sine causa justificavi cor meum, & lavi inter innocentes manus meas,

14 Et fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis.

15 Si dicebam, narrabo sic, ecce nationem filiorum tuorum reprobavi.

Gens nonne summo dedita numini,
Quæ se futuri spe recreans boni
Fert fortis adversæ rigorem,
Stultitiæ foret arguenda?

16 Existimabam ut cognoscerem hoc, labor est ante me

16 Caliginosis hæc tenebris licet
Immane noctis contegeret chaos,
Tentabat enixè latentes
Vis animi penetrare causas:
At omnis in cassum heu! cecidit labor,

17 Donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in novissimis eorum.

18 Verumtamen propter dolos posuisti eis, dejecisti eos dum allevarentur.

17 Donec supernis e penetralibus
Immissa lux menti; malosque
Qui manet exitus, inde cœpi
Videre tandem: 18 labilis impiæ
Gentis quod esset sors, male fidaque
Tunc novi, ab alto dum feruntur
Culmine præcipites ad imum.

19 Quomodo facti sunt in desolationem, subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam.

19 En, ut repente ob crimina vindicis
Sternuntur ira numinis, utque opes
Radicibus divulsæ ab ipsis
Divitis exitium sequuntur!

20 Velut somnium surgentium, Domine in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.

20 Vis, quæ severi nube supercilî
Terrebat urbem, evanuit in leves
Fumos, ut excusso recedunt
Vana procul simulacra somno,
Sopore mersos ludificantia
Sensus. 21 Quid ergo causæ erat, ut mihi

21 Quia inflammatum est cor meum, & renes mei commutati sunt, & ego ad nihilum redactus sum, & nescivi.

Sic pectora indigno æstuarent
Invidiæ lacerata morsu?
Mentis profundum stultus ego tuæ
Dimetiebar consilio brevi;

22 Ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.

22 Nec sentiebam, sic agentem
Me stolidæ pecudi esse factum,
Fræno reluctans quæ trahitur, parem:
At me regendum jam tibi tradidi,
A teque non ullo deinceps
Tempore me patiar revelli.

23 Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.

23 Inter tumultus tu me animi, & prope
Errore victum, ne ruerem, tua
Dextra prehensum roborasti,
Consilioque tuo volentem

Di-

Direxti, ut æquo tramite tenderem;
Curisque pulsis pectore turbido
Me gloria, insignique honore, ut
Te celebrem, Deus, induisti.
24 Quænam ergo posthac res placeat mihi?
Tellusque quidnam, vel polus astrifer
Habet, quod explere inquietum
Cor valeat mihi, præter unum
Te, qui voluptas pectoris unica,
Et meta amoris perpetua es mei?
25 Languere qui corpus, meumque
Præ nimiis animum æstuantem
Consumier desideriis Tui
Facis, reperto te mihi dum frui
Contingat. 26 At quotquot rebelli
Te fugiunt animo, bonisque
Tuis qui abusi non tibi militant,
Eradicabis funditus; 27 ast ego
Te sector, & jungi perenni
Discupio tibi nexu amoris.
Tu firma rebus semper ades meis
Spes, & levamen: 28 sacro ego te canam
Sionis in templo, tuasque
Perpetuò celebrabo laudes.

24 Quid enim mihi est in cælo? & a te quid volui super terram?

25 Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

26 Quia ecce, qui elongant se a te, peribunt, perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.

27 Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.

28 Ut annuntiem omnes prædicationes tuas, in portis filiæ Sion.

PSALMUS LXXIII.

Populi Israelitici malis cruciati oratio. Templum crematum, atque ab hostibus pollutum. Nullum ex prophetis solatium. Antiqua prodigia a Deo patrata populi sui gratia recitantur. Rogatur Deus, ut hostium superbia meminerit, illosque deprimat.

1 Alme cur pastor pecudes ovilis
Nos tui heu! linquis penitus? Quid ira
Sic tibi vultus flagrat, evomuntque
Lumina flammas?

1 Ut quid Deus repulisti in finem, iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ?

I 2 Qui

v. 1. *Hebr. Fumat naris tua.*

2 Memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio.

3 Redemisti virgam hæreditatis tuæ, mons Sion, in quo habitasti in eo.

4 Leva manus tuas in superbias eorum in finem, quanta malignatus est inimicus in sancto!

5 Et gloriati sunt qui oderunt te, in medio solemnitatis tuæ.

6 Posuerunt signa sua, signa, & non cognoverunt sicut in exitu super summum.

7 Quasi in silva lignorum securibus exciderunt januas ejus in idipsum, in securi & ascia dejecerunt eam.

8 Incenderunt igni sanctuarium tuum, in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.

9 Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul, quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra.

10 Signa nostra non vidimus, jam non est Propheta, & nos non cognoscet amplius.

2 Qui tuus prima fuit ab juventa,
Rebus in duris populi memento,
3 Quem jugo pressum tua servitutis
Dextra redemit.
Hunc tibi addixti; patrimoniumque
In tuum est lectus tibi mons Sionis,
Ut tuos illinc regeres amico
Numine præsens.

4 Surge jam vindex, tumidasque frange
Hostium mentes, tibi qui dicatum
Polluunt templum, spoliantque sævâ
Bile furentes.

5 Heic, ubi laudes pia concinebat
Gens tibi, horrendi strepitus tubarum,
Et profanantum tua festa clamor
Personat aures.

6 Cerne, vexilla ut statuunt in altis
Arcibus captæ sibi nuper urbis,
Teque ut oblito violenta mentem
Abstulit ira?

7 Qualis auditur, valida bipenni
Ista quum quercus cadit, excidentis
Ædis est idem fragor: ecce portæ
Limina duris
Vectibus frangunt, solidique postes
Cardine evulsi cecidere; quodque
Fugerat dextras hominum rapaces,
Perdidit ignis.

8 Pro! tui sacram temere profanant
Numinis sedem, tacitoque secum
Corde decernunt abolere diris
Omnia flammis;

9 Scilicet cultus tibi ne superfit
Ullus in terris: manet hoc nefandâ
Mente defixum, tua nequis ultra
Festa frequentet.

10 Tot malis pressi fieri haud videmus
Signa, quæ patrum stupuere secla,
Aptaque afflictos recreare vatum oracula cessant.

O quis,

O quis, o nobis modo nuntiaret
Voce non falsa; cito quod malorum
Terminus fessis aderit, quiesque
Prima redibit!

11 Quo fines ah! quo, Deus, usque, amaris
Ut tuum probris sine fine nomen
Carpat illudens ferus hostis, & te
Provocet audax?

12 Cur in ultrices tua dextra pœnas
Cessat? Eductam gremio in nocentes
Tolle, 13 nam longo moderator audis
Noster ab ævo.

Sæpe te promptam dare vidit orbis
Huic in adversis populo salutem
Rebus; 14 extemplo tibi dividenti
Paruit unda,

Ut Tuis illac aditus pateret:
Paruit rursum, revoluta magno
Quum duces agmen validum trahentes
Impete mersit.

15 Obruit regem capite eminentem
Ceteros supra, velut inter angues
Fronte cristata draco, squammeoque
Tergore surgit.

Litore in vasto putrefacta corvos
Membra pascebant: 16 silice e rigenti,
Te jubente, inter scatuit perustas
Rivus arenas,

Quo sitis pulsa Isacidum; tuæque
Vocis ad jussum tenuere retro
Alites cursum fluvii arefacto
Protinus alveo.

17 Tu diem nobis revehis, coronans
Aureis solem radiis; tegisque
Frigidis noctem tenebris, 18 solumque
Æquore cingis:

Æquor ast ipsum exitiale terris
Ne sit, anfractu sinuosa longo
Litora opponis, tumidumque certa
Lege coerces.

11 Usquequo Deus improperabit inimicus, irritat adversarius nomen tuum in finem?

12 Ut quid avertis manum tuam, & dexteram tuam, de medio sinu tuo in finem?

13 Deus autem rex noster ante secula, operatus est salutem in medio terræ.

14 Tu confirmasti in virtute tua mare, contribulasti capita draconum in aquis,

15 Tu confregisti capita draconis, dedisti eum escam populis Æthiopum.

16 Tu dirupisti fontes, & torrentes, tu siccasti fluvios Ethan.

17 Tuus est dies, & tua est nox, tu fabricatus es auroram & solem.

18 Tu fecisti omnes terminos terræ, æstatem & ver tu plasmasti ea.

Tu regis cursum variantis anni;
Namque ubi terras glaciale adussit
Frigus, accedit redimita flavis
Messibus æstas.

19 Memor esto hujus, inimicus improperavit Domino, & populus insipiens incitavit nomen tuum.

19 Tanta quum rerum tibi sit potestas,
Nunc eam ostenta, Deus alme, quum te
Stulta gens audet temere, tuumque incessere nomen.

20 Ne tradas bestiis animas confitentes tibi, & animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

20 Ne gregem charum tibi, ne vorandum
Faucibus sævis hominum furentum
Trade, nec semper gemitus egenæ
Despice turbæ.

21 Respice in testamentum tuum, quia repleti sunt, qui obscurati sunt, terræ domibus iniquitatum.

21 Cum tuis ictum tibi fœdus olim
Ah! modo in mentem revoces, iniqua
Fraude dum nostras sibi vilis ædes
Arrogat hostis.

22 Ne avertatur humilis factus confusus, pauper & inops laudabunt nomen tuum.

22 Ne miser cassis precibus, maloque
Ora perfusus redeat pudore;
At tuum parta celebret salute
Effice nomen.

23 Exsurge Deus, judica causam tuam, memor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt tota die.

23 Orbis o rector metuende surge,
Et tuam judex age juste causam;
Quæque vecordes jaculantur hostes,
Percipe probra.

24 Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum, superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.

24 Fixa sint alta tibi mente; namque
Impia insanos magis usque turba
Excitat motus, tumidique fastum
Pectoris auget.



PSAL-

PSALMUS LXXIV.

Justos Dei laudes celebraturos esse dicit; impios autem, nisi resipiscant, superbiamque animi coram Deo supremo mundi judice ponant, ab eo severissimè puniendos, & calicem iræ suæ bibituros esse affirmat.

1 Parens beatè cœlitum, te laudibus
More efferemus patrio,
Tuoque rite supplicantes numini
2 Tot mira dextræ gentibus
Tuæ universis facta prædicabimus.
„ Vobis at ipse præmium,
„ (Sic inquis) orbi quum suo jus tempore
„ Judex tremendus dixero,
„ Ob hæc peramplum cogito rependere;
„ 3 Tota intremiscat motibus
„ Non usitatis terra, quique illam incolunt
„ Muti pavore palleant;
„ Hanc ipse firma vinciam compagine,
„ Sua roborans fundamina.
4 5 Quam sæpe iniqui me tonantem vocibus
His audiere! absistite
Nefanda, stulti, perpetrare crimina,
Cœlumque ne superbia
Insanienti provocate. Quis furor
Vos tantus urget, in Deum
Injuriosas ore voces promere?
6 Hunc at severum judicem
Sperate quondam: tunc remota quærere
Quid Occidentis litora,
Quid in Orientis vos juvabit ultimas
Abire terras? Montium
Specusne vasti vos queant, vel frondeæ
Celare solitudines?
7 Huic ille sceptrum, si voluntas id sua
Feret, superbo detrahet;
Illique regnum, si lubebit, ordine
De plebis imæ deferet.

1 Confitebimur tibi Deus, confitebimur, & invocabimus nomen tuum.

2 Narrabimus mirabilia tua, cum accepero tempus, ego justitias judicabo.

3 Liquefacta est terra, & omnes qui habitant in ea, ego confirmavi columnas ejus.

4 Dixi iniquis, nolite inique agere, & delinquentibus, nolite exaltare cornu.
5 Nolite extollere in altum cornu vestrum, nolite loqui adversus Deum iniquitatem

6 Quia neque ab Oriente, neque ab Occidente, neque a desertis montibus, quoniam Deus judex est.

7 Hunc humiliat, & hunc exaltat, quia calix in manu Domini vini meri plenus misto.

Mero ille calicem exuberantem turbido
Dextra tenet, cui toxicum
Sui furoris amarulentum miscuit.

8 Et inclinavit ex hoc in hoc, verumtamen fex ejus non est exinanita, bibent omnes peccatores terra.

8 Potabit illinc impiæ
Quodcumque gentis vasta tellus ultimos
Ad usque fines continet:
Est fæcis ingens copia, nec ullis erit
Exhaurienda feculis.

9 Ego autem annuntiabo in seculum, cantabo Deo Jacob.

9 At ipse sospes efferam præconiis
Deum, Abrahami quem pia
Gens colit, & ejus omnibus potentiam
Annuntiabo gentibus.

10 Et omnia cornua peccatorum confringam, & exaltabuntur cornua justi.

10 Omne impiorum robur, & superbiam
Hoc adjuvante conteram:
Ornata virtus inclytis honoribus
Nitebit almo lumine.

PSALMUS LXXV.

Laudat Deum pro victoria ab Assyriis relata tempore Ezechiæ regis, quum in castris Sennacheribi una nocte cæsa essent centum octoginta quinque millia 4. Reg. 19. Ut Deum adeo terribilem, qui vitæ necisque arbiter est, omnes metuant admonet.

1 Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus.

1 Unum, quem superæ regna tremunt domus,
Qui terræ & pelagi fluctibus imperat,
Gens Judæa Deum noscit, & illius
Nomen grandiloquo carmine prædicat.

2 Et factus est in pace locus ejus, & habitatio ejus in Sion.

2 Ille & Sioniis collibus insidet,
Præsenti & Solymos numine protegit.

3 Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, & bellum.

3 Heic arcus validos, atque micantia
Ferro comminuit tela tricuspide:
Heic scuta & rigidos fregit acinaces,
Et mille impedit bellum adamantinis,
Quæ vis nulla queat frangere, vinculis.

4 Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis, turbati sunt omnes insipientes corde.

4 Tu reges avidos se locupletibus Dita-

v. 4. *Hebr. Terribilis es tu, (o Deus) magnifice, seu illustris in montibus præda,*

Ditare exsuviis exspolias, Deus,
Prosternisque solo, ceu Leo, montibus
Qui prædam in Lybicis fortiter arripit.
Consternati animis illico spiritus
Abjecere truces, 5 perpetuam sopor
In noctem miseris lumina condidit.
Oblita est gladios stringere aheneos
Fortis dextra virûm: 6 vox equitem tua
Dorso e quadrupedis præcipitem dedit,
Confregitque rotas curruûm, & omnia
Replevit gemitu castra. 7 Quis audeat,
Irarum facibus quum tibi pectora
Arsere, ad te oculos tollere? Quis tuis
Demens objiciat fulminibus caput?
8 9 Horum terrificus quum fragor ardua
Mundi concuteret mœnia, ut impiis
Mersis æquoreo gurgite sospitem
Servares populum morigerum tibi,
Omnis terra sacro pressa silentio
Te magnum extimuit vindicem. 10 Ab hostibus
O quanta edomitis materies tuæ
Nobis laudis adest! Siquid at asperæ
Iræ in te residet, nominis in tui
Hostes præcipiti depluat impete.
11 Sed jam deposito tu pia gens metu
Regi cœlicolûm vota fer optimo,
Ac persolve libens: 12 muneribus tibi
Hunc tu concilia, qui valet impiis
Cum vita imperium tollere regibus.

5 *Dormierunt somnum suum*, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.

6 *Ab increpatione tua Deus Jacob dormitaverunt qui ascenderunt equos.*

7 *Tu terribilis es, & quis resistet tibi? ex tunc ira tua.*

8 *De cœlo auditum fecisti judicium, terra tremuit, & quievit.*

9 *Cum exsurgeret in judicium Deus, ut salvos faceret omnes mansuetos terræ.*

10 Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.

11 *Vovete, & reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu ejus affertis munera.*

12 *Terribili & ei qui aufert spiritum principum, terribili apud reges terræ.*

PSAL-

v. 5. *Hebr. Et non invenerunt omnes viri roboris* (bellicosi) *manus suas.*

v. 10. *Hebr. Quoniam furor hominis celebrabit te: residuo furoris accinges te.*

PSALMUS LXXVI.

Abjecta quavis terrena consolatione in uno Deo suas delicias reponit, a quo licet serius adveniat auxilium, nunquam tamen suos destituit. Omnipotentiam Dei magnificè laudat, & mirificam populi Israelitici per Erythraum transfretationem, submersionemque Pharaonis describit.

1 O Rex ætheris inclyte,
Unum semper ego te prece supplice
Multis non sine lacrymis
Implorabo; meis nam facilem bonus
Aurem questibus admoves.
2 Quum sors me premeret durior, ad tuum
Confugi auxilium, & manus
Noctis per tenebras ad te ego sustuli,
Qui spes una manes: 3 nihil
Solari hunc animum sollicitudine
Dejectum poterat gravi.
In te semper eram fixus, & anxias
Ad te cum gemitu preces
Jam jam deficiens, & prope perditus
Fundebam: 4 neque lumina
Permittebat atrox claudere me dolor,
Singultusque frequentior
Præcludebat iter vocis: inhorrui,
Tantisque obstupui malis.
5 Cœpi tunc animo, spe superaddita,
Secla antiqua revolvere,
Quum genti Isaciæ rebus in arduis
Præsens auxilium dabas.
6 Se menti obtulerunt carmina, quæ tui
In præconia nominis,
Quum lætè fluerent tempora, dulcibus

Apta-

1 Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Deum, & intendit mihi.

2 In die tribulationis mea Deum exquisivi, manibus meis nocte contra eum, & non sum deceptus.

3 Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum, & exercitatus sum, & defecit spiritus meus.

4 Anticipaverunt vigilias oculi mei, turbatus sum, & non sum locutus.

5 Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui.

6 Et meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum.

v. 6. *Hebr. In memoriam revocabam musica instrumenta mea: noctu cum corde meo meditabar, & spiritus meus rimatus est ea.*

Aptabam citharæ modis.
7 Hinc fidens animi, jam melioráque
Sperans: num Deus abjicit,
Dixi, in perpetuum? nec miseris manet
Spes ulla, ut facilem sibi
Rursus deposito fulmine sentiant?
8 Anne una e sobole asperas
Intentare minas perget in alteram
Durus parcere? 9 An excidit
Huic prorsum ex animo in nos pietas sua?
Nec sedabitur impetus
Iræ, qua miseros Isacidas premit?
10 Haud sic haud equidem; & male
Si nobis hodie est, aspera mitibus
Mutabit properè Deus.
11 Me spes hæc recreat; namque recogito
Mecum prodigia inclyta,
Pro nobis tua quæ sæpius edidit
Priscis dextera seculis.
12 Quæ se cumque oculis objiciunt meis,
Horum te meditor, Deus,
Supremum artificem, quo sapientius,
Quo præstantius est nihil;
13 Cujus consiliis summaque sanctitas,
Et summa integritas inest.
Quis conferre alius se tibi gentium
Audebit temere Deus?
Tu solus Deus es, 14 miraque dexteræ
Tunc virtus patuit tuæ,
Quum pressos Phariæ gentis ab impio
Solvisti Abramidas jugo.
15 Te videre maris cærula turgidi,
Te videre, profundaque
Imis stagna vadis illico territa
Retro præcipiti gradu
Fugere: 16 horribili nubila murmure
Decertantia desuper
Effundunt pluviæ vim, lapidosaque
Se grando agglomerat: 17 ruunt
Delapsu subito fulmina, currunm

Fra-

7 Numquid in æternum projiciet Deus, aut non apponet, ut complacitior sit adhuc?

8 Aut in finem misericordiam suam abscindet, a generatione in generationem?

9 Aut obliviscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?

10 Et dixi, nunc cœpi, hæc mutatio dexteræ excelsi.

11 Memor fui operum Domini, quia memor ero ab initio mirabilium tuorum.

12 Et meditabor in omnibus operibus tuis, & in adventionibus tuis exercebor.

13 Deus in sancto via tua, quis Deus magnus sicut Deus noster? tu es Deus, qui facis mirabilia.

14 Notam fecisti in populis virtutem tuam, redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Jacob, & Joseph.

15 Viderunt te aquæ, & timuerunt, & turbatæ sunt abyssi.

16 Multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes.

17 Etenim sagittæ tuæ transeunt, vox tonitrui tui in rota.

18 Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ, commota est, & contremuit terra.

19 In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis, & vestigia tua non cognoscentur.

20 Deduxisti sicut oves populum tuum, in manu Moysi, & Aaron.

Fractæ dissiliunt rotæ.
18 Perstringunt oculos aspicientium
Flammæ fulgura præpetis,
Et divulsa suis sedibus intremit
Tellus præ nimio metu.
19 Te ductore tuis exhibuit viam
Divisum mare; at hostibus
Ignoti occuluit tramitis orbitam,
Fluctu illos refluo premens:
20 Moses atque Aaron, non secus ac gregem,
Siccis gressibus Isaci
Duxere incolumes per freta posteros.

PSALMUS LXXVII.

Celeberrima divinæ erga populum misericordiæ beneficia Asaphus hujus Psalmi auctor post egressum ex Ægypto usque ad Davidem commemorat, & in finem Tribum Juda Tribui Ephraimi prælatam a Deo fuisse ostendit.

1 Attendite, popule meus, legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei.

2 Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio.

3 Quanta audivimus, & cognovimus ea, & patres nostri narraverunt nobis.

4 Non sunt occultata a filiis eorum, in generatione altera.

5 Narrantes laudes Domini, & virtutes ejus, & mirabilia ejus, quæ fecit.

6 Et suscitavit testimonium in Jacob, & legem posuit in Israel.

7 Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera.

8 Filii, qui nascentur, & exsurgent, & narrabunt filiis suis.

1 AUribus arrectis hæc percipe dicta, meisque
Gens lecta Abramidum documentis adjice mentem.
2 Nam tibi quæ multa mysteria nocte teguntur
Incipiam nostræ primævo gentis ab ortu
Pandere: 3 tum nobis quæ audita, & cognita, quæque
Ad nos per fidos olim transmissa parentes,
4 Venturæ expediam soboli, seclisque futuris,
5 Atque Dei laudes, & quidquid gessit in orbe
Mirificum sua dextra, canam. 6 Quo tempore fœdus
Isacia cum gente Deus firmavit, & almam
Tradidit huic legem servandam in secula, 7 proli
Cuncta suæ patres edicere jussit, 8 eamque
Natis deinde suis narrare, & quotquot ab illis
Ultima progenitos producent secla nepotes;

9 Nem-

9 Nempe Deo in trepidis discant ut fidere rebus,
Utque suæ studeant legi, benefactaque grato
Perpendant memores animo, 10 ne exempla secuti
Prava patrum peccare ausint, 11 mens aspera quorum
A recto semper deflexit calle, Deique
Neglexit monitus incredula. 12 Docta sagittas
Ephremi soboles validis torquere lacertis,
Præcipiti cur terga fugæ, in discrimine pugnæ,
Aspecto vix hoste dedit, parmaque relicta
Ignavo palmam concessit degener hosti?
13 Nempe quod antiquum fuit ausa refringere fœdus,
Avertitque gradum divinæ à tramite legis;
14 Quodque suo exciderant animo benefacta Tonantis,
15 Quæque patrum ante oculos Phariis miracula in oris
Gessit, ubi Nilus felici uligine campos
Irrigat, & late molli fœcundat arena;
16 Quum rubrum Isacidis dextra omnipotente Profundum
Diffidit, incolumesque hac duxit; namque tenebat
Aggesta hinc illinc tumida æquora, prætereuntes
Ne reflua obruerent; 17 protexit nube, diurni
Sideris ardorem quæ objecta retunderet, inque
Obscura flammam jussit præcedere nocte,
Quæ certum signaret iter; 18 quumque arida tellus
Exciperet, rupem percussit, & illico dulces
Effluere e saxis cœpere rigentibus 19 instar
Fluminis undarum latices; 20 tamen [illegible] nec tunc
Gens [illegible] imposuit sceleri, sed movit ad iram
Hæc gradiens per tesqua Deum, 21 tentare maligno
Haud verita hunc animo; namque exstimulante voracis

In-

9 Ut ponant in Deo spem suam, & non obliviscantur operum Dei, & mandata ejus exquirant.

10 Ne fiant sicut patres eorum, generatio prava & exasperans.

11 Generatio, quæ non direxit cor suum, & non est creditus cum Deo spiritus ejus.

12 Filii Ephrem intendentes, & mittentes arcum; conversi sunt in die belli.

13 Non custodierunt testamentum Dei, & in lege ejus noluerunt ambulare.

14 Et obliti sunt benefactorum ejus, & mirabilium ejus, quæ ostendit eis.

15 Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti, in campo Taneos.

16 Interrupit mare, & perduxit eos, & statuit aquas quasi in utre.

17 Et deduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis.

18 Interrupit petram in eremo, & adaquavit eos, velut in abysso multa.

19 Et eduxit aquam de petra, & deduxit tamquam flumina aquas.

20 Et apposuerunt adhuc peccare ei, in iram excitaverunt excelsum in inaquoso.

21 Et tentaverunt Deum in cordibus suis, ut peterent escas animabus suis.

Ingluvie ventris, nova stultis pabula votis
Quum peterent, 22 indigna ausi sunt numine magno
Verba loqui: „ hæcne inter positos deserta locorum
„ Pascere nos epulis valeat Deus? 23 anne, quod ista
„ Extudit occultos latices e rupe, sitimque
„ Quod dedit irriguo restinguere fonte, 24 sit olli
„ Fruge laborata populum exsaturare potestas,
„ Jucundasque dapes structis apponere mensis?

22 Et male locuti sunt de Deo, dixerunt, numquid poterit Deus parare mensam in deserto?

23 Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt.

24 Numquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?

25 Audiit Omnipotens, justasque effusus in iras
Ultrices alto demisit ab æthere flammas
Castra virûm super, Isaciæque coercita gentis
Pectora suppliciis dirum posuere furorem.

25 Ideo audivit Dominus, & distulit, & ignis accensus est in Jacob, & ira ascendit in Israel.

26 Divinis non certa fides tamen addita dictis,
Nec populo sperata salus in rebus egenis;
27 Æterni licet ille fores patefecit Olympi,
Et liquidas jussit nubes se cogere, 28 miram
Spargens inde dapem, omnigenoque sapore refertam.
29 Humana ex illo cœpit gens tempore vesci
Frugibus ambrosiis superûm; quin pabula misit
His alia ad votum quoque plurima; 30 namque removit
Tractibus aeriis flantem Eurum, deinde tepentem
Partibus e Lybicis dicto ocius attulit Austrum;

26 Quia non crediderunt in Deo, nec speraverunt in salutari ejus.

27 Et mandavit nubibus desuper, & januas cœli aperuit.

28 Et pluit illis manna ad manducandum, & panem cœli dedit eis.

29 Panem Angelorum manducavit homo, cibaria misit eis in abundantia.

30 Transtulit Austrum de cœlo, & induxit in virtute sua Africum.

31 Tantaque pennigerûm fudit se copia, quantam
Tolli ab humo vento vim pulveris exoriente
Aspicimus, vel quanta in litore abundat arena.

31 Et pluit super eos sicut pulverem carnes, & sicut arenam maris, volatilia pennata.

32 Cernere erat volucres media inter castra virorum
Turmatim cadere in terram tentoria circum:
33 Indulsere epulis avidi, saturoque quievit
Improba ventre fames, animo jam compote voti.
34 Dum tamen optatas mandebant dentibus escas,
Illicet omnipotens magna Pater excitus ira

32 Et ceciderunt in medio castrorum eorum, circa tabernacula eorum.

33 Et manducaverunt, & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis, non sunt fraudati a desiderio suo.

34 Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.

35 Illu-

35 Illustres populi proceres, florem que juventæ
Perculit Isaciæ: 36 solito sed more protervi
Firmavere animos in crimine; totque sub ipsos
Quamquam oculos patrata suos portenta viderent
Numinis, haud illis hæc credita; 37 jamque trahentes
In vanis vitam curis sensere caducum
Irrepsisse sibi senium fugientibus annis.
38 Quum Deus in meritos pœnis sæviret acerbis,
Hunc placaturi properabant mane, precesque
Pectore fundebant trepido; 39 ereptique periclis
Isacii clypeum populi, columenque vocabant.
40 At concors haud mentis erat sententia dictis,
Oraque velabant specie pietatis inani:
41 Corde Deum ingenuo nunquam coluere, suasque
Sprevere infidi violato fœdere leges.
42 Ille sua at dives pietate errantibus ultro
Indulsit veniam, nec sontes stravit, 43 at iræ
Pressit fræna suæ; nec quas meruere coegit
Pœnas justitiæ ad normam, extremumque rigorem
Ut luerent; 44 nam quum plectit, considerat ægram
Conditionem hominum, queis vita simillima vento,
Qui quum præteriit, versis haud refluit alis.
45 Ah! quoties Arabum per inhospita saxa vagantes
Irritare Deum insanis sunt questibus ausi,
Addereque irato stimulos! 46 ad callida rursum
Dum studia advertunt animos, tentantque malignis

Voci-

35 Et occidit pingues eorum, & electos Israel impedivit.

36 *In omnibus his peccaverunt adhuc, & non crediderunt in mirabilibus ejus.*

37 *Et defecerunt in vanitate dies eorum, & anni eorum cum festinatione.*

38 *Cum occideret eos, quærebant eum, & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum.*

39 *Et rememorati sunt, quia Deus adjutor est eorum, & Deus excelsus redemptor eorum est.*

40 *Et dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei.*

41 *Cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento ejus.*

42 *Ipse autem est misericors, & propitius fiet peccatis eorum, & non disperdet eos.*

43 *Et abundavit, ut averteret iram suam, & non accendit omnem iram suam.*

44 *Et recordatus est, quia caro sunt, spiritus vadens, & non rediens.*

45 *Quoties exacerbaverunt eum in deserto, in iram concitaverunt eum in inaquoso?*

46 *Et conversi sunt, & tentaverunt Deum, & sanctum Israel exacerbaverunt.*

v. 35. *Hebr. Et occidit divites ex iis, & juvenes Israelis incurvavit*, seu *prostravit*.

21 *Et male locuti sunt de Deo, dixerunt, numquid poterit Deus parare mensam in deserto?*

23 *Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt.*

24 *Numquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?*

25 *Ideo audivit Dominus, & distulit, & ignis accensus est in Jacob, & ira ascendit in Israel.*

26 *Quia non crediderunt in Deo, nec speraverunt in salutari ejus.*

27 *Et mandavit nubibus desuper, & januas cæli aperuit.*

28 *Et pluit illis manna ad manducandum, & panem cæli dedit eis.*

29 *Panem Angelorum manducavit homo, cibaria misit eis in abundantia.*

30 *Transtulit Austrum de cælo, & induxit in virtute sua Africum.*

31 *Et pluit super eos sicut pulverem carnes, & sicut arenam maris, volatilia pennata.*

32 *Et ceciderunt in medio castrorum eorum, circa tabernacula eorum.*

33 *Et manducaverunt, & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis, non sunt fraudati a desiderio suo.*

34 *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.*

Ingluvie ventris, nova stultis pabula votis
Quum peterent, 22 indigna ausi sunt numine magno
Verba loqui: „ hæcne inter positos deserta locorum
„ Pascere nos epulis valeat Deus? 23 anne, quod ista
„ Extudit occultos latices e rupe, sitimque
„ Quod dedit irriguo restinguere fonte, 24 sit olli
„ Fruge laborata populum exsaturare potestas,
„ Jucundasque dapes structis apponere mensis?
25 Audiit Omnipotens, justasque effusus in iras
Ultrices alto demisit ab æthere flammas
Castra virûm super, Isaciæque coercita gentis
Pectora suppliciis dirum posuere furorem.
26 Divinis non certa fides tamen addita dictis,
Nec populo sperata salus in rebus egenis;
27 Æterni licet ille fores patefecit Olympi,
Et liquidas jussit nubes se cogere, 28 miram
Spargens inde dapem, omnigenoque sapore refertam.
29 Humana ex illo cœpit gens tempore vesci
Frugibus ambrosiis superûm; quin pabula misit
His alia ad votum quoque plurima; 30 namque removit
Tractibus aeriis flantem Eurum, deinde tepentem
Partibus e Lybicis dicto ocius attulit Austrum;
31 Tantaque pennigerûm fudit se copia, quantam
Tolli ab humo vento vim pulveris exoriente
Aspicimus, vel quanta in litore abundat arena.
32 Cernere erat volucres media inter castra virorum
Turmatim cadere in terram tentoria circum:
33 Indulsere epulis avidi, saturoque quievit
Improba ventre fames, animo jam compote voti.
34 Dum tamen optatas mandebant dentibus escas,
Illicet omnipotens magna Pater excitus ira
35 Illu-

35 Illustres populi proceres, floremque juventæ
Perculit Isaciæ: 36 solito sed more protervi
Firmavere animos in crimine; totque sub ipsos
Quamquam oculos patrata suos portenta viderent
Numinis, haud illis hæc credita; 37 jamque trahentes
In vanis vitam curis sensere caducum
Irrepsisse sibi senium fugientibus annis.
38 Quum Deus in meritos pœnis sæviret acerbis,
Hunc placaturi properabant mane, precesque
Pectore fundebant trepido; 39 ereptique periclis
Isacii clypeum populi, columenque vocabant.
40 At concors haud mentis erat sententia dictis,
Oraque velabant specie pietatis inani:
41 Corde Deum ingenuo nunquam coluere, susque
Sprevere infidi violato fœdere leges.
42 Ille sua at dives pietate errantibus ultro
Indulsit veniam, nec sontes stravit, 43 at iræ
Pressit fræna suæ; nec quas meruere coegit
Pœnas justitiæ ad normam, extremumque rigorem
Ut luerent; 44 nam quum plectit, considerat ægram
Conditionem hominum, queis vita simillima vento,
Qui quum præteriit, versis haud refluit alis.
45 Ah! quoties Arabum per inhospita saxa vagantes
Irritare Deum insanis sunt questibus ausi,
Addereque irato stimulos! 46 ad callida rursum
Dum studia advertunt animos, tentantque malignis

Voci-

v. 35. *Hebr. Et occidit divites ex iis, & juvenes Israelis incurvavit*, seu *prostravit*.

35 Et occidit pingues eorum, & electos Israel impedivit.

36 *In omnibus his peccaverunt adhuc, & non crediderunt in mirabilibus ejus.*

37 *Et defecerunt in vanitate dies eorum, & anni eorum cum festinatione.*

38 *Cum occideret eos, quærebant eum, & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum.*

39 *Et rememorati sunt, quia Deus adjutor est eorum, & Deus excelsus redemptor eorum est.*

40 *Et dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei.*

41 *Cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento ejus.*

42 *Ipse autem est misericors, & propitius fiet peccatis eorum, & non disperdet eos.*

43 *Et abundavit, ut averteret iram suam, & non accendit omnem iram suam.*

44 *Et recordatus est, quia caro sunt, spiritus vadens, & non rediens.*

45 *Quoties exacerbaverunt eum in deserto, in iram concitaverunt eum in inaquoso?*

46 *Et conversi sunt, & tentaverunt Deum, & sanctum Israel exacerbaverunt.*

47 Non sunt recordati manus ejus, die, qua redemit eos de manu tribulantis.

48 Sicut posuit in Ægypto signa sua, & prodigia sua in campo Taneos.

49 Et convertit in sanguinem flumina eorum, & imbres eorum, ne biberent.

50 Misit in eos cœnomyiam, & comedit eos, & ranam, & disperdidit eos.

51 Et dedit ærugini fructus eorum, & labores eorum locustæ.

52 Et occidit in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruina.

53 Et tradidit grandini jumenta eorum, & possessionem eorum igni.

54 Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem, & iram, & tribulationem, immissiones per angelos malos.

55 Viam fecit semitæ iræ suæ, non pepercit a morte animabus eorum, & jumenta eorum in morte *conclusit.*

56 Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti, primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham.

Vocibus, & robur metuendi numinis arctant.

47 Haud illum meminere diem, sua ab hoste prementem

Quo rapuit dextra incolumes; 48 & plurima terris

Prodigia in Phariis, Taneosque patrata per amplam

Planitiem exciderant animo; 49 quum sanguine dulces

Tabifico corrupit aquas, ut nulla potestas

Ardentem sedare sitim foret inde, 50 gravesque

Immisit muscas, rabidis quæ morsibus ora

Adpeterent, ranisque opplevit turpibus ædes.

51 Nec sat; at agrorum scabra rubigine fructus

Omnigenos jussit consumi, avidoque locustas

Ore erodentes segetem prodire, laborum

Ut spes concideret miseris: 52 grando horrida vites

Contudit, exitioque dedit, tristesque pruinæ

Arboribus vitam abstulerunt, 53 & frigore sævo

Oppressi periere greges, cœlique ruina,

Ipsaque fulmineis arva exarsere favillis.

54 In Pharon Omnipotens horrendam effuderat iram;

Perque impacatos humani nominis hostes

Sedibus emissos Stygiis lymphata ruebat

In proprium gens exitium: 55 tum peste vagante

Non hominum generi, pecudum non ille pepercit.

56 Nam quæ prima utero fuderunt pignora matres,

Spem generis, patriæque domus, dedit omnia letho,

Qua late campos septemplice Nilus inundat

Flumine, progeniesque Chami tentoria quondam

Fixe-

v. 55. *Hebr. In peste.*

Fixerat: 57 At contra Isaciam post talia gentem,
Pastor oves veluti, per tesqua immania duxit
58 Omni jam vacuam formidine, gurgite mersis
Hostibus, 59 & fessam longarum ambage viarum
In montem, & loca sacra tulit; sibi robore dextræ
Acquisita suæ; 60 gentes procul inde scelestas
Depulit, emensusque soli prædivitis arva
Sorte viris dedit, 61 & certas ibi ponere sedes
Jussit; 62 at hos magnum post hæc succendere ad iram
Haud numen puduit, sanctasque infringere leges.
63 Terga Deo vertunt obliti pacta, patrumque
Sectantes exempla abeunt a tramite recto,
Arcus uti, stricto curvat quem strenua nervo
Dextera, at emisso laxat qui cornua telo.
64 Exacuere novis cessantem numinis iram
Flagitiis, dum per virides altaria colles
Attollunt, & vana colunt simulacra Deorum.
65 Haud numen latuit sceleris dementia tanti,
Isaciamque domum penitus despexit, & altis
Cladibus attritam domuit; 66 sua noluit ipsa
Amplius in Silo venerabilis Arca maneret,
Arca decus regni, magnumque in rebus acerbis
Præsidium, 67 quin hanc hostes abducere secum
Permisit, lectosque suæ in patrimonia sortis
Quos sibi seposuit, 68 gladiis hostilibus ultro
Objecit: 69 juvenes immiti morte peremptos
Abripuit belli furor, inflexæque puellæ
Flore pudicitiæ subierunt funera rapto.
70 Ense sacerdotes cæsi periere, nec illos
Crinalis potuit tegere infula: nulla supremos
Conjugibus vidua extinctis persolvit honores.

K 71 At

v. 69. *Hebr. Et virgines eorum non sunt laudatæ*, id est nuptui traditæ.

v. 70. *Hebr. Viduæ eorum non fleverunt.*

57 Et abstulit sicut oves populum suum, & perduxit eos tamquam gregem in deserto.

58 Et deduxit eos in spe, & non timuerunt, & inimicos eorum operuit mare.

59 Et induxit eos in montem sanctificationis suæ, montem, quem acquisivit dextera ejus.

60 Et ejecit a facie eorum gentes, & sorte divisit eis terram in funiculo distributionis.

61 Et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Israel.

62 Et tentaverunt, & exacerbaverunt Deum excelsum, & testimonia ejus non custodierunt.

63 Et averterunt se, & non servaverunt pactum, quemadmodum patres eorum conversi sunt in arcum pravum.

64 In iram concitaverunt eum in collibus suis, & in sculptilibus suis ad æmulationem eum provocaverunt.

65 Audivit Deus, & sprevit, & ad nihilum redegit valde Israel.

66 Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum, ubi habitavit in hominibus.

67 Et tradidit in captivitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici.

68 Et conclusit in gladio populum suum, & hæreditatem suam sprevit.

69 Juvenes eorum comedit ignis, & virgines eorum non sunt lamentatæ.

70 Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt, & viduæ eorum non plorabantur.

71 At Pater omnipotens; ceu vir bellator ab alto
Excussus somno, cui magnæ in pectora vires
A poto venere mero, consurgit, 72 & hostes
Percutit horrifico sub tergus vulnere, turpique
Aspergit macula, quam nulla obliteret ætas:
73 Placatusque suis quamquam foret, haud tamen almam
Ephremi sobolem, natosque ad sceptra Manassis
Amplius evexit: 74 Judæ magis omnibus una
Huic Tribus, & celsæ colles placuere Sionis.
75 Hac super ipse sui posuit sacraria templi,
Evertet quod nulla dies, dum pondere stabit
Terra suo; 76 mox e caulis ad regna Davidem
Evexit pecudes comitantem in pascua, 77 clarum
Ut genus Isacidæ regeret, quod præ omnibus unum
Numen amat populis: 78 sincero hic pectore rexit,
Multaque consilio sapienti gessit & armis,
Pastorumque decus fuit idem, & gloria regum.

PSALMUS LXXVIII.

Urbis, templi, & populi vastationem deplorat, divinamque iracundiam humillimis precibus a fideli populo amoliri conatur.

1 IN tua jam veniunt sævæ patrimonia gentes,
Tuumque, Genitor, poluunt sacrarium.
Jam Solime prostrata jacet, tegiturque ruinis,
Hæc quæ inter urbes prima surgebat, suis:
2 Quæ ferro immites obtruncavere, rapaces
Tundunt piorum membra rostro vultures,
Ingluviemque impune licet canibusque, lupisque
Explere: 3 torrens sanguinis per mœnia,
Per-

v. 1. *Hebr. In acervos lapidum*: ex Hieronymo.

71 Et excitatus est tamquam dormiens Dominus, tamquam potens crapulatus a vino.

72 Et percussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis.

73 Et repulit tabernaculum Joseph, & tribum Ephraim non elegit.

74 Sed elegit tribum Juda, montem Sion quem dilexit.

75 Et ædificavit sicut unicornium sanctificium suum in terra, quam fundavit in secula.

76 Et elegit David servum suum, & sustulit eum de gregibus ovium, de post fœtantes accepit eum.

77 Pascere Jacob servum suum, & Israel hæreditatem suam.

78 Et pavit eos in innocentia cordis sui, & in intellectibus manuum suarum deduxit eos.

1 Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam.

2 Posuerunt morticina servorum tuorum, escas volatilibus cæli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ.

3 Effuderunt sanguinem eorum tamquam aquam in circuitu Jerusalem, & non erat qui sepeliret.

Perque vias fluit: exanimos tumulare vetamur,
Ipsi quod hostes hostibus non denegant;
4 In cumulumque mali certant illudere, nosque
Petunt amaris accolæ conviciis.
5 Quem statues iræ finem, Deus? Illane ritu
Flammæ voracis æstuabit acrius?
6 In gentes & regna, tuum quæ nomen abhorrent,
Tui furoris verte justius impetum.
7 Aspice, ut Isacidas properant extinguere, & omnes
In civitates vastitatem inducere?
8 Digna quidem factis patimur; sed crimina, quæso,
Priora nostra ne memineris amplius.
Sat tibi pœnarum dedimus; jam mitior adsis,
Tuaque fessos præveni clementia.
9 In te nostra salus, Deus, est: parce ergo, precamur,
Opemque nobis fer, malisque libera,
Ut tua per cunctas spargat se gloria gentes,
Tuique pateat nominis potentia.
10 Ne dictis ultra nos interpellet amaris
Impius: „ ubi est, cui fiditis, vester Deus?
11 Fac, tua luminibus se prodat ut ultio nostris
Adversus hostes, qui piorum sanguinem
Sacrilego sparsere ausu, 12 omnipotenteque dextra
Pignora peremptorum patrum infelicia
Eripe, juste Deus, tristi e discrimine lethi,
Ab hoste nobis barbaro quod imminet:
13 Quamque tibi intulerunt, viciniis tu quoque nostris
Multiplicatam redde contumeliam.
14 At nos, dilectus tibi grex, queis pabula præbes,
Tuoque præsens quos tueris numine,
Servati grates tibi semper agemus, 15 & omne
Te nostri in ævum prædicabunt posteri.

4 Facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio & illusio his qui in circuitu nostro sunt.

5 Usquequo Domine, irasceris in finem, accendetur velut ignis zelus tuus?

6 Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt, & in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt.

7 Quia comederunt Jacob, & locum ejus desolaverunt.

8 Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, citò anticipent nos misericordia tua, quia pauperes facti sumus nimis.

9 Adjuva nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum.

10 Ne forte dicant in gentibus, ubi est Deus eorum? & innotescat in nationibus coram oculis nostris.

11 Ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est, introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.

12 Secundum magnitudinem brachii tui, posside filios mortificatorum.

13 Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum, improperium ipsorum, quod exprobraverunt tibi Domine.

14 Nos autem populus tuus, & oves pascuæ tuæ, confitebimur tibi in seculum.

15 In generationem & generationem annuntiabimus laudem tuam.

PSALMUS LXXIX.

Judæorum Babylone captivorum pro libertate ad Deum oratio. Gens Judaica vineæ comparata. Hanc Deus in hostium potestatem tradidit, quem orat Propheta, ut illius misereri tandem velit. Repetitio 4. vers. ter facta indicat, Psalmum esse chori speciem, ut unusquisque per se manifestè colliget. Hi intercalares in aliis etiam Psalmis frequenter occurrunt.

1 *Qui regis Israel, intende, qui deducis velut ovem Joseph.*

2 *Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Benjamin, & Manasse.*

3 *Excita potentiam tuam, & veni, ut salvos facias nos*

4 *Deus converte nos, & ostende faciem tuam, & salvi erimus.*

5 *Domine Deus virtutum, quousque irasceris super orationem servi tui?*

6 *Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis in mensura.*

7 Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris, *& inimici nostri subsannaverunt nos.*

8 *Deus virtutum, converte nos, & ostende faciem tuam, & salvi erimus.*

1 O Qui fideli tramite posteros
Ducis Josephi, ut pastor oves, Deus,
Tuoque tutaris benignè
Numine, supplicibus videri
Permitte tandem te facilem tuis,
2 Ut insidentem te Cherubim super,
Vexilla quum gentis præibas,
Benjamin, Ephraimus, Manasses
Videre quondam; 3 visque potentiæ
Sit præsto nobis nunc tuæ, & ocius
In rebus afflictis levamen
Ferre veni, placidusque serva.
4 Tu nos amico si modo lumine
Spectes, reviset pristina nos salus;
Cur ergo differs, o supernæ
Militiæ metuende rector?
5 Quousque nostras despicies preces?
6 Semperne amaris fercula lacrymis
Spargemus, immixtisque lymphas
Perpetuò lacrymis bibemus?
7 Contentiosis ob bona litibus
Direpta nobis finitimi strepunt;
Risuque nos carpens amaro
Ludibrium sibi fecit hostis.
8 Tu nos amico si modo lumine
Spectes, reviset pristina nos salus,

O no-

v. 7. *Hebr. Posuisti nos litem vicinis nostris.*

O nostra spes alma, o supernæ
Militiæ metuende rector.
9 Tu, vineam ceu, nos Phario e solo
Traduxti, iniquæ gentis inutili
Tu germine evulso beatis
Illam iterum inseruisti in oris,
10 11 Solo profundis stirpibus hæserat,
Crescensque montes texerat arduos
Umbra hospitali, brachiisque
Pene cedros superarat altas.
12 Hinc illa se se palmite fertili
Late propagans ad mare surculos,
Illinc ad Euphratem virentes
Protulerat speciosa frondes.
13 Cur, ante densis undique sepibus
Obducta, dat nunc prætereuntibus
Iter peregrinis, racemos
Sacrilega rapiente dextra?
14 Immundus illam cur pede proterit
Aper tremendo? Quidve famelici
Lupi vagantur, capreæque, &
Horribiles populantur ursi?
15 O rector orbis, cui nihil arduum est,
Te redde fessis, jamque benignior
Hanc vineam, quæso, e micantis
Desuper arce poli intuere.
16 Tua ipsa quondam est si sata dextera,
Malis medelam tristibus applices,
Unumque germen, cui vigorem
Conciliat tua cura, serves.
17 Consumpsit ignis cetera, & undique
Ramis recisis deseruit prope
Vitalis hanc humor, brevique,
Ni repares, misera interibit.
18 Sit finis iræ, qua meritos premis,
Et nos potenti præsidio fove,
Quos ultro legisti, bonisque
Tot patrio cumulasti amore,

 19 Quum

v. 10. *Hebr. Præparasti locum coram ea.*
v. 16. *Hebr. Et propaginem, quam roborasti tibi.*

9 *Vineam de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes, & plantasti eam.*

10 Dux itineris fuisti in conspectu ejus, *plantasti radices ejus, & implevit terram.*

11 *Operuit montes umbra ejus, & arbusta ejus cedros Dei.*

12 *Extendit palmites suos usque ad mare, & usque ad flumen propagines ejus.*

13 *Ut quid destruxisti maceriam ejus, & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam?*

14 *Exterminavit eam aper de silva, & singularis ferus depastus est eam.*

15 *Deus virtutum convertere, respice de cœlo, & vide, & visita vineam istam.*

16 *Et perfice eam, quam plantavit dextera tua, &* super filium hominis, quem confirmasti tibi.

17 *Incensa igni, & suffossa, ab increpatione vultus tui peribunt.*

18 *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis, quem confirmasti tibi.*

19 Et non discedimus a te, vivificabis nos, & nomen tuum invocabimus.

19 Quum vita nobis, quæ prope deficit,
Per te redibit, te Deus unicè
Semper sequemur, teque grati
Carmine non humili canemus.

20 Domine Deus virtutum, converte nos, & ostende faciem tuam, & salvi erimus.

20 Tu nos amico si modo lumine
Spectes, reviset pristina nos salus,
O nostra spes alma, o supernæ
Militiæ metuende rector.

PSALMUS LXXX.

Invitat omnes ad latè celebrandum festum Neomeniæ, sive Tubarum, causamque hujus festi recitat. Ingratus Israelitarum animus; divinæ promissiones illis factæ describuntur.

1 Exultate Deo adjutori nostro, jubilate Deo Jacob.

2 Sumite psalmum, & date tympanum, psalterium jucundum cum cithara.

3 Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ.

1 EJa agite, Isacidæque Deo, qui dura ferenti
Præsidium est populo, læti persolvere laudes
Incipite 2 unanimi cantu; & cava tympana, quæque
Nablia bis quinis resonant gratissima nervis
Percutite, & citharam, 3 atque tubas inflate canoras.
Insignem nova luna diem nam protulit orbi,
Quum festæ incipiunt nobis decurrere luces.

4 Quia præceptum in Israel est, & judicium Deo Jacob.

5 Testimonium in Joseph posuit illud, cum exiret de terra Ægypti, linguam, quam non noverat, audivit.

6 Divertit ab oneribus dorsum ejus, manus ejus in cophino servierunt.

4 Hæc sibi mandavit fieri Deus: ista sacrorum
Lex auctore illo Isacidis est tradita, 5 eamque
Ut portentorum veterum monumenta vigerent
Perpetua in terris, voluit servare Josephi
Progeniem, lætumque diem celebrare minores,
6 Quo nostra Ægypti de carcere gens, ubi linguam
Audiit ignotam, jussas migravit ad oras.
Ille, quod immites populo imposuere tyranni,
Ex humeris detraxit onus servile, nec ultra
Passus, ut ense fero, validaque accingier hasta
Apta manus luteas effingeret hostibus ollas.

7 In tribulatione invocasti me, & liberavi te, exaudivi te in abscondito tempestatis,

7 „ Te mea gens (hæc numen ait) mihi vota ferentem
„ Rebus in adversis audivi e nube, procella

„ Unde

„ Unde tuos oppressi hostes ; te urgeret at olim
„ Quum sitis ad Meribam, duris quam moribus esses,
„ Agnovi: 8 nunc ergo meis nunc vocibus aurem
„ Gens adhibe Isacidum, dum cœlum ac terra loquenti
„ Testis adest: tibi non alius Deus esto , nec aude
„ Numinibus præbere novis temeraria cultum.
9 „ Unum etenim me nosce tibi dominumque Deumque,
„ Per quem servitio es Pharii subducta tyranni.
„ Quæ tu cumque optas, a me pete , cuncta petenti
„ Ipse dabo : 10 mea sed dictis non lenibus aurem
„ Gens dedit , imperiisque meis haud paruit excors.
11 „ Hinc ego præcipitem ferri , quocumque liberet,
„ Permisi, vanæque sequi deliria mentis.
12 „ O monitus tamen illa meos audisset, iterque
„ Monstratum sectata foret! 13 nullo illius hostes
„ Exsuperavissem cunctamine, eamque prementes
„ Nostra oppressissent graviori verbera clade.
14 „ Bello omnes domiti Isaciæ consortia gentis,
„ Quamquam mendaces animi, tamen ore petissent
„ Supplice, & ad quævis descendere pacta parati.
„ Gloria sic populi viguisset in omnia nostri
„ Secula , 15 cui magno tellus cum fœnore fruges
„ Egregias, & mella cava de rupe dedisset.

probavi te apud aquam contradictionis.

8 Audi populus meus , & contestabor te , Israel si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.

9 Ego enim sum Dominus Deus tuus , qui eduxi te de terra Ægypti , dilata os tuum, & implebo illud.

10 Et non audivit populus meus vocem meam, & Israel non intendit mihi.

11 Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.

12 Si populus meus audisset me , Israel si in viis meis ambulasset.

13 Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem , *& super tribulantes eos misissem manum meam.*

14 Inimici Domini mentiti sunt ei, & erit tempus eorum in secula.

15 Et cibavit eos ex adipe frumenti, & de petra, melle saturavit eos.

v. 13. *Hebr. In momento inimicos eorum humiliassem .*

PSALMUS LXXXI.

Deum iniquos judices acriter coarguentem inducit Propheta, eisque ante oculos imminentem mortem proponit.

1 Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem Deos dijudicat.

1 JUdicum in cœtu, vice quos videmus
Numinis fungi, Deus adstat, atque
Jura dum dicunt aliis, eosdem
Judicat ipse.

2 Usquequo judicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis?

2 „ Vosne naturæ monitricis, inquit,
„ Vocibus surdi, immemoresque Recti
„ Semper auctores scelerum dolosa
„ Lance tegetis?

3 Judicate egeno, & pupillo, humilem, & pauperem justificate.

3 „ Eja jus orbis, inopumque turbæ
„ Reddite o tandem, miserisque promptam
„ Ferte opem, quorum resonat dolenti
„ Curia luctu.

4 Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.

4 „ Pœna cur, sontes domitura, claudo
„ Sic pede incedit, rigidæque cur non
„ Vindicant leges, mala quem potentum
„ Factio pressit?

5 Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant, movebuntur omnia fundamenta terra.

5 Hæc Deus: mentes tamen obstinatas
Nocte sic cæca malus urget error,
Omne jus ut dent sceleri, sinantque
Omnia pessum

6 Ego dixi, dii estis, & filii excelsi omnes.

Ire: 6 terrarum dominos, Deosque
Vos quidem dixi, necis atque vitæ
Arbitros, rerum inclyta quos potestas
Æquat Olympo;

7 Vos autem sicut homines moriemini, & sicut unus de principibus cadetis.

7 Ne tamen ne vos decus hoc inani
Impleat fastu: pede pulsat æquo
Namque mors stramen tuguri, atque regum
Splendida tecta.
Illa detractis titulis, & ostro
Vos pari fato rapiet, dabitque

Fer-

v. 2. *Hebr. Et facies impiorum erigitis?*

Ferreus vobis sopor in perennem
Lumina noctem.
8 O sator rerum bone surge, & orbem
Legibus justis moderare, cuncti
Nam tuo reges, populique terræ
Numine pendent.

8 Surge Deus, judica terram, quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus.

PSALMUS LXXXII.

Adversus infideles populos, qui plurimi in Israelitas conspiraverant, Dei opem Asaphus invocat, precaturque, ut quemadmodum olim Madianitas, & Chananæos deleverat, sic horum deleat exercitus.

1 MAgne Parens rerum, cui nulla potentia par est
Mortalium, nec cœlitum,
Ne tacitus specta mala nostra; nec aure severa
Preces Tuorum despice.
2 Ecce hostes subito miscentes cuncta tumultu
Fastu efferuntur turgido:
3 Consilia in populum, quem protegis ipse, nefanda
Diro revolvunt pectore.
4 Arma, ajunt, ferte arma citi, execrandaque prorsus
Stirps deleatur Isaci.
5 Jamque inito adversus te fœdere cum Nabathæis
Turmas Idume colligit.
6 Se Moabitæ addunt, Arabes, Geballus, & Ammon,
Nomenque queis Amalech dedit:
Atque Palæstinas inter, Tyriasque cohortes
7 Syri feruntur milites:
Hac ope degeneres Lothi relevare nepotes
Properant, Tuosque perdere.
8 Tu tamen hos confringe, tuo ceu robore fracta
Gens Madiana concidit,
Ut

1 Deus, quis similis erit tibi? ne taceas, neque compescaris Deus.

2 Quoniam ecce inimici tui sonuerunt, & qui oderunt te, extulerunt caput.

3 Super populum tuum malignaverunt consilium, & cogitaverunt adversus sanctos tuos.

4 Dixerunt, venite, & disperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Israel ultra.

5 Quoniam cogitaverunt unanimiter, simul adversum te testamentum disposuerunt, tabernacula Idumæorum, & Ismahelitæ.

6 Moab, & Agareni, Gebal, & Ammon, & Amalec, alienigenæ *cum habitantibus Tyrum.*

7 Etenim Assur venit cum illis, facti sunt in adjutorium filiis Loth.

8 Fac illis sicut Madian, & Sisara, sicut Jabin in torrente Cisson.

v. 6. *Hebr. Palæstini.*

Ut Sisara occubuit, quem non texere Jabini
Tremenda regis agmina;
Agmina, quæ rapidi partim infecere fluenta
Cissontis atro sanguine,
9 Partim inhumata imis Endori in vallibus, agris
Opima præbent pabula.
10 Qui nos sæva duces poscunt in prælia, eundem
Fac sortiantur exitum,
Orebus qualem subiere, ac Zebus, & acer
Zebeas, feroxque Salmana.
11 Audis, quo fastu se jactavere futuros
Tui incolas sacrarii?
12 At tu more rotæ rapidum currentis in orbem
Torque inquietis motibus;
Utque levem stipulam, arbitrio quæ mobilis auræ
Incerta fertur, disjice:
13 Frondiferumque nemus stridens ceu flamma perurit
Ad usque summa montium,
14 Ipse tuos justi sic insectare furoris
Hostes procella vindice:
15 Ob sua perfundat pudor illis crimina vultum,
Et te vel inviti colant.
16 Exerce pœnis, consternatosque pavore
Magis magisque deprime;
17 Tunc te unum, quascumque vagi rota Solis oberrat,
Regnare terris sentient.



9 Disperierunt in Endor, facti sunt ut stercus terræ.
10 Pone principes eorum sicut Oreb, & Zeb, & Zebee, & Salmana.
11 Omnes principes eorum, qui dixerunt, hæreditate possideamus sanctuarium Dei.
12 Deus meus, pone illos ut rotam, & sicut stipulam ante faciem venti.
13 Sicut ignis, qui combusit silvam, & sicut flamma comburens montes.
14 Ita persequeris illos in tempestate tua, & in ira tua turbabis eos.
15 Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine.
16 Erubescant, & conturbentur in sæculum sæculi, & confundantur, & pereant.
17 Et cognoscant, quia nomen tibi Dominus, tu solus altissimus in omni terra.

PSAL-

PSALMUS LXXXIII.

Ardentissimo templi Dei videndi desiderio consumitur, illorumque felicitatem, qui ibi degunt, commemorat: hinc infimum sibi in domo Dei locum optabiliorem esse, quam moram in tabernaculis impiorum affirmat: pro quo obtinendo preces Deo exhibet. Hic & sequens Psalmus nomen filiorum Core in titulo praefert.

1 O Qui siderei nutu regis agmina regni,
Quemque mare ac tellus, rex metuende, tremit,
Quam dilecta tui mihi sunt tentoria templi!
Quàm mihi prae cunctis haec placet una domus!
2 Mens dulci afficitur sensu, cor languet, & artus
Viventis cupiunt limen adire Dei.
3 Turbine deprensus sua tecta ut passer anhelat,
Dulcesque ut pullos visere turtur avet,
4 Sic ego vos cupidus visam, summi atria regis,
Et figam sacris oscula liminibus.
5 Felices quicumque, Deus, tua templa frequentant
Laudibus addicti tempus in omne tuis!
6 Hic quoque, qui soli didicit tibi fidere, felix,
Quique tuam duro tempore poscit opem!
Ille per arentes valles, inamoenaque vectus
Per loca aquas rivo de saliente bibet.
7 Ad tua cum densis properantem templa catervis
Haud durae frangent taedia longa viae.
Te regem, numenque potens in monte Sionis
Æterno aspiciet lumine conspicuum.
8 O Deus Isacidum, summi o regnator Olympi,
Ne dura timidas aure repelle preces.

9 Per

1 Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.

2 Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum.

3 Etenim passer invenit sibi domum, & turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

4 Altaria tua Domine virtutum, rex meus, & Deus meus.

5 Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt te.

6 Beatus vir, cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco, quem posuit.

7 Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem, *videbitur Deus Deorum in Sion.*

8 Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam, auribus percipe, Deus Jacob.

v. 6. *Hebr. Transeuntem in valle Bechim* seu fletus (*Dominus*) *e fonte potabit eum &c.*

v. 7. *Hebr. Ibunt de caterva in catervam.*

9 *Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui.*

10 *Quia melior est dies una in atriis tuis super millia.*

11 *Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.*

12 Quia misericordiam, & veritatem diligit Deus, *gratiam, & gloriam dabit Dominus.*

13 *Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia, Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.*

9 Per te frons sacro mihi perlita splendet olivo,
Qui vitæ es columen præsidiumque meæ.
10 Una tuo in templo lux est mihi dulcior, ævo
Quam multo in mediis vita peracta bonis.
11 Heic ego prætulerim versari in limine primo,
Infimus & templi janitor esse tui,
Quam procul a patriæ muris, interque scelestos
Regali populos conditione coli.
12 Tu sol discutiens tenebras, clypeusque salutis,
Tu decus & vitæ gloria magna meæ.
13 Te sibi non unquam sensit pietatis avarum;
Qui sceleris puram gaudet inire viam.
Alme Deus, summique potens regnator Olympi,
Cui superæ parent agmina militiæ,
Quam felix est ille animi, qui in rebus acerbis
Vivere constanti spe tibi fretus amat!

PSALMUS LXXXIV.

Canit primum beneficium liberationis e captivitate, Deumque mox exorat, ut populo suo placetur; vel nobiliori sensu pro humana redemptione supplicat: postremò divinitus agnoscens, se a Deo exauditum, bona, quibus in patria Israelitæ cumulabuntur, commemorat.

1 *Benedixisti Domine terram tuam, avertisti captivitatem Jacob.*

2 *Remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum.*

3 *Mitigasti omnem iram tuam, avertisti ab ira indignationis tuæ.*

4 *Converte nos Deus salutaris noster, & averte iram tuam a nobis.*

1 JUdæa duræ servitutis gens jugo
Attrita sensit alme te rerum Parens
Priscis benignum seculis: te vindice
Nam liberata dulcis oras patriæ
Revisit: 2 illi sua remittens crimina,
Altique nube contegens silentii
3 Coercuisti sævientem pectore
Exasperato lenis iracundiam.
4 O ergo nostræ spes salutis unica,
Et nos amico, quæso, specta lumine,
Iraque parce longiore persequi.

5 An

v. 12. *Hebr. Quoniam sol & clypeus* noster est Deus.

5 An illa noſtros continenter poſteros
Urgere perget? 6 Non tibi ſic aſperum
Eſt pectus: ergo nos reviſe mitior:
Tunc vita, quæ nunc pejor ipſo eſt funere,
Erit ſuave munus, & dulciſſimo
Mens delibuta perfruetur gaudio.
7 Benignitate jam tua nos recrea,
Atque ille terris liberator jamdiu
Promiſſus adſit. 8 Pacis almæ nuntiam
Expecto vocem, ſiqua fors cœleſtibus
Demiſſa ab oris corda pulſet . . . Plaudite:
Dei reſedit ira, nec jam turbidùm
Nos ille ſpectat: 9 vota gentis audiit
Piæ, quæ ab omni criminum contagio
Remota ſe ſe dedicavit cultui,
Præconiiſque numinis ſanctiſſimi.
10 Sperata nobis jam ſalus, & fauſtitas
Propinquat ecce; quamque fœda ſervitus
Abire juſſit, rurſus his in ſedibus
Nullo amovenda deget ævo gloria.
11 Videtis, ut jam amabilis benignitas,
Fideſque ſancta, & æquitas; ut mutuâ
Ubique regnat, ac viget concordia?
12 Lux veritatis alma jam mortalium
Perfundit animos; quæque terras fugerat
Juſtitia, eaſdem lætiori lumine
Placata ſpectat. 13 Rector orbis annuet
Rores benignos, expetitum ut tamdiu
Sinu e beato noſtra fructum proferat
Tellus. 14 Adeſt ecce Deus, & veſtigia
Jam ſignat; Æquitaſque prævio gradu
Incedit, Orbi læta portans nuntia.

5 Numquid in æternum iraſceris nobis? aut extendes iram tuam a generatione in generationem?

6 Deus tu converſus vivificabis nos, & plebs tua lætabitur in te.

7 Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis.

8 Audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam.

9 Et ſuper ſanctos ſuos, & in eos qui convertuntur ad cor.

10 Verumtamen prope timentes eum ſalutare ipſius, ut inhabitet gloria in terra noſtra.

11 Miſericordia, & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia & pax oſculata ſunt.

12 Veritas de terra orta eſt, & juſtitia de cælo proſpexit.

13 Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum.

14 Juſtitia ante eum ambulabit, & ponet in via greſſus ſuos.

PSAL-

PSALMUS LXXXV.

Malis oppressus Dei opem David invocat, quem unum verè magnum, & prodigiorum artificem esse dicit: cujus majestas ut ab omnibus gentibus adoretur postulat, & ab hostibus ipse liberari desiderat.

1 QUas fundo, rector cœlipotens, tibi
Preces benignis auribus excipe;
Nam pressus eheu! sum innumeris malis,
Omnique prorsus subsidio carens.
2 Tu, si æquitatem diligo, me tuo
Favore serva; nam tuus unicè
In te salutis spem posuit cliens.
3 Opem invocanti perpetuò tuam
Adsis, & ad te quam, Deus, erigo
Depelle mentis nubila turbidæ.
4 Tu mitis omnes excipis, & tuum
Numen vocantes impiger adjuvas:
5 6 Ergo benignum te mihi supplici
In rebus arctis fac quoque sentiam.
7 Ecquis Deorum par tibi? vel tuæ
Quis æmulari splendida dexteræ
Unquam valebit prodigia, o Deus?
8 Ad te e remotis advenient plagis
Gentes, supreme o conditor omnium,
Tuumque flexo poplite cernui
Ad astra nomen laudibus efferent.
9 Tu namque verè es magnus, & unicus
Deus: potestas haud tua terminis
Arctatur ullis, factaque fortia
Tua expaventes terrigenæ stupent.
10 Ut veritatis lux mihi fulgeat,
Legum in tuarum tramite me tene,
Et ne insolenti lætitia efferar,
Tui timorem numinis incute.
11 Hærens amoris sic tibi vinculo
Laudabo toto pectore te, Deus,
Ubique nomen concelebrans tuum,

1 Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me, quoniam inops, & pauper sum ego.

2 Custodi animam meam, quoniam sanctus sum, salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.

3 Miserere mei Domine quoniam ad te clamavi tota die, lætifica animam servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi:

4 Quoniam tu Domine suavis, & mitis, & multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.

5 Auribus percipe Domine orationem meam, & intende voci deprecationis meæ.

6 In die tribulationis meæ clamavi ad te, quia exaudisti me.

7 Non est similis tui in diis Domine, & non est secundum opera tua.

8 Omnes gentes quascumque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum.

9 Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia, tu es Deus solus.

10 Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua, lætetur cor meum ut timeat nomen tuum.

11 Confitebor tibi Domine Deus meus, in toto corde

Dum curret artus per calidos cruor.
12 E mortis atræ me tua faucibus
Servavit ingens sæpe benignitas:
13 Ah! servet & nunc, dum miser impio
Ab hoste magnis viribus urgeor;
Dum turba, quæ te vindice non tremit,
Mille immerentem discruciat modis.
14 Tu, qui es benignus, mitis, amabilis,
Promissa fidus reddere, lumine
15 Tuum me amico respice servulum,
Tuique partem da mihi roboris,
Qui matre serva sum genitus tua.
16 Ostende certis me tibi diligi
Signis; at hostes fac pudeat sui,
Rebus te in ægris quum mihi senserint
Afferre præsens auxilium, Deus.

meo, & glorificabo nomen tuum in æternum.

12 Quia misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori.

13 Deus, iniqui insurrexerunt super me, & synagoga potentium quæsierunt animam meam, & non proposuerunt te in conspectu suo.

14 Et tu Domine Deus miserator, & misericors, patiens, & multæ misericordiæ, & verax.

15 Respice in me, & miserere mei, da imperium tuum puero tuo, *& salvum fac filium ancillæ tuæ.*

16 Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, & confundantur, quoniam tu Domine adjuvisti me, & consolatus es me.

PSALMUS LXXXVI.

Hierosolymæ laus, in quam omnes omnium terrarum populi unica sub fide convenerunt. Typus est Ecclesiæ, & vocationis gentium.

1 IN colle sacro conditam
Sionis arcem diligit
Deus urbibus plus ceteris,
Judæa gens quas incolit.
2 O civitas sanctissimi
Augusta sedes numinis,
Digna, ut per ævum maximis
Omnes ad astra laudibus
Te nationes efferant.
3 Ad te Canopus incolas
Olim tibi contrarios
Subjecta mittit, ipsaque
Babylon superba cultui
In te Dei se dedicat.

1 Fundamenta ejus in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

2 Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.

*3 Memor ero * Rahab, & Babylonis scientium me.*

4 Te

v. 15. *Hebr. Da robur tuum puero tuo.*
* *Rahab pro Ægypto fere omnes accipiunt.*

4 *Ecce* alienigenæ, *& Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic.*

4 Te Palæstina, & inclyta
Tyros, te adustus Æthiops
Noscit, frequentat, diligit.

5 *Numquid Sion dicet, homo, & homo natus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus?*

5 „ Pro! quot (stupentes inquiunt)
„ Heroas urbs hæc protulit.
„ Certè ille magnus ætheris
„ Rector Sionem condidit.

6 *Dominus narrabit in scripturis populorum, & principum, horum, qui fuerunt in ea.*

6 Ille, ut tui celebritas
Ubique crescat nominis,
In te recenset omnium
Capita tuorum civium,
Tuæque cunctis quæritur
Jus civitatis gentibus.

7 *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.*

7 In te verendi numinis
Semper sonant præconia:
Tu pacis almæ, & gaudii
Sedem beatam sufficis.

PSALMUS LXXXVII.

Eman Ezraita, qui in Libro I. Paralipomenon cap. XXV. Videns regis dicitur, hujus Psalmi est auctor. Tres illi filiæ, & quatuordecim filii fuerunt omnes in arte canendi, & in musicis instrumentis pulsandis peritissimi: ipse autem unus ex tribus, qui ceteris, dum caneretur, præsidebant. Mæstissimum autem est Psalmi argumentum, hominis nimirum malis oppressi, atque ab omnibus destituti fervida ac flexanima ad Deum oratio. Cum intercalari canendus erat, ut in lugubribus carminibus usu veniebat, in quibus viri ac fœminæ, in choros distributi, mortui laudes iterabant, aut suam ipsorum calamitatem deflebant, ex iis aliquo, qui validiore voce polleret, præeunte, ceteris iterantibus.

1 *Domine Deus salutis meæ, in die clamavi, & nocte coram te.*

1 O Qui salutis præsidium es meæ,
Æterne rerum te sator invoco,
Seu luce Sol pulcra renidet,
Sive operit gravis umbra terram.

2 Ad

v. 4. *Hebr. Palæstina.*

2 Ad tē dolentis perveniant preces,
Aurem & benignam porrige supplici;
3 4 Oppressa nam luctu, malisque
Innumeris: mea vita languet.
Squalore fœdis (pro dolor!) artubus
Festinat æger spiritus egredi,
Omnisque me virtus relinquit,
Exanimum veluti cadaver.
5 Stat ore pallor, qualis inest quibus
Injecit atras aspera mors manus,
Oblivio quos alta noctis
Perpetuæ tegit, amovente
Te dextram ab illis: 6 me tenebræ premunt,
Ceu quem profundum turris aheneæ
Claudit barathrum; truxque mortis
Terrificat minitantis umbra.
7 Invasit iræ me vehemens tuæ
Procella, 8 prostratusque sodalibus
Devitor a caris, & horrent
Me veluti furiale monstrum.
9 Vinctus tenaci compede ab hostibus
Spem prorsus omnem deposui fugæ,
Mihique præ fletu vel ipsæ
Deficiunt lacrymæ perenni.
10 Luctus tot inter te precibus tamen,
Quam longa lux est, invoco, & anxius
Tollo manus ad te supinas
Cum gemitu hæc memorans: 11 „ Priusne
„ Vis, falce mortis demetar aspera,
„ Me deinde vitæ ut restituens, tuas
„ Vires reveles? an cadaver
„ Cassum anima tua facta laudet?
12 „ Tua in sepulcro num bonitas putri,
„ Fidesque quemquam fallere nescia
„ Vulgentur? 13 inque umbra profundæ
„ Quis valeat celebrare noctis
„ Quæ mira prodis signa potentiæ?
„ Tuamne possint, quos fera compulit

L Mors

v. 9. Hebr. Inclusus sum.
* *Raphaim, quod & mortuos & gigantes significat.*

2 Intret in conspectu tuo oratio mea, inclina aurem tuam ad precem meam.
3 Quia repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquavit.
4 Æstimatus sum cum descendentibus in lacum, factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.
5 Sicut vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non es memor amplius, & ipsi de manu tua repulsi sunt.
6 Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, & in umbra mortis.
7 Super me confirmatus est furor tuus, & omnes fluctus tuos induxisti super me.
8 Longe fecisti notos meos a me, posuerunt me abominationem sibi.
9 Traditus sum, *& non egrediebar, oculi mei languerunt præ inopia.*
10 Clamavi ad te Domine tota die, expandi ad te manus meas.
*11 Numquid * mortuis facies mirabilia, aut medici suscitabunt, & confitebuntur tibi?*
12 Numquid narrabit aliquis in sepulcro misericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione?
13 Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, & justitia tua in terra oblivionis?

14 *Et ego ad te Domine clamavi, & mane oratio mea præveniet te.*
15 *Ut quid Domine repellis orationem meam, avertis faciem tuam a me?*
16 Pauper sum ego, & in laboribus a juventute mea, exaltatus autem, humiliatus sum, & conturbatus.
17 *In me transierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbaverunt me.*
18 *Circumdederunt me sicut aqua tota die, circumdederunt me simul.*
19 *Elongasti a me amicum, & proximum, & notos meos a miseria.*

„ Mors in silentum regna, læto
„ Carmine justitiam referre?
14 Sic ipse clamo; sic, ubi candido
Eos resurget crastina lumine,
Clamabo rursus: 15 sed quid ægrum
Deseris, alme Parens, measque
Aure obserata cur reicis preces?
16 Primis labores me nimis improbi
Urgent ab annis, atque mœsti
Exagitant animum timores.
17 18 Tui heu! furoris sic violentia
Procumbo pressus, qualiter imbrium,
Quos atra demisit procella,
Agmine dejicitur, peritque
Dejecta messis: 19 quisque sodalium
Me dereliquit dulcium, & optimi
Fugere amicorum, meoque
Nemo dolet, queriturque luctu.

PSALMUS LXXXVIII.

Ethan Ezraita notissimus in libris Regum, & Paralipomenon, qui conspicua inter ceteros Salomonici templi cantores dignitate fruebatur, & cum quo Salomon ipse in Scripturis confertur, hunc Psalmum exaravit; in cujus prima parte usque ad vers. 37. divinam misericordiam erga Davidis familiam, factasque illi promissiones describit, ac Dei veritatem, integramque promissa servandi fidem commendat, in altera vero usque ad finem queritur, regnum Juda minimè juvantibus tam multis promissionibus, ac benevolentiæ significationibus cecidisse, regiamque interiisse familiam; ac denique Deum rogat, ut infirmitatis humanæ conscius populi sui misereatur, promissorumque memor ea exequatur.

1 *Misericordias Domini in æternum cantabo.*

1 Fine carens tua, sancte Pater, numeroque perennem
Materiem mihi sufficiet clementia cantus,

a Et

v. 16. *Hebr. Pauper sum ego, & moribundus a juventute mea; sustinui terrores tuos, & turbatus sum.*

2 Et tua perpetuis promissa manentia seclis
Quam sint vera canam, serosque docebo nepotes.
3 Dicam equidem, generis tunc te misereścere nostri
Cœpisse, obliquo quum fixti sidera mundo;
Inque informe chaos prius omnia posse relabi;
Quam tua sit finem bonitas habitura fidesque,
4 Et quæ firmasti quondam cum Davide pacta
Solemni jurata fide, quum talia fatus:
„ Inconcussa manent te regna, 5 tuosque jubebo
„ Regali in solio per cuncta sedere nepotes
„ Secula, nec clarum patiar sterilescere germen.
6 Te polis auratis fulgens, Pater optime, signis
Patrantem portenta canit, cœtusque piorum
Fœdera servanti læto præconia fundit
Carmine. 7 Quem similem astriferi tibi jactet Olympi
Regia, quisve hominum tibi par? 8 Te lucis amictu
Gloria inocciduæ, majestasque inclyta cingit,
Inque tuos nutus pendentia mille coronant
Agmina cœlicolûm: 9 tibi quis paria induit arma,
Cui comes est virtus, & non mutabile Verum?
10 Tu maris es vasti, Deus, arbiter; æquora sive
Tollere vis vento, motos seu ponere fluctus.
11 Ægypti regem diro tua dextra superbum
Vulnere stravit, & una omnes ponto obruit hostes.
12 Tu cœlum terramque regis; nam totius orbis
Molem hanc immensam, atque suo quæcumque tenentur
Circuitu e nihilo tua sola potentia fecit.
Surgere: hyperboream quidquid seu vergit ad Arcton,

L 2 Seu

v. 11. *Hebr. Confregisti Rabab*, idest Ægyptum.

2 In generationem, & generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo.

3 Quoniam dixisti, in æternum misericordia ædificabitur in cœlis, præparabitur veritas tua in eis.

4 Disposui testamentum electis meis, juravi David servo meo, usque in æternum præparabo semen tuum.

5 Et ædificabo in generationem, & generationem sedem tuam.

6 Confitebuntur cœli mirabilia tua Domine, etenim veritatem tuam in ecclesia sanctorum.

7 Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino, similis erit Deo in filiis Dei?

8 Deus, qui glorificatur in consilio sanctorum, magnus, & terribilis super omnes, qui in circuitu ejus sunt.

9 Domine Deus virtutum, quis similis tibi? potens es, Domine, & veritas tua in circuitu tuo.

10 Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas.

11 Tu humiliasti, sicut vulneratum, superbum, in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.

12 Tui sunt cœli, & tua est terra, orbem terræ, & plenitudinem ejus tu fundasti, aquilonem, & mare tu creasti.

13 Thabor, & Hermon in nomine tuo exultabunt, tuum brachium cum potentia.

14 Firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua, justitia, & judicium praeparatio sedis tuae.

15 Misericordia, & veritas praecedent faciem tuam, beatus populus, qui scit jubilationem.

16 Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in justitia tua exaltabuntur.

17 Quoniam gloria virtutis eorum tu es, & in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.

18 Quia Domini est assumptio nostra, & sancti Israel regis nostri.

19 Tunc locutus es in visione sanctis tuis, & dixisti, posui adjutorium in potente, & exaltavi electum de plebe mea.

20 Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum.

21 Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum.

22 Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei.

Seu mare ad oppositum, 13 juga sive virentia quidquid
Thaboris, Hermonemve aspectat læta ferentem
Pascua, te dominum agnoscit, dextræque potentis
Mira tuæ occurrunt opera undique: 14 nunc quoque, quanto
Robore sit pollens, terris ostende, tuique
Hac populi compesce hostes; namque arbiter æquus
Stellanti resides solio, exercesque tremenda
In sontes tu jura viros; 15 miseratus at idem
Qui te cumque timent promisso munere donas.
O ter felices, qui laudibus inclyta norunt
Ad cœlum egregiis tua facta attollere, 16 quosque
Luce tui vultus illustras! non malus error
Abducet recto de tramite, numinis usque
Nam lætos tegit umbra tui, justumque sequentes.
17 Tu decus omne Tuis Deus es, tu gloria, & auctor
Roboris es nostri: tua nobis æqua voluntas
Afferet incrementum ingens; 18 namque omnibus unos
Nos tibi legisti de gentibus, Isacimque
Dulce tibi e cœlo populum, rex sancte, tueri est.
19 Hæc tu, queis sacro replesti numine pectus,
De me veridicos voluisti prodere vates:
„ Præstantem virtute virum, factisque potentem
„ Egregiis multæ legi inter millia gentis,
„ Ut populo Isacidum det jura, & protegat armis.
20 „ Scilicet hic David est Jessæo e sanguine cretus,
„ Unguine cui sacro perfudi tempora: 21 magnas
„ Huic ego sufficiam vires animumque, scelesta
„ Ne vis perdomitet, cæcis vel fraudibus hostes

„ De-

„ Decipiant: 23 hos ense metet, simul obvius ora
„ Prodiderit, rapidaque alios velocius aura
„ Maturare fugam vitæ in discrimine coget.
24 „ Me sibi perpetua pietate agnoscet amicum,
„ Servantemque datæ fidei inviolabile pactum,
„ Auspiciisque meis sua felix arma sequetur
„ Exitus, & cœlo sublimem gloria tollet.
25 „ Hinc regni Tyrio consurget ab æquore limes,
„ Euphratis liquidas illinc procurret ad undas.
26 „ Quum supplex mihi vota feret, Patremque Deumque
„ Me dicet, vitæ columen; clypeumque salutis.
27 „ Hunc, veluti soboles mihi prima sit, omnibus unum
„ Regibus anteferam, 28 æterno complexus amore,
„ Juratumque dies fœdus non ulla resolvet.
29 „ Quin etiam per longa suos superesse nepotes
„ Secla dabo; & totidem solium regale per annos
„ Durabit, quot magna domus flammantis Olympi.
30 „ Quod si degeneres nati virtute relicta
„ Patere imperiis renuant, rectoque recedant
„ Tramite 31 legem ausi ritu violare profano,
32 „ Haud impune feram, sed virgis more paterno
„ Corripiam, & pœnis vitam emendabo nocentum.
33 „ Ast regi haud deerit bonitas mea, meque fidelem
„ Sentiet usque sibi: 34 non pacta abolere valebit
„ Tempus edax; & quæ mihi vox semel excidit ore,

23 Et concidam a facie ipsius inimicos ejus, & odientes eum in fugam convertam.

24 Et veritas mea, & misericordia mea cum ipso, & in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

25 Et ponam in mari manum ejus, & in fluminibus dexteram ejus.

26 Ipse invocabit me, Pater meus es tu, Deus meus, & susceptor salutis meæ.

27 Et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ.

28 In æternum servabo illi misericordiam meam, & testamentum meum fidele ipsi.

29 Et ponam in seculum seculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies cœli.

30 Si autem dereliquerint filii ejus legem meam, & in judiciis meis non ambulaverint.

31 Si justitias meas profanaverint, & mandata mea non custodierint.

32 Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.

33 Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea.

34 Neque profanabo testamentum meum, & quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita.

v. 25. *Hebr. Imperium ejus usque ad Euphratem.*

35 Semel juravi in sancto meo, si David mentiar, semen ejus in æternum manebit.

„ Haud ego permittam cadat irrita; 35 namque per ipsum
„ Memet ego (nec Jessæam mens fallere prolem est)
„ Juravi, sobolis mansurum in sæcula germen
„ Davidicæ, soliumque fore immutabile regni,

36 Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, & sicut luna perfecta in æternum, & testis in cælo fidelis.

37 Tu vero repulisti, & despexisti, distulisti Christum tuum.

36 „ Aurea dum tacita volventur sidera nocte:
„ Este meis fidi testes sol, lunaque dictis.
37 Hæc est polliciti series. Cur abjicis ergo
Nunc miseros, Deus, Isacidas, despectaque sic est
Hæc tibi gens? Quidnam tibi lectum lumine spectas
Averso regem, 38 & solemnia fœdera pacti
Cum famulo firmata tuo haud servare videris
Amplius? En sacrum diadema, quod illius olim
Vertice fulgebat, pede calcat turba profano.

38 Evertisti testamentum servi tui, profanasti in terra sanctuarium ejus.

39 Destruxisti omnes sepes ejus, posuisti firmamentum ejus formidinem.

39 Mœnia sunt urbis disjecta, atque hostibus ultro
Dant aditum, trepidaque arcem, quæ sola salutis
Spes miseris in rebus erat, formidine cingis.

40 Diripuerunt eum omnes transeuntes viam, factus est opprobrium vicinis suis.

41 Exaltasti dexteram deprimentium eum, lætificasti omnes inimicos ejus.

40 Exspoliat nos præteriens quicumque viator,
Opprobrioque sumus vicina per oppida cunctis
Jam populis; 41 tuque ipse animos heu! sufficis hosti,
Per quem depressi gemimus; quin robore dextram
Firmas, & nostro ut pascat fera pectora luctu
Permittis: 42 nostris acies per te omnis adempta est

42 Avertisti adjutorium gladii ejus, *& non es auxiliatus ei in bello.*

43 Destruxisti eum ab emundatione, & sedem ejus in terram collisisti.

Ensibus, & nulla bellantes parte levasti
Auxilii; 43 utque omnis vigor, ornatusque periret
Passus es, & solium regale, quod omnibus unum
Clarius emicuit, nunc fœdo in pulvere squalet.

44 Ipse

v. 37. *Hebr. Iratus es adversus regem.*
v. 38. *Hebr. Diadema illius.*
v. 39. *Hebr. Posuisti in munitionibus ejus contritionem*, hoc est munimenta comminuisti.
v. 42. *Hebr. Præcidisti aciem gladii ejus.*

44 Ipse quoque heu! misero regi, qui debuit esse
Longior, arctatur spatiis brevioribus ævi
Terminus, atque augusta pudor contaminat ora.

45 Quo tamen usque tuos a me, Pater optime, vultus
Avertes? Tuane æternùm flammescere perget
In nos ira, Deus? 46 Tecum memor ipse revolve,
Quam nobis ævum breve sit, quam sorte caduca
Condideris mortale genus: 47 cui ducere vitam
Sic dabitur, certæ quin demum occumbere morti
Debeat, aut quisnam nigris caput eximet umbris?

48 Ah! quonam pietas tua quonam antiqua recessit?
Quo jurata fides, conceptáque fœdera dictis
Jessæo cum vate tibi solemnibus olim?

49 O Pater, opprobrium tibi sensibus hæreat imis,
Quo famulos pressere tuos circumundique gentes,
Quodque mihi sævos ciet alto in pectore luctus;

50 Dum dictis iterum atque iterum exprobrare superbis
Haud cessant, quod spe fallaci ducimur, & quod
Versa tibi de Davidico sententia regno est.

51 Quidquid agas tamen ipse, ævum tibi gloria in omne
Sit Deus, atque meis tandem bonus annue votis.

44 Minorasti dies temporis ejus, perfudisti eum confusione.

45 Usquequo Domine avertis in finem, exardescet sicut ignis ira tua?

46 Memorare, quæ mea substantia, numquid enim vane constituisti omnes filios hominum?

47 Quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem, eruet animam suam de manu inferi?

48 Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine, sicut jurasti David in veritate tua?

49 Memor esto Domine opprobrii servorum tuorum (quod continui in sinu meo) multarum gentium.

50 Quod exprobraverunt inimici tui Domine, quod exprobraverunt commutationem Christi tui.

51 Benedictus Dominus in æternum, fiat, fiat.

FINIS LIBRI TERTII.

PARAPHRASIS POETICA

IN LIBRUM QUARTUM PSALMORUM.

PSALMUS LXXXIX.

Vitæ humanæ brevitatem, & multiplices ærumnas, quæ ex peccato oriuntur, deplorat Propheta, Deoque supplicat, ut placatus populum suum consoletur ac dirigat. Hic Psalmus Moysis hominis Dei nomine inscribitur. Sunt qui putant, hunc titulum posterioribus adjectum fuisse temporibus; adeoque dicendum, quod vel ab aliquo e posteris Moysis Psalmus fuerit exaratus, vel quod qui modos musicos fecerit, hoc nomine vocabatur, vel demum quod scriptor, quicumque ille sit, majorem conciliaturus auctoritatem celeberrimi illius legislatoris nomen apposuerit, licet simplicius asseri queat, quod Moyses ipse per prosopopœjam ibi loquens inducitur.

1 Domine refugium factus es nobis, a generatione in generationem.

1 A Primis Genitor tu bone seculis
Nobis portus eras araque, tristibus
Ærumnis quoties sors mala presserat.

2 Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis, a seculo, & usque in seculum tu es Deus.

2 Nondum signa polo flammea fulserant,
Nec tellus vacuo emerserat e chao:
Nondum nubiferos surgere jusseras
Montes, nec vario gramine pinxeras
Telluris teneræ prata recentia;
Tuque omni anterior tempore tunc eras
Ille idem, modo qui verus & unicus,
Et nullis vicibus subditus es Deus,
Qualem te aspiciet longa perennitas.

3 Ne avertas hominem in humilitatem, & dixisti, convertimini filii hominum.

3 Humana at spatio sunt tibi tempora
Circumscripta brevi, membraque vis putres
Se

v. 3. *Hebr. Convertis hominem in pulverem, & dicis: convertimini filii Adam.*

Se nostrâ in cineres ut redigant: 4 tuos
Mille anni ante oculos sic cito transvolant,
Tamquam hesterna, sui nil retinens, dies.
5 Sic est: vita hominum præcipiti fuga,
Torrens ceu rapidus, præterit, &, velut
Quæ nos ludificant somnia, deficit.
6 Par est graminibus mane virentibus,
Quum lusit trepidans in foliis liquor
Noctem per gelidam lapsus; at igneus
Quæ sol sic radiis torruit acribus,
Sicca ut noctifero vespere decidant.
7 Stultè flagitiis quam stimulavimus,
Turbavit tua nos ira, nec anxio
Unquam corde abeunt solliciti metus.
8 Quæcumque in tenebris fœda patravimus,
Mentis perspicuo lumine tu vides,
Occultumque tuæ est nil sapientiæ.
9 Dum vindex scelerum se furor objicit
Nobis ille tuus, corde tremiscimus,
Et nostri penitus deficiunt dies,
10 Tamquam tela vagæ vilis araneæ,
Debens imbrifero ludibrium noto.
Vixisse hunc homines vulgò sat autumant,
Annis cui licuit vivere septies
Bis quinis: 11 alios forte decem vir hic,
Cui firmum est senium, vixerit; at malo
Quàm grandi utilitas parva rependitur!
Nam morbi subeunt immedicabiles,
12 Effœtis penitus viribus aspera
Dum mors corripiat? 13 Quis violentiam
Iræ ferre, Deus, quis valeat tuæ?
Pœnarumque genus sontibus additum
Quæ mens concipiat? 14 Nostra fac avocet
Hæc vitæ brevitas pectora inanibus

15 A cu-

4 Quoniam mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna, quæ præteriit.

5 Et custodia in nocte, quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.

6 Mane sicut herba transeat, mane floreat. & transeat; vespere decidat, induret, & arescat.

7 Quia defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati sumus.

8 Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, seculum nostrum in illuminatione vultus tui.

9 Quoniam omnes dies nostri defecerunt, & in ira tua defecimus.

10 Anni nostri sicut aranea meditabuntur, dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni.

11 Si autem in potentatibus, octoginta anni: & amplius eorum, labor, & dolor.

12 Quoniam supervenit mansuetudo, & corripiemur.

13 *Quis novit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?*

14 Dexteram tuam sic notam fac, *& eruditos corde in sapientia.*

v. 5. **Hebr.** ***Inundas eos, somnium erunt,*** **idest velut aquæ fluxus, & somnium eorum anni pro nihilo habentur.**

v. 12. Hebr. *Quoniam tonsio velox, & evolabimus.*

v. 14. Hebr. *Instrue nos, ut dies nostros numeremus, & fac.*

A curis, dociles ut tibi vivere
Pergamus reliquos, si tribuas, dies.

15 Convertere Domine usquequo? & deprecabilis esto super servos tuos.

15 Quo nos usque tuæ justitiæ rigor
Mulctabit? Miseros respice mitior,
Placatusque tuis annue servulis:

16 Repleti sumus mane misericordia tua, & exultavimus, & delectati sumus omnibus diebus nostris.
17 Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti, annis, quibus vidimus mala.

16 Soletur properè nos bonitas tua,
Mœrorque ex animo cedat, ut ubere
Auctis lætitia vita beatior
Nobis deinde fluat: 17 blanda doloribus
Antiquis subeant gaudia, & asperis
Quam mens ægra prius succubuit malis,
Tam sincera animos exhilarent bona.

18 Respice in servos tuos, & in opera tua, & dirige filios eorum.
19 Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, & opera manuum nostrarum dirige super nos, & opus manuum nostrarum dirige.

18 Tu patrocinio protege nos tuo,
Qui te ultro colimus, teque nepotibus
Nostris esse ducem ne pigeat: 19 jubar
Nobis in tenebris eniteat tuum;
Et quæcumque agimus præveni, ut exitu
Nobis eveniant omnia prospero.

PSALMUS XC.

Licet hic Psalmus in Hebræo auctoris nomen in titulo non indicet, omnino tamen Davidi tribuendum esse arbitramur, eorum opinione ducti, qui cunctos Psalmos inscriptione carentes uni Davidi adjudicant. In eo igitur felices eos esse docet, qui in Deo spem reponunt. Divina enim ope mala gravissima vitabunt: nullus hostis eis nocebit. Illos Deus exaudiet, diuturnaque vita, & omni bono cumulabit.

1 Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur.

1 Quisquis æterni sub amica regis
Tecta succedis, residesque ad umbram,
Quam suus spargit favor, hoc latebis
Tutus asylo.

2 Dicet Domino, susceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus sperabo in eum.

2 Ille defensor validus, tuæque
Vitæ erit fidum columen; suæque
Spes opis firmo tua roborabit
Pectora vallo.

3 Te

ỳ. 17. *Hebr. Exhilara nos pro diebus, quibus nos afflixisti.*

3 Te malæ in casses, laqueosque gentis
Haud finet labi, neque pestilenti
Corripi morbo, viduante mœstas
Civibus urbes.
4 Ut suas pullum volucris sub alas
Colligit, sic te gremio fovebit;
5 Quæque promisit tibi certus almæ
Dona salutis,
Hæc suo tectus clypeo assequere;
Nulla per noctis tenebras pericla,
6 Per diem nullos metues sagittæ
Præpetis ictus.
Hostium non vis tibi aperta noxam
Inferet, non fraus male blandientis
Linguæ; & a diri nihil extimesces
Turbine belli.
7 Mille si dextra tibi, mille læva
Si truces cædem minitentur hostes,
Mille pars dextra aspiciet, sinistra
Mille cadentes.
Ipse sed nullo violatus ictu
8 Improbos, cœlo repetente, pœnas,
Quas ob admissas meruere culpas,
Pendere cernes:
9 Teque quod juvit posuisse in uno
Spem Deo, certæ fore quem salutis
Dixti inaccessam tibi semper arcem
Confugiumque,
10 Nullus ærumnis aditus patebit
Ad tuas ædes, mala nulla; 11 nam te
Angeli ut servent, venient ab altis
Ocius astris.
Numen hos jussit (sibi tanta cura
Est tui) dulces veluti sodales

Se

3 Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, & a verbo aspero.

4 Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis ejus sperabis.

5 Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis a timore nocturno.

*6 * A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & dæmonio meridiano.*

7 Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis, ad te autem non appropinquabit.

8 Verumtamen oculis tuis considerabis, & retributionem peccatorum videbis.

9 Quoniam tu es Domine spes mea, altissimum posuisti refugium tuum.

10 Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

11 Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis

v. 3. *Hebr. A peste*, ut Masoretæ legunt; licet & pro sermone calumniarum commodissimè possit intelligi.

* *In Hebræo varia calamitatum genera hoc loco exprimuntur, quæ diversimodè interpretes explicant; retineri tamen optimè potest sententia, quam supra in carmine expressimus.*

Se tibi, quovis meditere ferri
Tramite, jungi:

11 In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

12 Ut per anfractus dubios viarum
Te regant, & per salebras euntem,
Ne tibi in scabrum silicem feratur
Pes male cauto.

13 Super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem.

13 Aspides inter nocuas, & hydros
Inter immanes vacuus timore
Ibis; & sævus leo, quique spirat
Faucibus ignem,
Ad tua allapsus draco genva subdet
Se tibi; nec te fera, vel veneno
Quæ nocet tristi rabidove dente,
Impetet ulla:

14 Quoniam in me speravit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

14 „ Hunc ego, quod me (Deus inquit) unum
„ Mente dilexit cupida, & mihi se
„ Credidit, reddam incolumem, meoque
„ Numine tutum:

15 Clamabit ad me, & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.

15 „ Audiam castis precibus vocantem,
„ Atque in ærumnis adero, malisque
„ Eximam e cunctis, decorans perenni
„ Laudis honore.

16 Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum.

16 „ Huic inoffensæ dabo longiorem
„ Vitæ ego cursum; efficiamque, noscat,
„ Quanta me, in portum veherem ut salutis,
„ Cura tenebat.

PSALMUS XCI.

In divinis laudibus se delectari dicit, quum omnia Dei opera & magna, & mirabilia sint; maximè autem quibus malos plectit, & bonos præmio afficit.

1 Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo, Altissime.

2 Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem.

3 In decachordo psalterio, cum cantico in cithara.

1 Quam nobis, superûm sancte Parens, dulce negotium
Est te prosequier laudibus, 2 3 & sive dies nitet
Almo lumine, seu nox tenebris septa silentibus
Orbem pervolitat, suaviloquis carmina vocibus
Aptare ad sonitus nunc citharæ, nunc nablii, decem

Quod

Quod nervis resonat, dum bonitas materiem tua
Nobis suppeditat perpetuò, & summa fidelitas.
4 Quam me mira tuæ lætificant dextræ opera! 5 Inclytum
Pro! quam præseferunt illa decus! Quæ sapientiæ
Vis adjuncta tuis consiliis, quæque profunditas!
6 Haud illa assequier mente brevi vir stolidè improbus
Æternùm poterit. 7 Ne moveat conditio impii
Quemquam, læta licet sit modo; namque impius, haud secus
Ac flos uvidulo rore madens, surgit; 8 & interit
Herbæ instar, nimiis quæ perit exusta caloribus,
Atque æterna premet nox miserum. Tu solio insides,
Quod vis nulla queat, nec series innumerabilis
Annorum, Deus, evertere; 9 sed gens scelerum artifex,
Atque infensa tibi excisa ruet funditus: 10 ast ego
Sospes, propitio te mihi, surgam altius, & novis
A te viribus auctus viridem floridus induam
Et servabo juventam, 11 atque oculis aspiciam meos
Hostes intrepidis, qui mihi nunc exitium truces
Læva mente parant: fama volans de miserabili
Horum supplicio aures properè se feret ad meas.
12 Gens justa interea, non secus ac palma virens, jugo aut
Surgens in Libani pulcra cedrus, conspicuum decus
Acquiret. 13 Positus quisquis erit numinis in domo,
Sive in vestibulo æquabitur hic arbori, in optimo

Quæ

4 Quia delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.

5 Quam magnificata sunt opera tua Domine! nimis profunda facta sunt cogitationes tuæ.

6 Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc.

7 Cum exorti fuerint peccatores sicut fœnum, & apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem.

8 Ut intereant in seculum seculi, tu autem Altissimus in æternum, Domine.

9 Quoniam ecce inimici tui Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt, & dispergentur omnes, qui operantur iniquitatem.

10 Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum, & senectus mea in misericordia uberi.

11 Et despexit oculus meus inimicos meos, & in insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea.

12 Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur.

13 Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt.

Quæ plantata solo germinat, & floribus emicat.

14 Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi, & bene patientes erunt, ut annuntient.

15 Quoniam rectus Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo.

14 Non torpens senio deficiet, sed feret uberes
Fructus tunc etiam; nam vegeto robore virium
15 Magni justitiam numinis, a quo omnis abest dolus,
Late per populos magnificis laudibus efferet.

PSALMUS XCII.

Dei omnipotentiam, quæ universum condidit orbem honorificentissimis extollit præconiis, divinorumque testimoniorum veritatem commendat.

1 Dominus regnavit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se.

1 TUnc sensit te regem orbis, Pater optime, tunc te
Fassa metu trepido sunt elementa Deum,
Quum majestatis venerando adopertus amictu,
Vimque tui prodens numinis ingenitam,

2 Etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur.

2 Sic solido terram firmasti cardine, ut illam
Nulla suo valeant secla movere loco.

3 Parata sedes tua ex tunc, a seculo tu es.

3 Tu stabili resides solio, æternumque caduci
Te vis nulla unquam temporis imminuet.

4 Elevaverunt flumina Domine, elevaverunt flumina vocem suam.

5 Elevaverunt flumina fluctus suos, a vocibus aquarum multarum.

6 Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.

7 Testimonia tua credibilia facta sunt nimis, domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudinem dierum.

4 5 Alta licet magno se murmure flumina volvant,
Æquor & immensa litora pulset aqua;
6 Tu tamen es longè, Deus, altior; & tibi parent
Flumina, cærulei paret & unda maris.
7 Stant tua, & æternis stabunt oracula seclis,
Promissique fides inviolata tui est.
Hinc quæ sancta tuum decorant mysteria templum,
Perpetua fas est religione coli.



PSAL-

PSALMUS XCIII.

Divinum judicium pro justis oppressis invocat, ostenditque, Dei providentiam omnia curare, atque prospicere; & licet ad tempus conniveat, in finem tamen & justis opem ferre, & malos plectere asseverat.

1 O Qui scelestæ non pateris diu
Inultá turbæ crimina, maxime
Mortalium judex, a ab alto
Erige te solio, & superbos
Dignis coerce suppliciis, Deus.
3 Quousque tandem gens temerario
Profana sic fastu tumebit,
Inque malis animosa factis
4 Quam se patratis flagitiis diu
Jactabit impune? 5 Aspicis, ut tua
Jam regna pessumdant, piosque
Ad nihilum redigunt scelesti?
6 Dilecta languet gens tibi: victimæ
Sævo furori jam viduæ cadunt,
Orbique tolluntur parente;
Tuque etiam, peregrine, terram
Tuo imbuisti sanguine non tuam.
7 Mox hæc profati: „ non Deus Isaci
„ Res cernit humanas, suumque
„ Haud animum inferiora tangunt.
8 O mente capti, quos lacrymabilis
Obcæcat error, discutite ah! gravem
Cordis veternum, rectiusque
Sic animis agitate vestris.
9 „ Qui fecit aures terrigenis Deus,
„ Non ille voces audiet impias?
„ Et ceteris qui finxit orbes
„ Luminum ut aspicerent, malorum

Non

a. 1. Hebr. Appare.

1 Deus ultionum Dominus, Deus ultionum libere *egit.*
2 Exaltare qui judicas terram, redde retributionem superbis.
3 Usquequo peccatores Domine, usquequo peccatores gloriabuntur?
4 Effabuntur, & loquentur iniquitatem, loquentur omnes, qui operantur injustitiam?
5 Populum tuum Domine humiliaverunt, & hereditatem tuam vexaverunt.
6 Viduam, & advenam interfecerunt, & pupillos occiderunt.
7 Et dixerunt, non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob.
8 Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite.
9 Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat?

10 Qui corripit gentes, non arguet, qui docet hominem scientiam?

11 Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.

12 Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.

13 Ut mitiges ei a diebus malis, donec fodiatur peccatori fovea.

14 Quia non repellet Dominus plebem suam, & hæreditatem suam non derelinquet.

15 Quoadusque justitia convertatur in judicium, *& qui juxta illam omnes, qui recto sunt corde.*

16 Quis consurget mihi adversus malignantes? aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem?

17 Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea.

18 Si dicebam, motus est pes meus, misericordia tua Domine, adjuvabat me.

19 Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.

20 Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto?

21 Captabunt in animam justi, & sanguinem innocentem condemnabunt.

„ Non facta cernet? 10 Qui populos sequi
„ Rectum profanos edocet, haud scelus
„ Nocentium exploret, nec æquis
„ Percutiat meritos flagellis?

11 Arcana nostri pectoris omnia
Deo patescunt: cernit, inanibus
Quam quisque se curis fatiget,
Quale nefas animo revolvat.

12 O ille felix, discere cui datum
Est, te magistro, sancte Parens, tuæ
Præcepta legis! 13 Turbulenti
Temporis incolumem procella
Hunc præteribit, dum malus in scrobem
Sibi excavatam proruet: 14 haud tuam
Hereditatem tu repelles,
Nec populum arbitrio scelestis
Pium relinques, 15 donec adhæreat
Tuis severè legibus, & boni
Dum mente sectentur tenaci
Justitiam, cupideque servent.

16 Quis bella mecum fortis in impios
Pugnabit hostes? Quisve proterviam
Armis coercebit malignæ
Gentis, ut hic animus repulso
Metu quiescat? 17 Certè ego, præpetem
Opem tulisses ni mihi, in hostium
Casses ruissem, jamque in silenti
Compositus tumulo jacerem:

18 Nutare gressus quum dolui meos,
Extemplo fulsit me bonitas tua;
19 Curisque depulsis levamen
Lætitiamque animo dedisti.

20 Commune nil est judicibus tibi
Cum fraudulentis, legum adamantina
Qui ceteros stringunt catena,
21 Insidiisque bonos laborant

Capta-

v. 15. *Hebr. Donec justus revertatur ad judicium.*
v. 20. *Hebr. Num tibi quidquam commune erit cum tribunali iniquitatis, quod creat malum præcepto?*

Captare, justum fundere sanguinem
Nunquam haud parati. 22 Confugium mihi
In rebus angustis, spesque
Tu columen mihi semper unus
Eris; 23 sed artes in caput hostium
Vertes dolosas, rex bone cœlitum,
Deusque noster; tu tremendis
Cladibus afficies merentes.

22 *Et factus est mihi Dominus in refugium, & Deus meus in adjutorium spei meæ.*
23 *Et reddet illis iniquitatem ipsorum, & in malitia eorum disperdet eos, disperdet illos Dominus Deus noster.*

PSALMUS XCIV.

Israelitas ad Deo laudes canendas, & ad exultationem invitat, populumque monet, ne ad patrum suarum exemplum animum induret, sed ad Deum sincerè convertatur.

1 Quid otiamur, aureumque dexteræ
Pulsare cessant barbiton?
Surgamus eja, proque partæ munere
Salutis auctori Deo
Grates agamus, 2 invicemque ad aurea
Læti efferamus sidera:
Fumet Sabæis ara circum odoribus,
Dulcisque testudo sonet.
3 Est ille magnus rector orbis, & Deos
Immanè vincit gentium:
4 Telluris ima novit ille viscera
Metiri, & alta montium:
5 Vasti creavit liquida ponti cærula,
Solidoque terram corpore:
6 Eja ergo flexo procidentes poplite
Patrem precemur optimum,
Et ora largis irrigantes fletibus
Sordes lavemus criminum.
7 Ille ille noster pastor est; nos illius
Grex, quo sibi nil carius.
8 Hinc siqua vestras vox ad aures venerit
Dei imperantis, ocius

M Audi-

v. 4. *Hebr. Profunda terræ.*

1 *Venite, exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro.*
2 *Præoccupemus faciem ejus in confessione, & in psalmis jubilemus ei.*
3 *Quoniam Deus magnus Dominus, & rex magnus super omnes deos.*
4 *Quia in manu ejus sunt* omnes fines terræ, *& altitudines montium ipsius sunt*
5 *Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud, & siccam manus ejus formaverunt.*
6 *Venite adoremus, & procidamus, & ploremus ante Dominum, qui fecit nos.*
7 *Quia ipse est Dominus Deus noster, & nos populus pascuæ ejus, & oves manus ejus.*
8 *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

Audite faciles, nec proterva nutui
Suo repugnent pectora;

9 *Sicut in irritatione secundum diem tentationis in deserto, ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt me, & viderunt opera mea.*

9 Ut accidisse novimus, quo tempore
Gens nostra solitudinum
Se per recessus transferebat avios,
„ Ubi impudenter improbi
„ (Sic queritur ipse) sæpe me vestri patres
„ Movere ad iram, virium
„ Audent mearum facere dum periculum;
„ Fuere sed potentiæ
„ Testes meæ. 10 Gens illa denis me quater
„ Affecit annis tædio,
„ Dum semper errat, 11 & meas ediscere
„ Leges superba negligit.
„ Ira in rebelles ergo justa concitus
„ Dixi hoc sacramentum: Deum
„ Ne vera fantem me putet hominum genus,
„ Nec punientem perfidos,
„ Hos si beata regio admittet, suis
„ Quam pollicebar patribus.

10 *Quadraginta annis* offensus fui *generationi illi, & dixi, semper hi errant corde.*

11 *Et isti non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.*

PSALMUS XCV.

Ob collata beneficia Deum laudat, eique gratias agit, omnesque gentes vocat, ut ad colendam in Sione Dei majestatem conveniant, ejusque imperio subjiciantur.

1 O Qui Idumæas habitatis urbes,
Promite haud dictum prius ore carmen;
Atque cœlestem resonent canora
Plectra Parentem.

2 Laude divinum super astra nomen
Tollite, & dignas sine fine magno
Vindici vestræ memores salutis
Reddite grates.

3 Sole ab Eoo sua nuntiate
Usque ad occasum decora, & stupente
Orbe

1 Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra.

2 Cantate Domino, & benedicite nomini ejus, annuntiate de die in diem salutare ejus.

3 Annuntiate inter gentes gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus.

v. 10. *Hebr. Molestiam passus sum.*

Orbe quæ gessit, vaga fama dulci
Carmine vulget.
4 Hic enim, cui nos famulamur, unus
Est Deus, laude assidua efferendus,
Disque, quos gentes metuunt profanæ,
Jure timendus.
5 Nam Deos error, levitasque stultæ
Repperit mentis; nitidas Olympi
At Deus dextra omnipotente noster
Condidit arces.
6 Alma majestas, decor, amplitudo
Sunt ei fidæ comites, suumque
Ornat æternis redimita stellis
Gloria templum.
7 Ergo, age, o linguis variæ, locisque
Dissitæ gentes superûm beato
Gloriam regi date, debitasque
Pangite laudes.
Inclytum sacris celebretur hymnis
Nomen, 8 & puris manibus ferentes
Dona, solemnes genibus voluti
Ponite ad aras.
9 Unus hic terræ metuatur oris
Omnibus, quem vos dare jura cunctis
Dicite, 10 ac totum recreare justis
Legibus orbem.
11 Gaudeat magni domus alta Olympi,
Terraque; & læto fremitu profundum
Æquor exultet, gelidoque nantes
Æquore pisces.
Rideant agri, segetes, & herbæ,
Quidquid & florum parit alma tellus;
12 Rideant silvæ virides, & omnis
Gestiat arbos.
13 Quidquid in lato viget orbe plaudat,
Cœlitum rege adveniente, ut orbem
Temperet justo imperio, regatque
Legibus æquis.

4 Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis, terribilis est super omnes deos.

5 Quoniam omnes dii gentium dæmonia, *Dominus autem cœlos fecit.*

6 Confessio, & pulchritudo in conspectu ejus, sanctimonia, & magnificentia in sanctificatione ejus.

7 Afferte Domino patria gentium, afferte Domino gloriam, & honorem, afferte Domino gloriam nomini ejus.

8 Tollite hostias, & introite in atria ejus, adorate Dominum in atrio sancto ejus.

9 Commoveatur a facie ejus universa terra, dicite in gentibus, quia Dominus regnavit.

10 Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur, judicabit populos in æquitate.

11 Lætentur cœli, & exultet terra, commoveatur mare, & plenitudo ejus, gaudebunt campi, & omnia, quæ in eis sunt.

12 Tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini, quia venit, quoniam venit judicare terram.

13 Judicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua.

v. 5. *Hebr. Quoniam omnes Dii populorum nihili.*

PSALMUS XCVI.

Apparatum Dei orbem judicantis describit: idola colentes increpat, justorumque exultationem pro recto Dei judicio breviter attingit.

1 REgnantem, tacito quæ pede defluunt,
Adduxere Deum tempora: plausibus
Lætis terra sonet, cumque suis mare
Murmur lene ciens gestiat insulis.
2 Ille in nube latens impenetrabiles
Se circum tenebras aggerit: aureo
Assistunt solio candida Veritas,
Atque ultrix scelerum Justitia: 3 anteeunt
Librata e piceis fulmina nubibus,
Hostes quæ subitis ictibus obruunt.
4 Crebris æthra micans ignibus undique
Spargit per populos terrificum jubar.
Visis attonitam talibus, intimis
Terram a visceribus corripuit tremor.
5 Fluxerunt salebris aspera montium
Inspectante Deo saxa, ut in ignibus
Mollis cera fluit: 6 prodidit arduus
Æther justitiam numinis, & sua
Cunctis emicuit gloria gentibus.
7 His turpis faciem dejiciat pudor,
Qui quos sacrilegæ dextræ hominum Deos
Conflavere, colunt hos vice numinis,
Ausi hoc in propriam vertere gloriam,
Quod multa his pecudum cæde litaverint.
8 Quæ gens cumque Deos ritibus impiis
Mendaces coluit, Dîs modo cum suis
Verum rite colat numen; 9 & illius
Dictis læta Sion surgat, ab hostibus
Sumpsisse ut meritas sacrilegis Deum
Pœnas audierit. 10 Te nihil altius

Mens

1 *Dominus regnavit, exultet terra, lætentur insulæ multæ.*

2 *Nubes, & caligo in circuitu ejus, justitia & judicium correctio sedis ejus.*

3 *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus.*

4 *Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ, vidit, & commota est terra.*

5 *Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini, a facie Domini omnis terra.*

6 *Annuntiaverunt cœli justitiam ejus, & viderunt omnes populi gloriam ejus.*

7 *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulacris suis.*

8 Adorate eum omnes Angeli ejus, *audivit, & læta est Sion.*

9 *Et exultaverunt filiæ Judæ, propter judicia tua Domine.*

10 *Quoniam tu Dominus Altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes deos.*

v. 8. *Hebr. Adorent eum omnes Dii.*

Mens humana, Deus, concipere est potis,
Quem non astriferæ vasta domus plagæ
Par est ut capiat: nil tibi in æthere,
In terris tibi nil est simile, & tuo
Omnes ipse Deos cedere numini
Cogis, seque tuos subjicere ad pedes.
11 Qui te cumque pio pectore diligit,
Ne se se scelerum nexibus implicet;
Addictos etenim tu famulos tibi
A gente incolumes eripis impia.
12 En lux alma bonis fulsit, & ubere
Justis exiliunt pectora gaudio.
13 Vos o, quos studium recta sequi tenet,
Læta mente Deo plaudite, & illius
Sanctum, nulla animis secla quod eximent,
Nomen perpetuis tollite laudibus.

11 Qui diligitis Dominum, odite malum, custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.

12 Lux orta est justo, & rectis corde lætitia.

13 Lætamini justi in Domino, & confitemini memoriæ sanctificationis ejus.

PSALMUS XCVII.

Israelitas, immo universos homines, atque omnes creatas res invitat ad Dei laudes canendas ob salutem Israeli præstitam.

1 Non usitatum carmen, nec prius dictum
Læta eja voce dicite superûm Patri:
Nam mira prorsus edidit, 2 potentique
Dum sternit hostes dextera, salutarem
Nobis benignus opem attulit, jugo duræ
Captivitatis eximens: 3 opus cunctæ
Sensere gentes inclytum, nec est ullis
Justitia numinis, malos coercentis,
Ignota terris: 4 jam nepotibus quondam
Datam Isaci integerrimè fidem solvit;
5 Deusque nostræ quod salutis est auctor,
Jam fama ad orbis ultimos tulit fines.
6 Vos ergo gentes universæ eum sacris
In astra ferte laudibus: 7 sonent dulces
Citharæque, tibiæque; buccinarumque
Admisceantur, cornuumque clangores.

1 Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit.

2 Salvavit sibi dextera ejus, & brachium sanctum ejus.

3 Notum fecit Dominus salutare suum, in conspectu gentium revelavit justitiam suam.

4 Recordatus est misericordiæ suæ, & veritatis suæ domui Israel.

5 Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri.

6 Jubilate Deo omnis terra, cantate, & exultate, & psallite.

7 Psallite Domino in cithara, in cithara & voce psalmi, in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ.

8 *Jubilate in conspectu regis Domini, moveatur mare, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & qui habitant in eo.*

9 *Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt a conspectu Domini, quoniam venit judicare terram.*

10 *Judicabit orbem terrarum in justitia, & populos in æquitate.*

8 Gaudete coram rege cœlitum, & plausu
Alacri replete cuncta. Gestiat pontus,
Pontumque quidquid permeat: voluptatis
Det signa tellus, incolæque; 9 lætetur
Ipsa unda fluminum leni fluens cursu,
Altique silvis cum comantibus montes
Sonore læto perstrepant, supremus dum
Rerum dominus adventat, 10 ut suis orbem
Recturus ipse frænis improbos plectat,
Bonisque justus præmia arbiter reddat.

PSALMUS XCVIII.

In monte Sionis, seu in civitate Davidica arca Domini, quam duo Cherubim ex auro solido divini solii speciem exhibentes sustentabant, versabatur. Ad honorem igitur omnipotentis Dei huc populum invitat, ut antiquorum patrum exemplo Deum obsequiosissimè colat.

1 *Dominus regnavit, irascantur populi, qui sedet super Cherubim, moveatur terra.*

2 *Dominus in Sion magnus, & excelsus super omnes populos.*

3 *Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile, & sanctum est, & honor regis judicium diligit.*

4 *Tu parasti directiones, judicium, & justitiam in Jacob tu fecisti.*

5 *Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est.*

1 Jura dat mundo Deus ecce, pennis
Flammei innixus Cherubim; scelesti
Quid fremunt frustra populi, moventque a
Cardine terram?

2 Est sui testis Solyme, Sionque
Numinis, sceptrum dominator unde
Tendit in gentes, rota quotquot ambit
Fervida solis.

3 Fac tuum laudent, Deus, ergo regna
Omnia augustum sine fine nomen,
Ima quod tellus metuit, tremitque
Stellifer axis.

Alma regalem tibi præparavit
Æquitas sedem; 4 Isaciamque gentem
Juris ad normam regis, atque miti
Lege coerces.

5 Cantet æternas tibi quisque laudes,
Sanctius quo nil viget, alme rector,
Et pedum acclini veneretur ore
Scamna tuorum.

6 Te

6 Te sati Amramo genitore fratres,
Et caput sacra Samuel verendum
Infula cinctus coluere castis
Non sine votis.
7 Illa tu audibas, peterentque rebus
Quum tua oracla in dubiis, eosdem
Mitis affari, latitans opaca
Nube, solebas.
8 Quod fide pactum stabili tenentes
Exequi sanctæ studuere jussa
Legis, 9 idcirco rata reddidisti
Vota precantum.
Hos tuo semper facilis tegebas
Numine; ast idem mala pertinacis
Ultor haud segnis quoque puniebas
Crimina vulgi.
10 Ergo te magnis celebrare cuncti
Laudibus certent populi, tuumque
Numen in sacro trepidi precentur
Monte Sionis.

6 Moyses, & Aaron in sacerdotibus ejus, & Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus.

7 Invocabant Dominum, & ipse exaudiebat eos, in columna nubis loquebatur ad eos.

8 Custodiebant testimonia ejus, & praeceptum, quod dedit illis.

9 Domine Deus noster, tu exaudiebas eos, Deus tu propitius fuisti eis, & ulciscens in omnes adinventiones eorum.

10 Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate in monte sancto ejus, quoniam sanctus Dominus Deus noster.

PSALMUS XCIX.

Hortatur omnes gentes ad hilarem Dei confessionem, idest laudem, gratiarum actionem, & cultum.

1 O Quæque gens mortalium,
Perfusa dulci gaudio
Numen supremum cantibus
Extolle, & orbis optimum
Puro Parentem pectore
Cole, obsequensque dilige.
2 Accede lætis plausibus
Ad sacra templi limina;
3 Namque ipse rerum conditor
Est omnium, & verè Deus.
Non casus, aut Dî gentium
Finxere nos, sed illius
Benignitate spiritum
Vitalis auræ ducimus.

1 Jubilate Deo omnis terra, servite Domino in laetitia.

2 Introite in conspectu ejus, in exultatione.

3 Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus, ipse fecit nos, & non ipsi nos.

4 Populus ejus, & oves pascua ejus, introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis confitemini illi.

5 Laudate nomen ejus, quoniam suavis est Dominus, in aeternum misericordia ejus, & usque in generationem & generationem veritas ejus.

4 Est ipse pastor optimus,
Qui nos suas ad pascua
Oves agit salubria.
Adeamus ergo protinus
Ædis beatæ limina,
Gratesque agentes dulcia
Fundamus ore carmina:
Per alta voces atria
Sonent, 5 Deique ceteris
Nomen beatum gentibus
Vulgemus; illo suavius
Nil namque, cujus veritas,
Et lenis indulgentia
Per cuncta stabunt secula.

PSALMUS C.

Optimi Principis, qui innocentiam colit; iniquitatem odit, impios coercet, optimis ministris utitur, justos tuetur, imago.

1 Misericordiam, & judicium cantabo tibi Domine.
2 Psallam, & intelligam in via immaculata, quando venies ad me.

3 Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ.

4 Non proponebam ante oculos meos rem injustam, *facientes praevaricationes odivi.*

1 2 BEnignitate qui rigorem temperas,
O rector alme siderum,
Te nostra semper prædicabunt aureis
Aptata nervis carmina.
Vitæ institutum tunc ego integerrimæ
Tenebo, quum fidus mihi
Ductor praeibis, meque legis lumine
Intaminatæ diriges.
3 Tunc rectus animi, nulliusque conscius
Noxæ, Deus, te diligam;
Meisque quotquot immorantur ædibus,
Castis nitescent moribus.
4 Ut ne quid Æquo proferatur absonum,
Meus cavere erit labor;
Malisque vexans innocentes litibus
Hostem sibi me sentiet.

5 Ad

℣. 4. *Hebr. Non pono coram oculis meis verbum Belial.*

5 Ad studia pectus prava detorquentium
Odi virûm consortia;
Quosque infideli mente deprendi, haud meâ
Dignabor hos præsentia.
6 Livore cæco qui sodalis obterit
Famam immerentis clanculum,
Ego hunc apertè persequendo maximâ
Severitate puniam:
7 Non ille contubernio utetur meo,
Qui vel superbo ceteros
Despectat oculo, corde vel inexplebili
Majora semper appetit.
8 Delector illis unicè, queis nescia
Fraudis placet fidelitas:
Stipare semper hos meum cupio latus,
Mihi & ministros addere,
Mores pudici quos, & innocentiâ
Vitæ ornat: 9 haud in ædibus
Speret dolosus vir moram trahere meis;
Mendacioque deditus
Meum favorem, gratiamque callidis
Haud assequetur artibus.
10 Quidquid nefandæ gentis hoc alit solum
Eliminabo protinus,
Urbs ne scelestis amplius sanctissima
Contaminetur incolis.

5 Non adhæsit mihi cor pravum, declinantem a me malignum non cognoscebam

6 Detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar.

7 Superbo oculo, & insatiabili corde, cum hoc non edebam.

8 Oculi mei ad fideles terra, ut sedeant mecum, ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.

9 Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam, qui loquitur iniqua, *non direxit in conspectu oculorum meorum.*

10 In matutino interficiebam omnes peccatores terra, ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.

PSALMUS CI.

Extremis obrutus miseriis; quas poetica hypotyposi pulcrè describit, opem implorat divinam, simulque ut instauretur Jerusalem, & templum a Chaldæis dirutum, & ad hæc usque tempora a Deo ipse in vita servetur, exorat.

1 DA meis aurem precibus secundam,
O sator rerum, gemitusque cordis
Te

1 Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.

v. 9. *Hebr. Qui facit dolum.*

2 Non avertas faciem tuam a me, in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

3 In quacumque die invocavero te, velociter exaudi me.

Te mei flectant, 2 3 mihi nec beantem
Subtrahe vultum.
Pressus ærumnis quoties acerbis
Te piis supplex voco rite votis,
Mitis exaudi, celerique fessum
Erige dextra.

4 Quia defecerunt sicut fumus dies mei, & ossa mea sicut cremium aruerunt.

4 Nam velut vento rapiente inanis
Avolat fumus, mea sic recedunt
Tempora; & formam referunt adusti
Stipitis artus.

5 Percussus sum ut fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.

5 Secta messoris velut herba falce
Illico arescit, mihi sic peresum
Tabe cor languet, dapis ulla nec me
Cura fatigat.

6 A voce gemitus mei, adhæsit os meum carni meæ.

6 Ora sic fœdant lacrymæ, gravesque
Pectus elidunt gemitus, ut omni
Carne dilapsa male juncta pellis
Vestiat ossa.

7 Similis factus sum pellicano solitudinis, factus sum sicut nycticorax in domicilio.

*8 Vigilavi, & factus sum sicut * passer solitarius in tecto.*

7 8 Qualis in solis pelicanus oris
Degit obscurus, parietibusque
Diruti qualis gemebunda stridet
Noctua tecti;
Talis in totam vigil ipse noctem
Impleo tristi penetrale questu,
9 Invidi illudunt mihi dum protervis
Vocibus hostes:

9 Tota die exprobrabant mihi inimici mei, & qui laudabant me, adversum me jurabant.

10 Quia cinerem tamquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam.

In mea assensu unanimi feroces
Damna conspirant: 10 cineri accubando
Vescor infelix, dolor atra fletu
Pocula miscet.

11 A facie iræ, & indignationis tuæ, quia elevans allisisti me.

11 Me tua ærumnis, Deus, ira tantis
Obruit, qui me ex humili extulisti,
Mox ut ex alto gravior cadentem
Læderet ictus.

12 Dies mei sicut umbra declinaverunt, & ego sicut fœnum arui.

12 Nox ut ex alto ruit axe, in undas
Sol ubi fugit, mea sempiternam
Vita sic noctem petit, areoque
Graminis instar.

13 Te

* *Hebraicè Tsippor: hoc nomine quodlibet avicularum genus comprehenditur.*

13 Te sed æterno solio insidentem
Tempus haud carpit, neque mutat ullum;
Et tua edifcent memoranda seri
Facta nepotes.
14 Ergo jam surge, & placidus Sionem
Respice ah! tandem, miseræque dextram
Tende, promissæ sibi nam salutis
Advenit hora.
15 Nam tuos ipsæ, pede queis superbo
Hostis insultat, lapidum ruinæ
Recreant servos, patriæque tangit
Lugubre bustum.
16 Tunc, Deus, sacro trepidi timore
Te colent omnes populi, tuumque
Numen augustum metuent tenentes
Sceptra tyranni,
17 Quum Sionæam reparabis arcem,
Et tuum heic numen sine nube prodes,
18 Gentis afflictæ patiens querelis
Et prece flecti.
19 Hæc in annales populi referre,
Ut patres natis memorent, juvabit,
Et Dei laudes nova gens in omne
Proferat ævum.
20 Namque ab æternis adytis Olympi
Lumina ad terras miserans retorsit,
21 Plebis ut servæ facili querelas
Audiat aure.
Ille cæsorum sobolem parentum
Nexibus solvet, rapietque letho,
22 Ut Dei sancta resonet Sionis
Nomen in arce.
23 Tunc frequentabunt Solymos ab oris
Ultimis gentes, populusque fient
Unus, & reges superûm Parenti
Munera mittent.
24 Hunc ego, quamquam in media vigorem
Orbi-

v. 15. *Hebr. Et pulverem ipsius amabunt.*
v. 24. *Hebr. Fortitudinem meam evertit: dies meos abbreviabit.*

13 *Tu autem Domine in æternum permanes, & memoriale tuum in generationem & generationem.*

14 *Tu exsurgens misereberis Sion, quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.*

15 *Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus,* & terræ ejus miserebuntur.

16 *Et timebunt gentes nomen tuum Domine, & omnes reges terræ gloriam tuam*

17 *Quia ædificavit Dominus Sion, & videbitur in gloria sua.*
18 *Respexit in orationem humilium, & non sprevit precem eorum.*
19 *Scribantur hæc in generatione altera, & populus, qui creabitur, laudabit Dominum.*
20 *Quia prospexit de excelso sancto suo, Dominus de cœlo in terram aspexit.*
21 *Ut audiret gemitus compeditorum, ut solveret filios interemptorum.*

22 *Ut annuntient in Sion nomen Domini, & laudem ejus in Jerusalem.*
23 *In conveniendo populos in unum, & reges ut serviant Domino.*

24 Respondit ei in via virtutis suæ, paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Orbita attrivit mihi, limitesque
Inter angustos nimis arctat ævi
Tempora nostri,

25 *Ne revoces me in dimidio dierum meorum, in generationem & generationem anni tui.*

25 His fatigabo precibus: malorum
Ne sub immani patiare mole
Me, Deus, labi, neque mortis atrum
Tangere limen.
Vitâ non ullis abolenda seclis
Est tibi, in cunctas hominum superstes
Qui manes unus soboles, cui omne
Subjacet ævum.

26 *Initio tu, Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli.*

26 Tu licet terræ stabilem creasti
Molem, & æternis superas replesti
Ignibus sedes, positasque leges
Servet Olympus;

27 *Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent.*

27 Hæc tamen longis labefacta ab annis
Corruent; dum tu nihil imminutus,
Qualis æterno fueras ab ævo,
Usque manebis.
Tempori hæc cedent, velut obsoleta

28 *Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur, tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.*

Vestis; 28 & mundi faciem novabis,
Qualiter tritis nova qui lacernis
Pallia mutat:
Ipse sed constas tibi semper, & te
Deterit nullum senium, nec annos
Labiles novit tua vita nulli ob-
noxia fato.

29 *Filii servorum tuorum habitabunt, & semen eorum in seculum dirigetur.*

29 Da, tuis orta e famulis nepotum
Gens, & ex ipsis soboles creata
Degat ut tecum quoque sempiternæ
Secula vitæ.



PSALMUS CII.

Se ipsum, Angelos, & homines excitat ad laudandum Deum ob accepta beneficia, & præcipuè quod infirmitatis humanæ conscius populo suo flagitia remiserit.

1 Regem cœlituum tu mea viribus
Totis mens celebra, quidquid & insitum
Est vitale meis pectoribus, sacrum
Nomen rite piis laudibus efferat.
2 Grates redde Deo mens, benefactaque
Ejus ne immemori conde silentio.
3 Quæ te flagitii dedecoraverant
Turpes ille notas delet, & obsitam
Fœdis ulceribus sanat, 4 ab inferûm
Nigris eripiens sedibus, & suæ
Donis te cumulat munificentiæ
5 Ultra vota bonus; teque, avium velut
Reginam senio cedere nesciam,
Ætatis vegeto robore sustinet.
6 Rectos ille animi, turba potentium
Quos vexat, validus vindicat arbiter;
7 Arcanasque sui consilii vias
Mosi sæpe dedit noscere, ut Isaci
Vulgaret soboli: 8 mitis, amabilis
Ipse est, ac facilis parcere, tardior
Irasci, & patiens plurimùm: 9 in omnia
Haud iram retinet secula pertinax,
Nec vultu assiduè territat aspero:
10 Interdumque malos si feriit, minor
Culpis ictus erat: 11 nam sua nos super
Tollit se bonitas altius, arduo
Quam tellus humilis distet ab æthere,
12 Et tam nostra fugat crimina, quam procul
Ortu ab solis abest ultimus occidens.
13 Hunc quicumque pio pectore diligit,
Talem in se placida sentiet indole,
Qualis progeniem est in teneram parens.

Nam

1 Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.

2 Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus.

3 Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.

4 Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia, & miserationibus.

5 Qui replet in bonis desiderium tuum, renovabitur ut aquilæ juventus tua.

6 Faciens misericordias Dominus, & judicium omnibus injuriam patientibus.

7 Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas.

8 Miserator, & misericors Dominus, longanimis, & multum misericors.

9 Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur.

10 Non secundum peccata nostra fecit nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

11 Quoniam secundum altitudinem cœli a terra, corroboravit misericordiam suam super timentes se.

12 Quantum distat ortus ab occidente, longe fecit a nobis iniquitates nostras.

13 Quomodo miseretur pa-

ter filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.

14 Recordatus est quoniam pulvis sumus, homo sicut fœnum dies ejus, tamquam flos agri sic efflorebit.

15 Quoniam spiritus pertransibit in illo, & non subsistet, & non cognoscet amplius locum suum.

16 Misericordia autem Domini ab æterno, & usque in æternum super timentes eum

17 Et justitia illius in filios filiorum his, qui servant testamentum ejus.

18 Et memores sunt mandatorum ipsius, ad faciendum ea.

19 Dominus in cælo paravit sedem suam, & regnum ipsius omnibus dominabitur.

20 Benedicite Domino omnes Angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.

21 Benedicite Domino omnes virtutes ejus, ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

22 Benedicite Domino omnia opera ejus, in omni loco dominationis ejus, benedic anima mea Domino.

Nam quam fluxa hominis sit, miserandaque
Sors novit penitus; 14 nec, quod ab arido
Simus compositi pulvere, eum fugit.
15 Inter tot miseri quam mala ducimus,
Est herbæ similis vita, virentibus
Quæ ad tempus modicum luxuriat comis;
Mox siccata solo decidit; instar aut
Floris, qui nitido murice splendidus
Nuper ruris erat gloria; sed truci
Algentis Boreæ frigore saucius
Plantis atteritur prætereuntium.
16 Ast ævo bonitas perpetuo Dei
Inconcussa manet, qua cupidos sibi
Inservire fovet; 17 quaque per omnia
Servare incolumes secula posteros
Perget, 18 pacta sui crimine fœderis
Si nullo violent, & penitus sua
Figant jussa animo, ut moribus aureis
Et vita referant. 19 Ille micantia
Evincens solium sidera in ultimo
Cœli constituit vertice, cunctaque
Æterno regit hinc numine. 20 Spiritus
Vos o, queis hominum nulla potentia
Par est, quique Dei jussa capessitis,
Numen conspicuis tollite honoribus;
21 Vos, qui estis superi militia imperî
Formidanda malis, qui famulantibus
Nutus obsequiis numinis exequi
Itis perceleres; 22 quidquid & uspiam
Est rerum, omnipotens quas sator edidit,
Illûm concelebret; mensque perennibus
Tu rerum dominum dic mea laudibus.

PSAL.

PSALMUS CIII.

Creatoris sapientia, providentia, & potestas magnificè commendantur.

1 O Qui perpetuis regis omnia solus habenis,
Attonita te mente cano, Deus optime. Pro! quam
Te propria evexit sublimem gloria, quaque
Majestate nites! 2 Te lux antiquior astris,
Nulla valet quam ferre acies, ceu pulcher amictus,
Involvit; 3 tu, vasta velut tentoria, in omnes
Extendis late partes spirabile cœlum,
Cujus summa tegunt tenues fastigia lymphæ.
4 Ardua substernunt celerem tibi nubila currum,
Ventorumque alis volitas invectus; 5 & idem
Quum ventos, ignemque vocas, mora nulla vocati
Adsunt, & proni pendent in jussa ministri.
6 Tu terram proprio libratam pondere certa
Sede locas, quam non validis impulsibus ulla
Secula dimoveant: 7 hanc circumquaque refusus
Oceanus, ceu veste, vagis complectitur undis:
Hæ montana olim superantes culmina, terram
Obruerant; 8 tua at increpuit simulatque tremendo
Vox sonitu, arripuere fugam, barathroque receptæ
Insedere profundo: 9 abrupti attollere cœlo
Tunc montes cœpere caput, subsidere valles,
Te statuente suo res ordine; 10 neve frementis
Tellurem obrueret vesana licentia ponti,
Præscriptas intra metas tua dextra furentem
Continuit, secura sinens ut litora pulset.
11 Tu liquidos volvis juga per declivia fontes,
Fluminaque his auges per apertos deflua campos:

12 Man-

1 Benedic anima mea Domino, Domine Deus meus, magnificatus es vehementer

2 Confessionem & decorem induisti, amictus lumine, sicut vestimento.

3 Extendens cœlum, sicut pellem, qui tegis aquis superiora ejus.

4 Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum.

5 Qui facis angelos tuos, spiritus, & ministros tuos ignem urentem.

6 Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in seculum seculi.

7 Abyssus, sicut vestimentum, amictus ejus, super montes stabunt aquæ.

8 Ab increpatione tua fugient, a voce tonitrui tui formidabunt.

9 Ascendunt montes, & descendunt campi, in locum quem fundasti eis.

10 Terminum posuisti, quem non transgredientur, neque convertentur operire terram.

11 Qui emittis fontes in convallibus, inter medium montium pertransibunt aquæ.

12 Potabunt omnes bestiæ agri, expectabunt onagri in siti sua.

13 Super ea volucres cœli habitabunt, de medio petrarum dabunt voces.

14 Rigans montes de superioribus suis, de fructu operum tuorum satiabitur terra.

15 Producens fœnum jumentis, & herbam servituti hominum.

16 Ut educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis.

17 Ut exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet.

18 Saturabuntur ligna campi, & cedri Libani, quas plantavit, illic passeres nidificabunt.

*19 * Herodii domus dux est eorum, montes excelsi cervis, petra refugium herinaciis.*

20 Fecit lunam in tempora, sol cognovit occasum suum.

12 Mansueta huc potum veniunt armenta, propinquis
Quæ late tondent lætas in collibus herbas,
Atque feræ e lustris horrentibus erumpentes
Accurrunt, vexante siti rabida ora: 13 virentes
Heic circum ripas pictæ posuere volantes
Tecta sibi; quæque argutos e gutture promunt
Concentus, quæque excelsis in rupibus atram
Per noctem feralè canunt: 14 tu providus imbre
Largifluo humectas montes, saturataque tellus
Omnigenos per te pleno parit ubere fœtus.
15 Hæc passim armentis lætas errantibus herbas
Sufficit, atque olera humanos crescentia in usus
Trudit inexhausto e gremio, 16 segetisque ministrat
Munera triticeæ mortalibus, atque datorem
Lætitiæ succum collectum e dulcibus uvis;
17 Quoque nitent vultus, novus & vigor intrat in artus,
Fert hilarans oleum: 18 per te genitabilis omnes
Humor alit plantas, Libanique virentis odoræ
Per te nubifero crescunt in vertice cedri.
Heic avium turmæ, 19 & peregrina ciconia dulces
Frondiferis gaudet nidos suspendere ramis.
Tu juga præpetibus cervis montana dedisti,
Saxaque setigeros in concava trudis echinos.
20 Tu lunam vario signantem tempora vultu
Circumagis, solemque rotas vasto æthere, donec
Occiduo tandem fessos lavet æquore currus.

21 Tum

v. 18. *Hebr. Aves* in genere.
* *Vox Hebraica Chasidah quam speciem avis significet, non convenit inter Interpretes. Plerique Ciconiam; alii cum Symmacho Milvum esse putant. Aquila, & Septuaginta Ardeam; Augustinus, & Arnobius fulicam intelligunt.*

21 Tum, tenebris velata nigrantibus, humida cœlum
Nox operit, spargitque profunda silentia terris;
Quæque diem metuunt latis secura vagari
Incipiunt silvis animalia, 22 seque leones
Cæcis proripiunt antris, magnisque Parentem
Te poscunt, stimulante fame, mugitibus escam.
23 Ast ubi sol nitidum vitreis caput exerit undis,
Omnes se referunt ad nota cubilia gressu
Deproperante feræ: 24 stratis at corpora tollunt
Tunc homines, variusque exercet fortia cunctis
Membra labor, dum nox jubeat decedere fessos.
25 Quam sunt magna tuæ, Omnipotens, opera omnia dextræ,
Et quam mirificè prodit sapientia in illis
Se tua! Quam rerum terra omnis plena tuarum est,
Amplificisque referta opibus! 26 27 Tu brachia pontum
Tendere vasta jubes, spatiumque immane Profundi
Piscibus innumeris forma sub dispare reples;
Hi, dum percurrunt agili vada salsa natatu,
Velivolæ varios diversa ad litora puppes
Intendunt cursus; 28 illic immania cete
Exercent longos tranquilla per æquora lusus.
Ad te oculos cuncta attollunt viventia, ut apta
Tempore cuique suo des pabula, 29 quæque benignus
Largiris, contenta legunt: pluit ampla bonorum
Copia, te facilem pandente ad munera dextram.
30 Ast ubi subducto vultu dare desinis, horror
Occupat, & sese, vita fugiente, resolvunt
In terram, unde illis primùm sua cœpit origo.
31 Ad vitam revocare tui sed flaminis aura
Cuncta potes, terræque suos dare rursus honores.

N 31 In-

v. 28. *Hebr. Ut ludat in eo.*

21 Posuisti tenebras, & facta est nox in ipsa pertransibunt omnes bestiæ silvæ.

22 Catuli leonum rugientes, ut rapiant, & quærant a Deo escam sibi.

23 Ortus est sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur.

24 Exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam usque ad vesperum.

25 Quam magnificata sunt opera tua Domine! omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua.

26 Hoc mare magnum, & spatiosum manibus, illic reptilia, quorum non est numerus.

27 Animalia pusilla cum magnis, illic naves pertransibunt.

28 Draco iste, quem formasti ad illudendum ei, *omnia a te expectant, ut des illis escam in tempore.*

29 Dante te illis, colligent, aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.

30 Avertente autem te faciem, turbabuntur, auferes spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suum revertentur.

31 Emittes spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ.

31 Sit gloria Domini in seculum, lætabitur Dominus in operibus suis.

33 Qui respicit terram, & facit eam tremere, qui tangit montes, & fumigant.

34 Cantabo Domino in vita mea, psallam Deo meo, quamdiu sum.

35 Jucundum sit ei eloquium meum, ego vero delectabor in Domino.

36 Deficiant peccatores a terra, & iniqui ita, ut non sint, benedic anima mea Domino.

32 Inclyta perpetuum tibi gloria perstet in ævum;
Alme Deus, manuumque tibi tot facta tuarum
Sit dulce aspectare tuo pendentia nutu.
33 Intuitu tu terram omnem convellis ab imis
Sedibus, & montes vix fulmine tangis, opaco
Quum circumvolvis fumo, & candente favilla.
34 Dum mihi vitali vesci permiseris aura,
Lætus ego cithara & fidibus celebrabo canoris
Te, Deus: 35 ah! tibi si placeant mea carmina, pro quæ
Pectus inundabunt mihi gaudia! 36 turba sed exlex
Funditus intereat, nulloque repullulet ævo;
Teque Patrem rerum, dominumque feremus in astra.

PSALMUS CIV.

Invitat Israelitas, ut Deum laudent ob collata beneficia. Promissiones Abrahamo, Isaaco, & Jacobo factas comminiscitur. Josephi adventum in Ægyptum narrat, ad flagella Pharaonis descendit, & ad liberationem Judaici populi a captivitate Ægyptiorum.

1 Confitemini Domino, & invocate nomen ejus, annuntiate inter gentes opera ejus.

2 Cantate ei, & psallite ei, narrate omnia mirabilia ejus.

3 Laudamini in nomine sancto ejus, lætetur cor quærentium Dominum.

4 Quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem ejus semper.

5 Mementote mirabilium ejus, quæ fecit, prodigia ejus, & judicia oris ejus.

1 Nutu beatas qui regit ætheris
Oras, Parentem tollite laudibus,
Vocate nomen, perque gentes
Facta suæ celebrate dextræ.
2 Nec voce tantum, sed citharæ modis
Quæ mira gessit pangite, & omnia
Vulgate quà vastus refusis
Oceanus sola cingit undis.
3 Deo dicatum pectus, & illius
In jussa pendens gaudia sentiat:
Hunc eja non fictis adite
Vos pariter, pia turba, votis.
4 Vultus beatos quærite, 5 & inclyta
Quæ signa vestris patribus edidit,
Vobisque servari relictas
Perpetuò memorate leges.

6 Vos

6 Vos Abrahami posteritas boni,
Piique proles Isacidæ alloquor,
Quos gente selectos ab omni
Præcipuo sibi amore junxit.
7 Rex ille noster lancibus omnia
Expendit æquis, 8 pactaque fœdera
Ad ultima extendit nepotum
Secula, progeniesque mille,
9 Promissa præstans facta Abrahæ suo,
Firmata deinc solemniter Isaco,
10 Illius & proli, suoque
Mox generi in soboles perennes,
11 Hæc quum profatus: te in Chanaan solum
Inducam, & agros partiar uberes,
Priore ut expulso colono
Tu melior potiaris heres:
12 Nostrique quamquam tunc generis forent
His rariores sedibus incolæ,
13 Errare per multos coacti
Sæpe etiam populos, ferasque
Adire terras; 14 hos tamen impia
A fraude texit plus vice simplici,
Et damna moliri paratos
Turbidus increpuit tyrannos:
15 „ Ne dedicatos vos mihi servulos,
„ Sic admonebat, tangite, queis sacro
„ Frons uncta olivo, nec meis in-
„ juria vatibus inferatur:
16 Quumque imperasset serpere pallidam
Famem per oras finitimas Deus,
Omnemque jam victum scelestis
Ægra seges populis negaret,
17 Nostri ut levamen tristibus in malis
Patres haberent, numen in oppida
Præmisit Ægypti Josephum
Egregiæ sobolem Rachelis.
18 Hic improborum venditus aspero
Livore fratrum carceris obsitus
Squalore, nodatusque vinclis
Dura tulit, timuitque mortem.

6 Semen Abraham, servi ejus, filii Jacob electi ejus.

7 Ipse Dominus Deus noster, in universa terra judicia ejus.

8 Memor fuit in seculum testamenti sui, verbi, quod mandavit in mille generationes.

9 Quod disposuit ad Abraham, & juramenti sui ad Isaac.

10 Et statuit illud Jacob in præceptum, & Israel in testamentum æternum.

11 Dicens, tibi dabo terram Chanaan, funiculum hereditatis vestræ.

12 Cum essent numero brevi, paucissimi & incolæ ejus.

13 Et pertransierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum.

14 Non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis reges.

15 Nolite tangere christos meos, & in prophetis meis nolite malignari.

16 Et vocavit famem super terram, & omne firmamentum panis contrivit.

17 Misit ante eos virum, in servum venundatus est Joseph.

18 Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertransiit animam ejus, donec veniret verbum ejus.

19 At

19 Eloquium Domini inflammavit eum, misit rex, & solvit eum, princeps populorum, & dimisit eum.

19 At quum repletus numine somnia
Notis resolvit vaticinantibus,
Rex jussit extemplo levari
Vincla viro, incolumemque mitti;

20 Constituit eum dominum domus suæ, & principem omnis possessionis suæ.

20 Versaque rerum jam in melius vice
Hunc administrum dixit, & arbitrum
Regalis ædis, præsidemque
Imperii, & solio secundum.

21 Ut erudiret principes ejus sicut semetipsum, & senes ejus prudentiam doceret.

21 Permisit, ipsos plectere principes
Aulæ ut valeret regiæ, & optima
Præcepit hinc vitæ severi
Acciperent documenta patres.

22 Et intravit Israel in Ægyptum, & Jacob accola fuit in terra Cham.

22 Tunc e paternis Isacides plagis
Digressus agros fertilis attigit
Ægypti, & illic gens quietas
Constituit sibi nostra sedes.

23 Et auxit populum suum vehementer, & firmavit eum super inimicos ejus.

24 Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus, & dolum facerent in servos ejus.

23 Hanc prole tanta, & viribus auxerat
Favor benigni numinis, advena
Ut incolis tandem timori
Esset; 24 & invidia frementes
Hunc mente versa perdere callidis
Jam jam parabant artibus: at Deus
Ut liberaret servitute
A misera Isacidæ nepotes,

25 Misit Moysen servum suum, Aaron, quem elegit ipsum.

26 Posuit in eis verba signorum suorum, & prodigiorum in terra Cham.

27 Misit tenebras, & obscuravit, & non exacerbavit sermones suos.

25 Arona vatem misit, & inclytum
Mosem, 26 suoque hos edere nomine
Portenta jussit, quæ tyrannus
Niliacæ trepidaret oræ.
27 Jamque imperantum nutibus omnia
Cedunt: opacis en tenebris dies
Obductus invexit repente
Perpetuam sine sole noctem.

28 Convertit aquas eorum in sanguinem, & occidit pisces eorum.

29 Edidit terra eorum ranas in penetralibus regum ipsorum.

28 Polluta fœdo sanguine putruit
Unda omnis, & grex squammeus occidit,
29 Ranæque passim ebullientes
Ilicet operuere terram:
Nec tecta tantum sordida agrestium;
At fœta ranis regia turpibus
Squalebat ipsa, inque optimatum
Irruerant laqueata tecta.

30 Ex-

30 Extemplo fœdis cernere erat loca
Oppleta muscis omnia, & agminum
Se more densantes volabant
Vulnifici culices per auras:
31 Grando ruebat saxea, & ignei
Vis personabat fulminis: 32 arbores
Ictæ interibant, nec colono
Spes segetis remanebat ullà:
33 Locusta dicto nam venit ocius,
Bruchusque mordax, 34 ore superstitem
Messem vorantes; jamque fœdus
Arva tegit populata squalor.
35 Nec sat; sed omnes pignora per domos,
Priore partu matribus edita,
Nox atra dum terras tegebat,
Fulmineo posuere vitam
Percussa ferro. 36 Post ea ab impiis
Eduxit oris numen Abramidas,
Auroque & argento potiri
Barbarico dedit, inter omnes
Languente nullo. 37 Gens Mareotica
Videns profectos, spe superaddita
Gaudere cœpit, si recedant
Forte metus, redeatque mœstis
Pax læta regnis. 38 Quo Deus interim
Amore gentem prosequitur suam!
Hanc, vasta deserti recessus
Per loca dum graditur, diurno
Ab æstu opaca nube tegit, nigræ
Noctis tenebras dissipat ignibus:
39 Vix postularunt, quum coturnix
Plurima deproperat; poloque
Missis replentur frugibus: 40 arida
E rupe dulcis prosiliit liquor,
Sitique squalentes, & æstu
Per salebras strepuere fontes.
41 Sic Abrahamo quæ Pater optimus
Promisit olim, non fuit immemor
Servare: 42 sic gentem piorum
E Phariis miseratus oris,

30 Dixit, & venit cœnomyia, & cinifes in omnibus finibus eorum.

31 Posuit pluvias eorum, grandinem, ignem comburentem in terra ipsorum.

32 Et percussit vineas eorum, & ficulneas eorum, & contrivit lignum finium eorum.

33 Dixit, & venit locusta, & bruchus, cujus non erat numerus.

34 Et comedit omne fœnum in terra eorum, & comedit omnem fructum terræ eorum

35 Et percussit omne primogenitum in terra eorum, primitias omnis laboris eorum.

36 Et eduxit eos cum argento, & auro, & non erat in tribubus eorum infirmus.

37 Lætata est Ægyptus in profectione eorum, quia incubuit timor eorum super eos.

38 Expandit nubem in protectionem eorum, & ignem, ut luceret eis per noctem.

39 Petierunt, & venit coturnix, & pane cœli saturavit eos.

40 Dirupit petram, & fluxerunt aquæ, abierunt in sicco flumina.

41 Quoniam memor fuit verbi sancti sui, quod habuit ad Abraham puerum suum.

42 Et eduxit populum suum in exultatione, & electos suos in lætitia.

43 Et dedit illis regiones gentium, & labores populorum possederunt.

44 Ut custodiant justificationes ejus, & legem ejus requirant.

Lætis replentem plausibus omnia
Tandem revulsit, 43 cultaque gentium
Huic impiarum possidenda
Arva dedit, capere & laboris
Fructum haud sui permisit; 44 ut unicè
Suis studerent legibus, ictaque
Cum patribus quondam fideli
Pacta animo memores tenerent.

PSALMUS CV.

Celebrat Dei misericordiam Judæis summè ingratis sæpius exhibitam, oratque, ut Deus eam continuet, dispersosque per orbem Israelitas in patriam reducat.

1 Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus.

1 ORbis arbitrum potentem
Prosequamur laudibus,
Cujus omne firma in ævum
Permanet benignitas.

2 Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus?

2 Præco tantam sed quis aptè
Prædicet potentiam,
Inclytasque fando laudes
Assequatur numinis?

3 Beati, qui custodiunt judicium, & faciunt justitiam in omni tempore.

3 O beatos ter quaterque
Æquitatis asseclas,
In Tonantis jussa prono
Qui feruntur pectore!

4 Memento nostri Domine in beneplacito populi tui, visita nos in salutari tuo.

4 Cura nostri ne recedat
Tibi, Parens, e pectore;
At, si amica fert voluntas,
Vise nos salutifer,

5 Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ, ut lauderis cum hæreditate tua.

5 Ut, Tuos queis muneraris,
Sim bonorum particeps,
Utque lectæ gentis almo
Restitutus cœtui
Pura & ipse, te canendo,
Mente carpam gaudia.

6 Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus.

6 At scelesta nos propago
Cum scelestis patribus

Prava

In te iniqua molientes
Omne fas abrupimus.
7 Mira namque quæ per urbes
Egeras Niloticas,
Haud parentes hæc sub alto
Condidere pectore;
Ulla nec repensa magno
Fuit amori gratia,
Quòd tyranni sævientis
Liberasti vinculis:
8 Quin te ad iram concitarunt
Rubri ad oras æquoris,
Imperantum quum rebelles
Obstitere nutibus:
9 Attulisti sed salutem
Mitis immerentibus;
Ut tuæ esset nota ubique
Dexteræ potentia:
10 Vix minantem sensit unda
Te frementis gurgitis,
Quum recedens hinc & inde
Transitum per aridas
His arenas, ceu per arva
Glareosa præbuit,
11 Insequentis donec ultor
E tyranni faucibus
Abstulisti; 12 sed superbos
Æstuante vortice
Unda confluens utrinque
Mersit adversarios,
Atque tantæ nemo cladis
Nuntius superfuit.
13 Credidere tunc Tonantis
Nempe patres vocibus,
Illiusque gesta lætis
Extulere cantibus.
14 Vix ab hoste fluctibusque
Sospites evaserant,
Cuncta pectore excidere;
Seque sanctis legibus

7 Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua, non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ.

8 Et irritaverunt ascendentes in mare, mare rubrum.

9 Et salvavit eos propter nomen suum, ut notam faceret potentiam suam.

10 Et increpuit mare rubrum, & exsiccatum est, & deduxit eos in abyssis sicut in deserto.

11 Et salvavit eos de manu odientium, & redemit eos de manu inimici.

12 Et operuit aqua tribulantes eos, unus ex eis non remansit.

13 Et crediderunt verbis ejus, & laudaverunt laudem ejus.

14 Cito fecerunt, obliti sunt operum ejus, & non sustinuerunt consilium ejus.

Providentis abnuere
Numinis submittere:

15 Et concupierunt concupiscentiam in deserto; & tentaverunt Deum in inaquoso.

15 Nam vagantes per remotæ
Saxa solitudinis
Stulta edendi conflagrarunt
Protinus cupidine,
De superni regis ausi
Viribus diffidere;

16 Et dedit eis petitionem ipsorum, & misit saturitatem in animas eorum.

16 Expetita qui profudit
Sic abunde fercula,
Ut repletis jam moverent
Ventribus fastidium.

17 Et irritaverunt Moysen in castris, Aaron sanctum Domini.

17 Impetivit mox protervâ
Turba Mosem jurgiis,
Atque fratrem, cui premebat
Sacra crines infula.

18 Aperta est terra, & deglutivit Dathan, & operuit super congregationem Abiron.

19 Et exarsit ignis in synagoga eorum, flamma combussit peccatores.

18 Fissa tellus at repente,
Dum tumultum commovent,
Dathan hausit, atque Abiron;
19 Flammeique turbinis
Vis scelestos devoravit
Asseclas: nec talibus
Erudita gens flagellis
Abstitit delinquere.

20 Et fecerunt vitulum in Horeb, & adoraverunt sculptile.

20 Namque Horebi (pro! nefandum
Crimen) in radicibus
Mox juvencum sustulere,
Fusilisque imaginem
Ad metalli procidere;

21 Et mutaverunt gloriam suam, in similitudinem vituli comedentis fœnum.

21 Gloriæque numinis
Vile brutum derogavit
Sicca mandens gramina.

22 Obliti sunt Deum, qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro.

22 Jamque prorsus obstinatæ
Corde gentis excidit
Verus ille Deus, ab uno
Quo saluti reddita,
Ora per quem vasta monstris
Horridis Memphitica,
Cladibusque luctuosis
Arva Chami territa,

Qui ſuperbos vi tremenda
Merſit hoſtes fluctibus.
23 Ergo ab ima jam parabat
Iſaci ſubvertere
Stirpe gentem, ni, procella
Dum fremebat imminens;
Ultro Moſes obtuliſſet
Se Tonanti ſupplicem,
24 Et precando ni furentis
Arcuiſſet impetum.
At nec iſta profuere,
Mens ut eſſet ſanior:
Namque ſæpe quæ dolebant
Longius recedere,
Concupitos attigere
Limites ut hoſtium,
Nil feracis æſtimarunt
Arva terræ ditia.
25 Caſtra queſtibus replerunt
Et tumultu; nec fidem
Præbuere, ſed rebelles
Obſtitere numini.
26 Hæc ob auſa Deus in iras
Actus implacabiles
Dexteram altè fulminantem,
Qua perirent, extulit,
Per receſſus dum vagantur
Avios; 27 ſuperſtites
At nepotes deſtinavit
Hoſtibus committere,
Hacque, & illac late in omnes
Nationes ſpargere.
28 Se nefando dedicarunt
Cultui Belphegoris,
Atque fœdas flexo ad aras
Procidere poplite,
Diſque vita deſtitutis
Quas ſacrarant, barbaræ
More gentis, ſemicoctas
Devorarunt hoſtias,

23 Et dixit, ut diſperderet eos, ſi non Moyſes electus ejus ſtetiſſet in confractione in conſpectu ejus.

24 Ut averteret iram ejus ne diſperderet eos, & pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem.

25 Non crediderunt verbo ejus, & murmuraverunt in tabernaculis ſuis, non exaudierunt vocem Domini.

26 Et elevavit manum ſuam ſuper eos, ut proſterneret eos in deſerto.

27 Et ut dejiceret ſemen eorum in nationibus, & diſpergeret eos in regionibus.

28 Et initiati ſunt Beelphegor, & comederunt ſacrificia mortuorum.

29 Et irritaverunt eum in adinventionibus suis, & multiplicata est in eis ruina.

29 Numen patrium nefandis
Provocantes ausibus.
In nocentes at repente
Magna clades irruit,

30 Et stetit Phinees, & placavit, & cessavit quassatio.

30 Tota qua gens concidisset,
Ni protervam Phineas
Ense stricto puniisset
Sontium libidinem:
Ira læsi sic Parentis
Mitigata substitit.

31 Et reputatum est ei in justitiam, in generationem, & generationem usque in sempiternum.

31 Justus ardor vindicandæ
Legis illi gloriam
Sempiternam comparavit,
Omnibusque ex illius
Stirpe clara procreatis
Postmodo nepotibus.

32 Et irritaverunt eum ad aquas contradictionis, & vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbaverunt spiritum ejus.

32 Excitavit at repressam
Rursus iracundiam
Turba demens, quum coorto
Cœpit undam murmure
Postulare turbulentis
Inquieta vocibus;
Quo tumultu mentis impos
Pene Moses redditus,

33 Et distinxit in labiis suis, non disperdiderunt gentes, quas dixit Dominus illis.

33 Ore verba namque nutans
Hæsitante protulit.
Impiarum mox potita
Nationum finibus,
Hasque bello contudisse
Jussa, non aheneum
Strinxit ensem, non cruore
Tela tinxit hostico;

34 Et commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & servierunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalum.

34 Fœderata sed profanis
Incolis se miscuit,
Turpibusque mancipavit
Ultro se se ritibus,
Nec superba mens ab ullo
Temperavit crimine.

35 Et immolaverunt filios suos, & filias suas dæmoniis.

35 Filios enim immolarunt,
Filiasque barbari

Heu!

Heu! parentes, non parentes,
Inferorum Manibus,
36 Atque prolis imbuerunt
Innocenti sanguine
Vana spectra, quæ nefanda
Gens colebat, numinum.
37 Horruit terra execrandis
Inquinata cædibus,
Fœda quæque dum secuti
Facta Patrem deserunt.
38 Arsit acri numen ira,
Quamque sponte legerat,
Stirpem abominans reliquit,
39 Tradiditque in hostium
Impiorum servitutem,
Qui truci tyrannide
40 Contumacis edomarent
Spiritus ferociam.
Liberata sæpe ab illo
Quum fuisset vindice,
41 Ad dolosi rursus artes
Ingenî se contulit;
At patrato pœna rursus
Prompta venit crimini.
42 Invocantem mox in arctis
Rebus æquus audiit,
43 Atque fœdus, quod vetustis
Sanxerat cum patribus,
Mente volvens in priorem
Jam recepit gratiam.
44 Corda movit ille duris
Duriora cautibus,
Servitutis ut severæ
Lora mœstis demerent.
45 O beate rector orbis,
Hostibus nos eripe,
Perque gentes dissipatos
Tecta duc ad patria,
46 Ut colamus te, tuoque
Digna sancto nomine

Lingua

36 Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum & filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan.
37 Et infecta est terra in sanguinibus, & contaminata est in operibus eorum, & fornicati sunt in adinventionibus suis.
38 Et iratus est furore Dominus in populum suum, & abominatus est hereditatem suam.
39 Et tradidit eos in manus gentium, & dominati sunt eorum, qui oderunt eos.
40 Et tribulaverunt eos inimici eorum, & humiliati sunt sub manibus eorum, sæpe liberavit eos.
41 Ipsi autem exacerbaverunt eum in consilio suo, & humiliati sunt in iniquitatibus suis.
42 Et vidit cum tribularentur, & audivit orationem eorum.
43 Et memor fuit testamenti sui, & pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ.
44 Et dedit eos in misericordias in conspectu omnium, qui ceperant eos.
45 Salvos nos fac Domine Deus noster, & congrega nos de nationibus.
46 Ut confiteamur nomini sancto tuo, & gloriemur in laude tua.

47 *Benedictus Dominus Deus Israel a seculo & usque in seculum, & dicet omnis populus, * fiat fiat.*

Lingua pangat, aureumque
Barbiton præconia,
47 Gensque ut uno clamet ore:
„ Sit Deo, nepotibus
„ Abrahami rite culto,
„ Sempiterna gloria.

* *Duæ voces* fiat, fiat : (*Hebr. amen ; amen*) *non a Psalmorum auctore, sed ab iis, qui Psalterium collegerunt, & in quinque libros divisere, ad majorem rerum, quæ dicuntur confirmationem, piosque in divinis laudibus inflammandos, adjunctæ creduntur; utpote quæ in singulorum librorum fine occurrunt, ultimo excepto, qui ab Hebrais per Alelu-jah (idest laudate Deum) concluditur.*

FINIS LIBRI QUARTI.

PARA-

PARAPHRASIS POETICA
IN LIBRUM QUINTUM PSALMORUM.

PSALMUS CVI.

Omnes homines ad laudes Deo deferendas hortatur Propheta, quod ex difficillimo per loca asperrima itinere, morbis gravissimis, carcere, periculisque navigationis, quæ omnia graphicè describit, se invocantes liberaverit. Sunt, quibus placet hunc Psalmum latius, quam ad solos Judæos, extendere; adeoque in eo contineri putant beneficia, quæ generatim Deus hominibus largitur. In fine concluditur, nihil in iis, quæ Deus gerit in hujus mundi administratione, quidquid impii opinentur, incongruum apparere. Hic Psalmus inter pulcherrimos ac sublimissimos recensendus est: a duplici cantorum choro canebatur intercalari versu „ Confitemini Domino misericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum " *quater iterato.*

1 QUeis datur ætherei jucunda luminis aura
Vescier, altisono cœlestem extollite regem
Carmine; namque illo nil mitius, & sua nullis
Deficiet seclis bonitas. 2 Hi talia testes
Egregii memorent, quos diro ex hoste recepit
Incolumes, patriæque vagos ad grata reduxit
Hospitia, 3 adducens rubicundo solis ab ortu,
Vespere ab occiduo, Boreæque nivalibus oris,
Atque unde imbriferas nubes agit humidus Auster.

1 Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus.

2 Dicant qui redempti sunt a Domino, quos redemit de manu inimici, & de regionibus congregavit eos.

*3 A solis ortu, & occasu, ab Aquilone, & * mari.*

* *Idest meridie, seu regione australi. Nam versus illam partem est propriè Oceani locus respectu Terræ Sanctæ. Idem videre est in Psalmo LXXXVIII. v. XII. in iis verbis* „ Aquilonem, & mare tu creasti.

4 In

4 Erraverunt in solitudine in inaquoso, viam civitatis habitaculi non invenerunt.

5 Esurientes, & sitientes, anima eorum in ipsis defecit.

6 Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur, & de necessitatibus eorum eripuit eos.

7 Et deduxit eos in viam rectam, ut irent in civitatem habitationis.

8 Confiteantur Domino misericordia ejus, & mirabilia ejus filiis hominum.

9 Quia satiavit animam inanem, & animam esurientem satiavit bonis.

10 Sedentes in tenebris, & umbra mortis, vinctos in mendicitate, & ferro.

11 *Quia* exacerbaverunt eloquia Dei, *& consilium Altissimi irritaverunt.*

12 Et humiliatum est in laboribus cor eorum, infirmati sunt, nec fuit qui adjuvaret.

13 Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur, & de necessitatibus eorum liberavit eos.

14 Et eduxit eos de tenebris, & umbra mortis, & vincula eorum disrupit.

15 Confiteantur Domino misericordia ejus, & mirabilia ejus filiis hominum.

16 Quia contrivit portas areas, & vectes ferreos confregit.

17 Suscepit eos de via iniquitatis eorum, propter injustitias enim suas humiliati sunt.

18 Omnem escam abominata est anima eorum, & appropinquaverunt usque ad portas mortis.

4 In solis, ubi per steriles furit æstus arenas,
Saltubus errabant, nec fessis ulla receptum
Urbs potuit, certamque loci permittere sedem.
5 Sic miseri, dum sæva fames, sitis enecat ardens,
Pendentem tenui retinebant stamine vitam.
6 Rebus at in duris urgens ubi suasit egestas
Implorare Deum, veniamque exposcere culpis,
Ille bonus mœstis exsolvit pectora curis,
7 Et recto duxit gradientes tramite ad urbem,
Quæ requies secura foret. 8 Clementia laudes
A cunctis divina ferat, benefactaque, genti
Quæ Deus humanæ largitur, mira canantur.
9 Fractos ille siti, esurieque salubribus escis
Erexit, multisque bonis cumulavit egentes:
10 Quosque obscura diu tenuere ergastula vinctos
Compedibus, rerumque inopes, mortisque propinquæ
Prostratos gelida formidine corda, 11 quod ausi
Numinis imperio, æternisque opponere se se
Consiliis, 12 hos, inquam, abjectos, atque labore
Attritos, ægrosque animi, auxiliumque petentes
Frustra hominum, 13 dum vota Deo fudere gementes,
Fluctibus eripuit curarum, 14 & ahenea frangens
Vincla, tenebrosi flentes in carceris antro,
Libertate data, eduxit. 15 Clementia laudes
A cunctis divina ferat, benefactaque, genti
Quæ Deus humanæ largitur, mira canantur.
16 Ære ille armatos fregit septemplice postes,
Nec potuere suæ ferrati obsistere vectes
Dexteræ; 17 ab obliquo scelerum quoque calle reduxit
Multos ad virtutis iter, sua propter ad imum
Crimina dejectos, 18 quibus uncas dura parabat

Mors

v. 11. *Hebr. Reluctati sunt sermonibus Domini.*

Mors inferre manus escam aversantibus omnem.
19 At dulcem afflictis, ubi primo ad sidera palmas
Cum gemitu extulerunt, miserans tulit ipse salutem.
20 Pallentes subitò morbi, luctusque dolorque
Illius ad nutum fugiunt. 21 Clementia laudes
A cunctis divina ferat, benefactaque, genti
Quæ Deus humanæ largitur, mira canantur.
22 Ad sua cum sacris omnes altaria donis
Accurrant læto celebrantes carmine numen.
23 Quicumque undisonum fragili trabe navigat æquor,
Intentus lucris vitæ discrimine tanto,
24 Huic se se objiciunt opera Omnipotentis ubique
Sparsa per Oceani tractus, & mira, Profundo
Quæ gerit in vasto, sæpe aspicit. 25 Ille ubi ventis
Imperat, erumpunt sibi quà data porta furentes,
Et pelago super incumbunt, nimbosque & opacam
Agglomerant noctem: 26 puppim modo tollit ad alta
Sidera fluctus aquæ, modo deprimit unda dehiscens
In barathrum: fassi gelidum pallore timorem,
Pectora dura licet, nautæ ingemuere, malisque
In tantis nullam fas est sperare salutem.
27 Instabili nutant gressu, velut ebria multo
Turba mero, furit imperiosius æquor, & omnes
Dejicit: in tantis ars deficit ipsa periclis.
28 Æquoris at domino simulac cœpere potenti
Ferre preces, supera auxilium miseratus ab arce
Attulit; 29 en tumidos submittunt cœrula fluctus,
Et venti rabiem ponunt; tranquilla per alta
Lenes

19 Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur, & de necessitatibus eorum liberavit eos.

20 Misit verbum suum, & sanavit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum.

21 Confiteantur Domino misericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum.

22 Et sacrificent sacrificium laudis, & annuntient opera ejus in exultatione.

23 Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis.

24 Ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia ejus in profundo.

25 Dixit, & stetit spiritus procellæ, & exaltati sunt fluctus ejus.

26 Ascendunt usque ad cœlos, & descendunt usque ad abyssos, anima eorum in malis tabescebat.

27 Turbati sunt, & moti sunt, sicut ebrius, & omnis sapientia eorum devorata est.

28 Et clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur, & de necessitatibus eorum eduxit eos.

29 Et statuit procellam ejus in auram, & siluerunt fluctus ejus.

30 Et laetati sunt quia siluerunt, & deduxit eos in portum voluntatis eorum.

31 Confiteantur Domino misericordiae ejus, & mirabilia ejus filiis hominum.

32 Et exaltent eum in ecclesia plebis, & in cathedra seniorum laudent eum.

33 Posuit flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim.

34. Terram fructiferam in salsuginem, a malitia inhabitantium in ea.

35 Posuit desertum in stagna aquarum, & terram sine aqua in exitus aquarum.

36 Et collocavit illic esurientes, & constituerunt civitatem habitationis.

37 Et seminaverunt agros, & plantaverunt vineas, & fecerunt fructum nativitatis

38 Et benedixit eis, & multiplicati sunt nimis, & jumenta eorum non minoravit.

39 Et pauci facti sunt, & vexati sunt a tribulatione malorum, & dolore.

40 Effusa est contemptio super principes, & errare fecit eos in invio, & non in via.

Lenes aspirant Zephyri: 30 volat aequore strato
Puppis, & ingenti resonant simul omnia plausu,
Optati portus dum plenis ostia velis
Incolumes tandem subeunt. 31 Clementia laudes
A cunctis divina ferat, benefactaque, genti
Quae Deus humanae largitur, mira canantur.
32 Illum in concilio populusque, patresque verendi
Carmine non humili celebrent, 33 cui tanta potestas,
Ut terras olim fluvialibus undique lymphis
Irriguas subitò deserta in squalida verti
Fecerit, arescensque solum; 34 & praedivite fruges
E gremio omnigenas quae terra ferebat, eandem
Ventorum vi pestifera, urentique pruina
(Nam simili meruit poena malus incola plecti)
Reddiderit sterilem; 35 ast idem stagnantibus undis
Arentem madefecit humum, fontesque perennes
Sparsit, 36 & haec inopi populo dedit arva tenenda,
Degeret ut positis securus in urbibus, 37 atque
Semina mandaret sulcis, vitesque novellas
Consereret, dulces proprio quae tempore fructus
Proferrent, 38 laetoque dedit fluere omnia cursu:
Jamque brevi innumera ditavit prole, novisque
Armenta, atque ovium foetus proventibus auxit.
39 Verum ubi per tortos vitiorum incedere calles
Incauto coepere gradu, moestissima laetis
Illico succedunt: populi vis maxima crebris
Cladibus atteritur, variisque exercita languet
Casibus, 40 excusso dum Principis imbecilli
Imperio, spretam dominis servire superbis
Cogit,

v. 37. *Hebr. Fructum proventus*, idest copiosè provenientem.

Cogit, & in steriles terras, domibusque negatas,
Apparent ubi nulla viæ vestigia, spargit.
41 Ast humilem erexit Deus, & miseratus egentem est,
Et multa vacuos hilaravit prole penates.
42 Hæc videt, exultatque bonus; gens impia mœsto
Muta metu stupet, invidiæque afflata veneno
Uritur; 43 at quibus exornat sapientia mentem
Ac pietas, memores alto sub corde revolvunt,
Inque bonos mitiquam sit Deus indole discunt.

41 Et adjuvit pauperem de inopia, & posuit sicut oves familias.

42 Videbunt recti, & lætabuntur, & omnis iniquitas oppilabit os suum.

43 Quis sapiens, & custodiet hæc, & intelliget misericordias Domini?

PSALMUS CVII.

Se promptum atque alacrem ad Dei laudes canendas esse dicit: deinde ejus numine illustratus agnoscit, se, protegente Deo, proximis infidelium regionibus propediem esse potiturum.

1 Jam sacris, Deus alme, calent mihi pectora flammis,
Jam vox in laudes est mihi prompta tuas.
Carmina læta tibi stat dicere; 2 adeste canenti
Vos mihi dulcisona nablia cum cithara.
Præveniam auroræ cantu jubar, atque volucrum
Dulce melos blando carmine præveniam.
3 Per cunctas tua facta canam immortalia gentes,
Seque meæ sonitus sparget ubique lyræ.
4 Namque tua æthereas bonitas supereminet arces,
Pervolat & tractus nubium ad usque fides.
5 6 Se tua per vastum majestas pandat Olympum,
Omnibus & terris conspicienda micet.
Nos tibi dilectam servet tua dextera gentem,
Quæque tibi ferimus suscipe vota libens.
Fallor? an intonuit vox Omnipotentis ab alto?
Haud fallor: nostra flectitur ipse prece.
7 Lætus ego potiar Sichimis, apricaque vallis
Partiar Isacidis prædia Sochoticæ.

O 8 Fe-

1 Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo, & psallam in gloria mea.

2 Exsurge gloria mea, exsurge psalterium, & cithara, exsurgam diluculo.

3 Confitebor tibi in populis Domine, & psallam tibi in nationibus.

4 Quia magna est super cælos misericordia tua, & usque ad nubes veritas tua.

5 Exaltare super cælos Deus, & super omnem terram gloria tua, ut liberentur dilecti tui.

6 Salvum fac dextera tua, & exaudi me, Deus locutus est in sancto suo.

7 Exultabo, & dividam Sichimam, & convallem tabernaculorum dimetiar.

v. 41. Hebr. *Erexit*, seu *sublevavit*.

8 *Meus est Galaad, & meus est Manasses, & Ephraim susceptio capitis mei.*

9 *Juda rex meus, Moab lebes spei meæ.*

10 *In Idumaeam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ amici facti sunt.*

11 *Quis deducet me in civitatem munitam? quis deducet me usque in Idumaeam?*

12 *Nonne tu Deus, qui repulisti nos, & non exibis, Deus, in virtutibus nostris?*

13 *Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis.*

14 *In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.*

8 Felices Galaad mihi sufficit ubere glebas,
Atque suas jungit terra Manassis opes.
Est nostri clypeus gens Ephraimitica regni,
9 Sustinet & solium Judæ animosa domus.
Se mihi subjiciet tellus dominata Moabo,
Fertilis & Syriæ serviet ora mihi.
10 Te quoque te sceptris adjungam dives Idume,
Atque Palæstinas victor adibo domos.
11 At me inter gladios, interque minantia tela
Quis sub Idumeæ mœnia gentis aget?
12 Nonne eris o Genitor tu sancte, ob crimina qui nos
Immiti fueras passus ab hoste capi,
Agminibus renuens populi, quum bella premebant,
Signifer, ut quondam, duxque præire tui?
13 At nunc affer opem fessis, Pater optime, rebus:
Fulta hominum auxilio nam male fida salus.
14 Te duce in adversos pugnabimus acriter hostes,
Iisciique prement impia colla pedes.

PSALMUS CVIII.

Psalmistæ oratio adversus hostium calumnias, odium, ac perfidiam. In eosdem hostes Diræ. Miserrimæ conditionis, ad quam devenit vates, descriptio. Divinam opem implorat, ac Dei laudes se assiduè celebraturum pollicetur.

1 *Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris, & os dolosi super me apertum est.*

2 *Locuti sunt adversum me lingua dolosa, & sermonibus odii circumdederunt me, & expugnaverunt me gratis.*

3 *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam.*

1 FOns meæ o laudis, Genitor, decusque
Unicum, haud ultra retices; meumque
Lingua ne afflatu, sine, pestilenti
Turpet honorem.
2 Namque me adversus referat dolosas
Sæva gens fauces, odiique plenas
Evomit voces, rabido immerentem
Dente fatigans.
3 Quos ego sanctè colui, haud pudebat
Hos meum passim lacerare nomen,
Pro quibus supplex tua sæpe adivi
Numina votis.

4 Qui

4 Qui mihi, multa ob benefacta, amico
Debuit nexu sociari, amaris
Urget hic probris, odioque nostrum
Pensat amorem.

5 Ferreo duri domitura sceptro
Vis ei incumbat domini; malusque
Ad latus dextrum sceleris repertor
Angelus adstet.

6 Judicis quum se rigidi ad tribunal
Sistet, amissa reus esto causa;
Nec prece inflectat, magis at precando
Reddat acerbum.

7 Mors eum præcox rapiat, suamque
Dignior sedem repleat magister;
8 Orba sit proles, viduumque servet
Sponsa cubile.

9 Sedibus per vim patriis abacti
Exteras nati fugiant in oras,
Atque cogantur miserum ostiatim
Quærere victum.

10 Siqua de gazis superant avitis
Lumine indaget bona fœnerator
Lynceo; & ignotus pretio laborum
Gaudeat heres.

11 Nemo in extremis posito periclis
Porrigat dextram, properaque rapto
Morte, ne quisquam sobolem parente
Sublevet orbam.

12 Quin genus totum pereat, nepotum
Secla ne surgant inhonora terris:
Germine in primo sit adempta pravæ
Stirpis origo.

13 Hunc sui noxas memor ob parentis
Urgeat pœnis Deus, atque matris
Impiæ nullo grave deleatur
Tempore crimen.

14 Gens sua æternas odio Tonantis
Præbeat causas, hominumque fastis
Excidat prorsus, memoranda nullo
Amplius ævo.

4 Et posuerunt adversum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.

5 Constitue super eum peccatorem, & diabolus stet a dextris ejus.

6 Cum judicatur, exeat condemnatus, & oratio ejus fiat in peccatum.

7 Fiant dies ejus pauci, & episcopatum ejus accipiat alter.

8 Fiant filii ejus orphani, & uxor ejus vidua.

9 Nutantes transferantur filii ejus, & mendicent, & ejiciantur de habitationibus suis.

10 Scrutetur fœnerator omnem substantiam ejus, & diripiant alieni labores ejus

11 Non sit illi adjutor, nec sit qui misereatur pupillis ejus.

12 Fiant nati ejus in interitum, in generatione una deleatur nomen ejus.

13 In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in conspectu Domini, & peccatum matris ejus non deleatur.

14 Fiant contra Dominum semper, & dispereat de terra memoria eorum, pro eo quod non est recordatus facere misericordiam.

Sic precor, tristes inopum quod aure
Reppulit dura gemitus, 15 & ægro
Addidit curas, inhians acerbo
Tradere letho.

15 Et persecutus est hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde mortificare.

16 Et dilexit maledictionem, & veniet ei, & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.

16 Ceteros illi velut execrandis
Dulce erat probris onerare, sic nunc
Jure in exosum caput execranda
Probra recurrant;
Utque dicendi bene cura pectus
Ferreum haud illi tenuit, vicissim
Nullus exoptet bona, nec precetur
Huic bene quisquam.

17 Et induit maledictionem, sicut vestimentum, & intravit sicut aqua in interiora ejus, & sicut oleum in ossibus ejus.

17 Sic graves curæ, trepidique corda
Permeent luctus, velut unda in ima
Viscera illabens, oleaginusque
Humor in ossa.

18 Fiat ei sicut vestimentum, quo operitur, & sicut zona, qua semper præcingitur.

18 His, ut oblonga chlamyde, involutus
Semper incedat, noviesque cingant;
Non secus renes sibi quæ recurvos
Zona revincit.

19 Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum, & qui loquuntur mala adversus animam meam.

19 Has Deo coram meritò rependant
Impii pœnas, quibus est voluptas
Clam meam obliquo maculare linguæ
Murmure famam.

20 Et tu Domine, Domine fac mecum propter nomen tuum, quia suavis est misericordia tua.

20 Me tua at dulcis, Pater alme, servet
Quæso inoffensum bonitas, ut omnes
Te plagæ mundi metuant, tuumque
Nomen adorent.

21 Libera me, quia egenus & pauper ego sum, & cor meum conturbatum est intra me.

21 Sis ab infestis mihi liberator
Hostibus; nam sum nimis æger, atque
Turbidis semper mea sauciantur
Pectora curis.

22 Sicut umbra cum declinat, ablatus sum, & excussus sum, sicut locustæ.

22 Sentio sic me solui, ut cadente
Sole vanescit levis umbra, & instar
Frondeis pulsæ domibus locustæ
Arva pererro.

23 Genua mea infirmata sunt a jejunio, & caro mea immutata est propter oleum.

23 Jam labant ægro mihi genva, longa
Dum fame corpus domito, meosque
Carne dilapsa macies peredit
Decolor artus.

24 Dum

V. 23. *Hebr. Extenuata est, & adipe caret.*

24 Dum vident, in quod mea sit redacta
Vita discrimen, mihi probra sævi
Ingerunt hostes, caput hac & illa
Parte moventes.

25 At tu opis largus mihi sis, beate
Cœlitum rector, facilisque serva,
26 Ut tuæ hæc noscant opus esse tantum
Verbera dextræ.

27 Nil ego Diris movear, malignæ
Hoc quibus linguæ caput obligabunt,
Dum tibi acceptum placido intueri
Lumine pergas.
Gaudio exultans ego plaudam; 28 at ora
Hostium offundet pudor, obteget que
Dedecus, talos velut ampla vestis
Deflua ad imos.

29 Tunc tibi, dextrá quatiens canorum
Barbiton, grates referam, tuasque
Inclytæ in cœtu celebrabo gentis
Carmine laudes.

30 Namque jactato mihi tot malorum
Fluctibus dexter Deus affuisti,
Ut foret per te mihi vita dito
Sospes ab hoste.

24 Et ego factus sum opprobrium illis, viderunt me, & moverunt capita sua.

25 Adjuva me, Domine Deus meus, salvum me fac secundum misericordiam tuam.

26 Et sciant, quia manus tua hæc, & tu Domine fecisti eam.

27 Maledicent illi, & tu benedices, qui insurgunt in me, confundantur, servus autem tuus lætabitur.

28 Induantur qui detrahunt mihi, pudore, & operiantur sicut diploide confusione sua.

29 Confitebor Domino nimis in ore meo, & in medio multorum laudabo eum.

30 Quia astitit a dextris pauperis, ut salvam faceret a persequentibus animam meam.

PSALMUS CIX.

Messias ad Patris dexteram sedens, cujus pedibus hostes ipsius subjiciuntur. Christi regnum gentes universas complectitur. Idem sacerdos est ex ordine Melchisedech. Judicii ejus severitas: vitæ genus laboriosum, & victoria.

1 FOEcundo Genitor mundum qui numine complet
Hæc Domino fuit ore profatus
Verba meo: „ proles hoc o dilecta Tonanti
„ In solio, quod clarius astris
„ Emicat, ad dextrum mihi te latus adjice, 2 donec
„ Cuncta tibi adversantia regna

1 Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis.

2 Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.

3 *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum.*

4 Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te.

5 *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.*

6 *Dominus a dextris tuis, confregit in die iræ suæ reges*

7 *Judicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum*

8 *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.*

„ Subjiciam, pedibusque tuis calcanda superbos
„ Colla hostes inflectere cogam.
3 „ Faxo, tua incipias ex alta ut sceptra Sione
„ In reliquas extendere gentes,
„ Utque suis etiam sævi in regionibus hostes
„ Te dantem sibi jura tremiscant.
4 „ Quæ lux ad templi te limina sistet ovantem,
„ Conspicuo celebrabit honore
„ Hanc tua gens, & multa tibi cadet hostia s roris
„ Tot guttis non gramina spargit
„ Ante diem rutilans Aurora, quot omnibus ad te
„ E terris te patre creati
„ Mortales venient". 5 Summi regnator Olympi
Juravit, sua numina testans,
Te fore, qui donec labentur tempora, ritu
Melchisedech sua sacra verendus
Antistes peragas. 6 Dextra de parte sedebit
Ille tibi, regesque scelestos
Percutiet, quum fræna gravi laxaverit iræ.
7 Gentes incorrupta per omnes
Jura dabit, cœloque duces capita alta ferentes
Sternet humi, loca cladibus implens
Omnia; 8 perque vias torrentis more cruor dum
Cæsorum fluet, ille superba
Exultans pompa sibi cinget splendida victor
Immortali tempora lauro.



PSAL-

v. 4. *Hebr. Populus tuus spontaneas hostias mactat in die victoria tua, in pulcritudine Sanctuarii: ex utero ros adolescentia tua uberior, quam Aurora.* Vel: *posteritas tua, ut ros ex utero Auroræ fluens.*

PSALMUS CX.

Dei amplitudinem, vires, justitiam, & veritatem commendat, divinorumque operum, ac nominis majestatem celebrat, initiumque sapientiæ timorem Domini esse docet. In hoc etiam Psalmo servatur Acrostychis continuata cum sequenti; Hebræi enim ex duobus unum faciunt Psalmum.

1 SEcreta seu me cum piis habeant loca,
Populi caterva plurimi
Seu cingat, unum rex Olympi maxime
Amore te fidissimo,
Præconiisque gratus usque prosequar.
2 Quanto stupori sunt mihi,
Cunctisque fida mente perscrutantibus
Tuæ opera cuncta dexteræ!
3 Quæcumque præstas pulcra sunt, & lumine
Fulgent perennis gloriæ.
Te, dum ferentur astra cœlo flammea,
Justi tenacem ac providum
Agnoscet Orbis. 4 Quot bonus miracula,
Quæ nulla delebit dies,
Pro gente nostra seculis prioribus
Patrasti, & escis quam tuos
Nutristi amicos dulcibus! 5 Non excident
Imis tibi de sensibus
Quæ cum vetustis patribus solemniter
Pactus fuisti fœdera:
Tuæque dextræ mira vis tunc agnita,
6 Quum regna subdens barbara
Pio dedisti possidenda cœtui
Hereditatis nomine.
Tu quidquid agis, est æquitatis regula,
Verique fonte profluit:
7 Decreta legis hinc tuæ haud labentia
Obliterabunt secula;
Innixa nam sunt veritatis cardine,
Rectoque consentanea.

1 Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in consilio justorum, & congregatione.

2 Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus.

3 Confessio & magnificentia opus ejus, & justitia ejus manet in seculum seculi.

4 Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.

5 Memor erit in seculum testamenti sui, virtutem operum suorum annuntiabit populo suo.

6 Ut det illis hereditatem gentium, opera manuum ejus veritas, & judicium.

7 Fidelia omnia mandata ejus, confirmata in seculum seculi, facta in veritate, & æquitate.

8 Redemptionem miſit populo ſuo, mandavit in æternum teſtamentum ſuum.

8 Quum liberaſti ſervitutis aſperæ
Jugo nepotes Iſaci,
Dona hæc futura poſterorum poſteris
Promiſeras perennia,
Jurata quondam pacta ſi parentibus
Servare fidi pergerent.

9 Sanctum & terribile nomen ejus, initium ſapientiæ timor Domini.

10 Intellectus bonus omnibus facientibus eum, laudatio ejus manet in ſeculum ſeculi.

9 Tui eſt verenda ſanctitudo nominis,
Eademque formidabilis:
Te qui timere didicit, hic verè ſapit,
10 Tuaſque leges ſedulò
Quicumque ſervat, mentis eſt acumine
Subtiliore præditus,
Serique tollent hunc nepotes inclytis
In aſtra cœli laudibus.

PSALMUS CXI

Qui timent Deum, maximè ſi in pauperes benefici ſint, a Deo divitiis prole, ſecuritate, fama, ac gloria cumulabuntur.

1 Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis.

1 Felix, qui ſuperûm Patri
Conſtanti obſequitur fide,
Divinamque recondidit
Alto pectore legem!

2 Potens in terra erit ſemen ejus, generatio rectorum benedicetur.

2 Hujus progenies erit
Dextra, conſilio potens;
Plenis dat manibus piæ
Numen munera proli.

3 Gloria, & divitiæ in domo ejus, & juſtitia ejus manet in ſeculum ſeculi.

3 In tectis opulentia
Non rerum deerit, neque
Ejus ſentiet æquitas
Ævi damna caduci.

4 Exortum eſt in tenebris lumen rectis, miſericors, & miſerator, & juſtus.

4 Si juſtum tenebræ premant,
Dux eſt in tenebris Deus,
Promiſſaque ſuos ope
Conſolatur amicos.

5 Jucundus homo qui miſeretur, & commodat, diſponet ſermones ſuos in judicio, quia in æternum non commovebitur.

5 Felix, qui miſerans mala
Paupertate, laboribus
Preſſos, erigit anxio
Solvens pectora luctu!

Qui-

Quique æquo moderamine
Sic vitam instituit catus,
Ut ne vocula ineptior
Elabatur ab ore.
6 Duris hic animum malis
Infractum geret, & boni
Famam nominis invida
Haud ævi imminuet vis.
Non livor temere pios
Arrodens, neque nuntia
Belli fama, nec aspera
Hunc terrebit egestas.
7 Firmum nam clypeum sibi,
Sortis sæva repellere
Aptum spicula, sufficit
Spes in numine fixa.
Si conjectus in ultima
Sit discrimina ab impio,
Non turbabitur, ast opem
Expectabit ab alto;
Donec vindice numine
Fractos denique viderit
Hostes, se incolumi, dare
Fuso sanguine pœnas.
8 Hic multum quòd egentibus,
Haud turpi immoriens lucro,
Plusque æquo accumulans suis,
Ultro impertiit aurum,
Virtutis meritum suæ
Cuncta in secula transferet,
Atque almo decorabitur
Veræ laudis honore.
9 Cernet talia lumine
Transverso malus, & truci
Consumptus rabie fremet,
Dentem dente premendo:
Noxæ at dira cupiditas
Nil tum proderit impio,
Et ridebitur impotens
Sævi pectoris ira.

6 In memoria æterna erit justus, ab auditione mala non timebit.

7 Paratum cor ejus sperare in Domino, confirmatum est cor ejus, non commovebitur, donec despiciat inimicos suos

8 Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in seculum seculi, cornu ejus exaltabitur in gloria.

9 Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet, desiderium peccatorum peribit.

PSAL-

PSALMUS CXII.

Hortatur ad hymnos canendos Deo, prædicans ejus potentiam, ac providentiam misericordiæ plenam. Constans est traditio, quod hunc & quinque qui sequuntur Psalmos Hebræi olim solemni ritu ipsa Paschatis nocte post Paschalis agni esum recitare consuevissent; qui idcirco ab eis Magnum Alelu-jah *nuncupabantur.*

1 Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini.

1 PUeri integelli, lacteis
In astra linguis arbitrum
Mundi potentem tollite,
Suasque ab annis primulis
Vulgare laudes discite.

2 Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc, & usque in seculum.

2 Sic nomen almi numinis
Per ora se mortalium
Diffundat, ut cum seculis
Immota stent præconia.

3 A solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Domini.

3 Oris ab Indis, aurea
Lux unde solis emicat
Ad usque litus ultimum
Seri Occidentis inclytum
Nomen moventis omnia
Rectoris immortalibus
Dignè efferatur laudibus.

4 Excelsus super omnes gentes Dominus, & super cœlos gloria ejus.

4 Assurgit ille gentibus
Longè universis altior,
Ejusque fulgens gloria
Metas Olympi præterit.

5 Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra?

5 O qui metalla, & stipites
Spectra in Deorum vertitis,
Nostro Deo quis, dicite,
Par, vel secundus? qui poli
Degens in arce flammea
Haud negligit mortalia
Curare; quique lumine
Solers acuto dispicit
Quidquid vel æther vividus,

Vel

Vel bruta tellus continet:
6 In infimo qui pauperem
Gradu jacentem sublevat,
7 Solio ut in alto judices
Inter verendos collocet;
8 Qui prole lætam plurimâ
Hanc reddit, insolabili
Dolore quæ mœstissimum
Transfixa pectus, dulcibus
Carebat ante filiis.

6 Suscitans a terra inopem, & de stercore erigens pauperem.
7 Ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.
8 Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem.

PSALMUS CXIII.

Recolit Dei miracula Israelem ex Ægypto educentis. Deinde eum precatur, ut suam gloriam asserat, quòd cæterarum gentium Dii vana sint simulacra; ipse verò sit piorum columen, ac validissimus protector. Apud Hebræos hic Psalmus in duos scinditur: prior ad vers. 8. desinit; secundus a vers. 9. incipit. Hæc tamen divisio minimè necessaria.

1 Quum magni Isacidæ soboles, quam sæva nefando
Oppressit gens servitio, jam libera tandem
Egressa est Phariis e finibus, 2 ipse regendum
Hunc sibi suscepit populum Deus, & sibi puris
Ritibus addixit Judæ genus: inclyta regni
Heic sedes erecta sui, rerumque potestas.
3 Vidit Erythræi numen maris unda, tremensque
Diffidit attonitos fluctus; jussusque repente
In fontem Jordanis aquas, mirabile visu!
Rettulit, antiquos tentans dediscere cursus.
4 Cernere erat celsos concusso vertice montes
Circumquaque ima tremere ab radice, recenti
Gramine ceu pastus caper exilit, utque tenelli
Luxuriant ovium per prata virentia fœtus.
5 Quid tibi, ut attonitum fugeres, tunc accidit æquor,
Inque tuum quis te jussit convertere fontem
Cæ-

1 In exitu Israel de Ægypto, domus Jacob de populo barbaro.
2 Facta est Judæa sanctificatio ejus, Israel potestas ejus.
3 Mare vidit, & fugit, Jordanis conversus est retrorsum.
4 Montes exultaverunt ut arietes, & colles sicut agni ovium.
5 Quid est tibi mare, quod fugisti, & tu Jordanis, quia conversus es retrorsum?

15 Et persecutus est hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde mortificare.

Sic precor, tristes inopum quod aure
Reppulit dura gemitus, 15 & ægro
Addidit curas, inhians acerbo
Tradere letho.

16 Et dilexit maledictionem, & veniet ei, & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.

16 Ceteros illi velut execrandis
Dulce erat probris onerare, sic nunc
Jure in exosum caput execranda
Probra recurrant;
Utque dicendi bene cura pectus
Ferreum haud illi tenuit, vicissim
Nullus exoptet bona, nec precetur
Huic bene quisquam.

17 Et induit maledictionem, sicut vestimentum, & intravit sicut aqua in interiora ejus, & sicut oleum in ossibus ejus.

17 Sic graves curæ, trepidique corda
Permeent luctus, velut unda in ima
Viscera illabens, oleaginusque
Humor in ossa.

18 Fiat ei sicut vestimentum, quo operitur, & sicut zona, qua semper præcingitur.

18 His, ut oblonga chlamyde, involutus
Semper incedat, noviesque cingant;
Non secus renes sibi quæ recurvos
Zona revincit.

19 Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum, & qui loquuntur mala adversus animam meam.

19 Has Deo coram meritò rependant
Impii pœnas, quibus est voluptas
Clam meam obliquo maculare linguæ
Murmure famam.

20 Et tu Domine, Domine fac mecum propter nomen tuum, quia suavis est misericordia tua.

20 Me tua at dulcis, Pater alme, servet
Quæso inoffensum bonitas, ut omnes
Te plagæ mundi metuant, tuumque
Nomen adorent.

21 Libera me, quia egenus & pauper ego sum, & cor meum conturbatum est intra me.

21 Sis ab infestis mihi liberator
Hostibus; nam sum nimis æger, atque
Turbidis semper mea sauciantur
Pectora curis.

22 Sicut umbra cum declinat, ablatus sum, & excussus sum, sicut locusta.

22 Sentio sic me folui, ut cadente
Sole vanescit levis umbra, & instar
Frondeis pulsæ domibus locustæ
Arva pererro.

23 Genua mea infirmata sunt a jejunio, & caro mea immutata est propter oleum.

23 Jam labant ægro mihi genva, longa
Dum fame corpus domito, meosque
Carne dilapsa macies peredit
Decolor artus.

24 Dum

V. 23. Hebr. Extenuata est, & adipe caro.

24 Dum vident, in quod mea sit redacta
Vita discrimen, mihi probra sævi
Ingerunt hostes, caput hac & illa
Parte moventes.

25 At tu opis largus mihi sis, beate
Cœlitum rector, facilisque serva,
26 Ut tuæ hæc noscant opus esse tantum
Verbera dextræ.

27 Nil ego Diris movear, malignæ
Hoc quibus linguæ caput obligabunt,
Dum tibi acceptum placido intueri
Lumine pergas.

Gaudio exultans ego plaudam; 28 at ora
Hostium offundet pudor, obtegetque
Dedecus, talos velut ampla vestis
Deflua ad imos.

29 Tunc tibi, dextrâ quatiens canorum
Barbiton, grates referam, tuasque
Inclytæ in cœtu celebrabo gentis
Carmine laudes.

30 Namque jactato mihi tot malorum
Fluctibus dexter Deus affuisti,
Ut foret per te mihi vita diro
Sospes ab hoste.

24 Et ego factus sum opprobrium illis, viderunt me, & moverunt capita sua.

25 Adjuva me, Domine Deus meus, salvum me fac secundum misericordiam tuam.

26 Et sciant, quia manus tua hæc, & tu Domine fecisti eam.

27 Maledicent illi, & tu benedices, qui insurgunt in me, confundantur, servus autem tuus lætabitur.

28 Induantur qui detrahunt mihi, pudore, & operiantur sicut diploide confusione sua.

29 Confitebor Domino nimis in ore meo, & in medio multorum laudabo eum.

30 Quia astitit a dextris pauperis, ut salvam faceret a persequentibus animam meam.

PSALMUS CIX.

Messias ad Patris dexteram sedens, cujus pedibus hostes ipsius subjiciuntur. Christi regnum gentes universas complectitur. Idem sacerdos est ex ordine Melchisedech. Judicii ejus severitas: vitæ genus laboriosum, & victoria.

1 FOEcundo Genitor mundum qui numine complet
Hæc Domino fuit ore profatus
Verba meo: „ proles hoc o dilecta Tonanti
„ In solio, quod clarius astris
„ Emicat, ad dextrum mihi te latus adjice, 2 donec
„ Cuncta tibi adversantia regna
„ Subji-

1 Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis.

2 Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.

" Subjiciam, pedibusque tuis calcanda superbos
" Colla hostes inflectere cogam.

3 *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum.*

3 " Faxo, tua incipias ex alta ut sceptra Sione
" In reliquas extendere gentes,
" Utque suis etiam sævi in regionibus hostes
" Te dantem sibi jura tremiscant.

4 Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te.

4 " Quæ lux ad templi te limina sistet ovantem,
" Conspicuo celebrabit honore
" Hanc tua gens, & multa tibi cadet hostia s
roris
" Tot guttis non gramina spargit
" Ante diem rutilans Aurora, quot omnibus
ad te
" E terris te patre creati
" Mortales venient ".

5 *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.*

5 Summi regnator Olympi
Juravit, sua numina testans,
Te fore, qui donec labentur tempora, ritu
Melchisedech sua sacra verendus
Antistes peragas.

6 *Dominus a dextris tuis, confregit in die iræ suæ reges*

6 Dextra de parte sedebit
Ille tibi, regesque scelestos
Percutiet, quum fræna gravi laxaverit iræ.

7 *Judicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum*

7 Gentes incorrupta per omnes
Jura dabit, cœloque duces capita alta ferentes
Sternet humi, loca cladibus implens
Omnia;

8 *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.*

8 perque vias torrentis more cruor dum
Cæsorum fluet, ille superba
Exultans pompa sibi cinget splendida victor
Immortali tempora lauro.



PSAL-

v. 4. *Hebr. Populus tuus spontaneas hostias mactat in die victoria tua, in pulcritudine Sanctuarii: ex utero ros adolescentia tua uberior, quam Aurora.* Vel: *posteritas tua, ut ros ex utero Auroræ fluens.*

PSALMUS CX.

Dei amplitudinem, vires, justitiam, & veritatem commendat, divinorumque operum, ac nominis majestatem celebrat, initiumque sapientiæ timorem Domini esse docet. In hoc etiam Psalmo servatur Acrostychis continuata cum sequenti; Hebræi enim ex duobus unum faciunt Psalmum.

1 Secreta seu me cum piis habeant loca,
Populi caterva plurimi
Seu cingat, unum rex Olympi maxime
Amore te fidissimo,
Præconiisque gratus usque prosequar.
2 Quanto stupori sunt mihi,
Cunctisque fida mente perscrutantibus
Tuæ opera cuncta dexteræ!
3 Quæcumque præstas pulcra sunt, & lumine
Fulgent perennis gloriæ.
Te, dum ferentur astra cœlo flammea,
Justi tenacem ac providum
Agnoscet Orbis. 4 Quot bonus miracula,
Quæ nulla delebit dies,
Pro gente nostra seculis prioribus
Patrasti, & escis quam tuos
Nutristi amicos dulcibus! 5 Non excident
Imis tibi de sensibus
Quæ cum vetustis patribus solemniter
Pactus fuisti fœdera;
Tuæque dextræ mira vis tunc agnita,
6 Quum regna subdens barbara
Pio dedisti possidenda cœtui
Hereditatis nomine.
Tu quidquid agis, est æquitatis regula,
Verique fonte profluit:
7 Decreta legis hinc tuæ haud labentia
Obliterabunt secula;
Innixa nam sunt veritatis cardine,
Rectoque consentanea.

1 Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in consilio justorum, & congregatione.

2 Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus.

3 Confessio & magnificentia opus ejus, & justitia ejus manet in seculum seculi.

4 Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors, & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.

5 Memor erit in seculum testamenti sui, virtutem operum suorum annuntiabit populo suo.

6 Ut det illis hereditatem gentium, opera manuum ejus veritas, & judicium.

7 Fidelia omnia mandata ejus, confirmata in seculum seculi, facta in veritate, & æquitate.

8 Redemptionem misit populo suo, mandavit in aeternum testamentum suum.

8 Quum liberasti servitutis asperæ
Jugo nepotes Isaci,
Dona hæc futura posterorum posteris
Promiseras perennia,
Jurata quondam pacta si parentibus
Servare fidi pergerent.

9 Sanctum & terribile nomen ejus, initium sapientiæ timor Domini.

9 Tui est verenda sanctitudo nominis,
Eademque formidabilis:
Te qui timere didicit, hic verè sapit,

10 Intellectus bonus omnibus facientibus eum, laudatio ejus manet in seculum seculi.

10 Tuasque leges sedulò
Quicumque servat, mentis est acumine
Subtiliore præditus,
Serique tollent hunc nepotes inclytis
In astra cœli laudibus.

PSALMUS CXI

Qui timent Deum, maximè si in pauperes benefici sint, a Deo divitiis prole, securitate, fama, ac gloria cumulabuntur.

1 Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis.

1 Felix, qui superûm Patri
Constanti obsequitur fide,
Divinamque recondidit
Alto pectore legem!

2 Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicetur.

2 Hujus progenies erit
Dextra, consilio potens;
Plenis dat manibus piæ
Numen munera proli.

3 Gloria, & divitiæ in domo ejus, & justitia ejus manet in seculum seculi.

3 In tectis opulentia
Non rerum deerit, neque
Ejus sentiet æquitas
Ævi damna caduci.

4 Exortum est in tenebris lumen rectis, misericors, & miserator, & justus.

4 Si justum tenebræ premant,
Dux est in tenebris Deus,
Promissaque suos ope
Consolatur amicos.

5 Jucundus homo qui miseretur, & commodat, disponet sermones suos in judicio, quia in aeternum non commovebitur.

5 Felix, qui miserans mala
Paupertate, laboribus
Pressos, erigit anxio
Solvens pectora luctu!

Qui-

Quique æquo moderamine
Sic vitam instituit catus,
Ut ne vocula ineptior
Elabatur ab ore.
6 Duris hic animum malis
Infractum geret, & boni
Famam nominis invida
Haud ævi imminuet vis.
Non livor temere pios
Arrodens, neque nuntia
Belli fama, nec aspera
Hunc terrebit egestas.
7 Firmum nam clypeum sibi,
Sortis sæva repellere
Apium spicula, sufficit
Spes in numine fixa.
Si conjectus in ultima
Sit discrimina ab impio,
Non turbabitur, ast opem
Expectabit ab alto;
Donec vindice numine
Fractos denique viderit
Hostes, se incolumi, dare
Fuso sanguine pœnas.
8 Hic multum quòd egentibus,
Haud turpi immoriens lucro,
Plusque æquo accumulans suis,
Ultro impertiit aurum,
Virtutis meritum suæ
Cuncta in secula transferet,
Atque almo decorabitur
Veræ laudis honore.
9 Cernet talia lumine
Transverso malus, & truci
Consumptus rabie fremet,
Dentem dente premendo:
Noxæ at dira cupiditas
Nil tum proderit impio,
Et ridebitur impotens
Sævi pectoris ira.

6 In memoria æterna erit justus, ab auditione mala non timebit.

7 Paratum cor ejus sperare in Domino, confirmatum est cor ejus, non commovebitur, donec despiciat inimicos suos

8 Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in seculum seculi, cornu ejus exaltabitur in gloria.

9 Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet, desiderium peccatorum peribit.

PSALMUS CXII.

Hortatur ad hymnos canendos Deo, prædicans ejus potentiam, ac providentiam misericordiæ plenam. Constans est traditio, quod hunc & quinque qui sequuntur Psalmos Hebræi olim solemni ritu ipsa Paschatis nocte post Paschalis agni esum recitare consuevissent; qui idcirco ab eis Magnum Alelu-jah *nuncupabantur.*

1 Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini.

1 PUeri integelli, lacteis
In astra linguis arbitrum
Mundi potentem tollite,
Suasque ab annis primulis
Vulgare laudes discite.

2 Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc, & usque in seculum.

2 Sic nomen almi numinis
Per ora se mortalium
Diffundat, ut cum seculis
Immota stent præconia.

3 A solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Domini.

3 Oris ab Indis, aurea
Lux unde solis emicat
Ad usque litus ultimum
Seri Occidentis inclytum
Nomen moventis omnia
Rectoris immortalibus
Dignè efferatur laudibus.

4 Excelsus super omnes gentes Dominus, & super cœlos gloria ejus.

4 Assurgit ille gentibus
Longè universis altior,
Ejusque fulgens gloria
Metas Olympi præterit.

5 Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra?

5 O qui metalla, & stipites
Spectra in Deorum verticis,
Nostro Deo quis, dicite,
Par, vel secundus? qui poli
Degens in arce flammea
Haud negligit mortalia
Curare; quique lumine
Solers acuto dispicit
Quidquid vel æther vividus,

Vel

Vel bruta tellus continet:
6 In infimo qui pauperem
Gradu jacentem sublevat,
7 Solio ut in alto judices
Inter verendos collocet;
8 Qui prole lætam plurimâ
Hanc reddit, insolabili
Dolore quæ mœstissimum
Transfixa pectus, dulcibus
Carebat ante filiis.

6 Suscitans a terra inopem, & de stercore erigens pauperem.
7 Ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui.
8 Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem.

PSALMUS CXIII.

Recolit Dei miracula Israelem ex Ægypto educentis. Deinde eum precatur, ut suam gloriam asserat, quòd ceterarum gentium Dii vana sint simulacra; ipse verò sit piorum columen, ac validissimus protector. Apud Hebræos hic Psalmus in duos scinditur: prior ad vers. 8. desinit; secundus a vers. 9. incipit. Hac tamen divisio minimè necessaria.

1 QUum magni Isacidæ soboles, quam sæva nefando
Oppressit gens servitio, jam libera tandem
Egressa est Phariis e finibus, 2 ipse regendum
Hunc sibi suscepit populum Deus, & sibi puris
Ritibus addixit Judæ genus: inclyta regni
Heic sedes erecta sui, rerumque potestas.
3 Vidit Erythræi numen maris unda, tremensque
Diffidit attonitos fluctus; jussusque repente
In fontem Jordanis aquas, mirabile visu!
Rettulit, antiquos tentans dediscere cursus.
4 Cernere erat celsos concusso vertice montes
Circumquaque ima tremere ab radice, recenti
Gramine ceu pastus caper exilit, utque tenelli
Luxuriant ovium per prata virentia fœtus.
5 Quid tibi, ut attonitum fugeres, tunc accidit æquor,
Inque tuum quis te jussit convertere fontem
Cæ-

1 In exitu Israel de Ægypto, domus Jacob de populo barbaro.
2 Facta est Judæa sanctificatio ejus, Israel potestas ejus.
3 Mare vidit, & fugit, Jordanis conversus est retrorsum.
4 Montes exultaverunt ut arietes, & colles sicut agni ovium.
5 Quid est tibi mare, quod fugisti, & tu Jordanis, quia conversus es retrorsum?

6 Montes exultastis sicut arietes, & colles sicut agni ovium.

Cæruleas, Jordanis, aquas? 6 Age, dicite montes
Nubiferi, ecquænam vos improvisa coegit
Saltibus agnorum similes vis edere motus?

7 A facie Domini mota est terra, a facie Dei Jacob.

7 Scilicet hæc Deus, Isacidum Deus alta patravit
Prodigia; & præsente illo conterrita tellus
Intremuit: montes illi, vastumque Profundum,
Agmine & undarum retroacto paruit amnis.

8 Qui convertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.

9 Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

8 Ille siti Isacidum per inhospita saxa vagantum
Consuluit, duris liquidas e cautibus undas
Eliciens. 9 Tot mira tibi, Deus optime, soli
Facta tulere decus: nil virtus arrogat inde
Nostra sibi, nomenque tuum immortale manebit.

10 Super misericordia tua, & veritate tua, nequando dicant gentes, ubi est Deus eorum?

10 Ah! nunc in tantis positos ne linque periclis,
Sed facilis, Verique tenax succurre, secundis
Ne nimium elatæ rebus nos talibus ausint
„ Vestet ubi Deus est "? dictis illudere gentes.

11 Deus autem noster in cœlo, omnia quæcumque voluit, fecit.

12 Simulacra gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum.

11 Incolere æternas nos porro hunc ætheris arces
Credimus, unde suo sapiens quæcumque creavit
Temperat arbitrio: 12 sed quos & thure Sabæo
Et precibus gentes venerantur, conflat ab auro,
Argentoque Deos humanæ industria dextræ.

13 Os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt.

14 Aures habent, & non audient, nares habent, & non odorabunt.

15 Manus habent, & non palpabunt, pedes habent, & non ambulabunt, non clamabunt in gutture suo.

16 Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.

13 Vocis egens os est, sine visu lumina, 14 nullos
Apta auris sentire sonos, neque naris odores:
15 Tangere non manibus, pedibus non figere gressus
Ars dedit, obstructoque nequit vox ire per auras
Gutture. 16 Dîs similis vecors fit talibus ille,
Signa hæc indecori qui dextra excudit, opifve
Hinc expectatæ quos spes male credula pascit.

17 Domus Israel speravit in Domino, adjutor eorum, & protector eorum est.

17 At Patris Isacidæ soboles, quæ sperat in almo
Numine, sensit opem rebus sibi semper in arctis;

18 Domus Aaron speravit in Domino, adjutor eorum, & protector eorum est.

18 Quæque Deum colit Aronis gens sancta, potentem

Inde

Inde sibi est clypeum toties experta salutis.
19 Omnes ille pios parili amplexatus amore
Suscipiet; 20 nosque ultro bonis ingentibus auxit.
21 His sobolem Isacidæ, sobolemque Aronis, 22 & omnes,
Quorum animis suus hæret amor, juvenesque senesque
Replevit. 23 24 Vobis precor o! nova munera, justi,
Et vestræ pergat dare proli maximus ille
Terrarum, cœlique opifex, 25 stellantis Olympi
Qui templa in propriam legit sibi lucida sedem,
Quique dedit terram mortalibus. 26 O! tua nobis
Adsit cura, Deus; nam quos mors atrâ silentem
Compulit in noctem, non te celebrare valebunt:
27 Nos, vitæ dulci fruimur qui munere, laude
Perpetua te more patrum tollemus in astra.

19 Qui timent Dominum, speraverunt in Domino, adjutor eorum, & protector eorum est.
20 Dominus memor fuit nostri, & benedixit nobis.
21 Benedixit domui Israel, benedixit domui Aaron.
22 Benedixit omnibus, qui timent Dominum, pusillis cum majoribus.
23 Adjiciat Dominus super vos, super vos, & super filios vestros.
24 Benedicti vos a Domino, qui fecit cœlum & terram.
25 Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum.
26 Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes, qui descendunt in infernum.
27 Sed nos qui vivimus, benedicimus Domino, ex hoc nunc, & usque in seculum.

PSALMUS CXIV.

Carmen est Eucharisticum ob solutam captivitatem, ejusdemque argumenti cum Psalmo proximè sequenti, cui ab Hebræis adnectitur absque ulla divisione.

1 SÆva me Libycis leæna in agris,
Hyrcana aut tigris edidisset, unus
Amor tu mihi ni, Deus, fuisses,
Et ni semper eris futurus idem.
2 Tu meis facilem admoves querelis
Aurem, vix prece supplice invocatus.
Hinc te rite colam, meisque donec
Vitalis calor ossibus manebit,
Unum te in miseris vocabo rebus.
3 Jam mors horrifico severa vultu
Instabat mihi: jam niger profundis

1 Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ.
2 Quia inclinavit aurem suam mihi, & in diebus meis invocabo.
3 Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me.

Fauci-

4 Tribulationem & dolorem inveni, & nomen Domini invocavi.

5 O Domine libera animam meam, misericors Dominus, & justus, & Deus noster miseretur.

6 Custodiens parvulos Dominus, humiliatus sum, & liberavit me.

7 Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.

8 Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu.

9 Placebo Domino in regione vivorum.

Faucibus prope me vorabat Orcus;
4 Quum tot luctibus obrutus, malisque
Hæc dixi: 5 „ affer opem, Parens, amicam
„ Tantis ocius affer in periclis:
„ Tu largus veniæ, bonusque & æquus,
„ Quo nil lenius est, suaviusque.
6 O vis mira precum! Ultor indigentis
Nudum præsidio, miserrimumque
Me sævæ eripuit Deus procellæ.
7 Mens ergo tibi restituta luctus
Priores cohibe, bonisque gaude,
Quæ manu tribuit Pater benigna.
8 Ille ab limine mortis hoc reduxit
Ad vitam caput, humidumque largis
Os tersit lacrymis, pedesque gressu
Firmavit stabili. 9 Hunc ego, mihi dum
Erit vita comes, canam: huic placere
Uni moribus integris studebo.

PSALMUS CXV.

Pergit gratias agere Deo, cujus ope liberatus fuit, cique sacrificia se oblaturum promittit.

1 Credidi, propter quod locutus sum, ego autem humiliatus sum nimis.

2 Ego dixi in excessu meo, *omnis homo mendax.*

3 Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi?

4 Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.

1 Quum me malorum densa cingeret cohors,
Stuporque mentem commoveret anxiam,
2 Mecum loquebar: certa non usquam fides,
Dolisque plena cuncta sunt mortalium.
Tu fraudis expers unus es, tu reddere
Promissa fidus, orbis alme conditor.
3 Bonis tot ergo a te auctus, ecquas reddere
Tibi valebo gratias? 4 Convivium
Lautum apparabo, sobrioque gestiam
Inter sodales gaudio, fidissime

Te

v. 2. *Hebr. Ego dixi in trepidatione mea*, seu *in præcipitatione mea*, vel ut Aquila vertit: *Ego dixi, dum obstupescerem*, vel ut Symmachus: *Ego dixi, quum angerer*: quæ omnia pavorem, mentisque anxietatem significant.

Te liberator invocans: 5 tibi hostias
Voto obligatas more cædam patrio
Tuæ in corona gentis innumerabili.
Vitam tueris tu piorum, nec finis,
Impune letho dedat ut gens impia.
6 Tu dedicatum tibi, Deus, me servulum,
Tuæque famulæ filium 7 teterrimæ
Jugo eruisti servitutis; te sacra
Hinc laude gratus efferam, & supplex tuum
Vocabo dubiis nomen in periculis.
8 Quum civitati redditus sanctissimæ
Templi sub atrium pedem intulero tui,
Heic nuncupata tibi offeram libamina,
Heic cuncta lætis personabunt cantibus.

5 Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus, pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

6 O Domine, quia ego servus tuus, ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ.

7 Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini invocabo.

8 Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus, in atriis domus Domini, in medio tui Jerusalem.

PSALMUS CXVI.

Omnes gentes ad laudandum Deum invitat ob exhibitam salutem populo suo.

1 QUotquot Eoos, Occiduosque
Colitis tractus carmine laudes
Ætheris almo regi, hominumque
Dicite gentes; 2 nam sua ab alto
Axe refulsit pietas in nos:
En bonus, olim quæ promisit,
Omnia præstat: ante soluta prius cuncto
cardine Compage fractus corruet Orbis,
In nihilumque cuncta redibunt,
Quam sua possint dicta abolere
Invida cursu secla fugaci.

1 Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi.

2 Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, & veritas Domini manet in æternum.

PSAL-

v. 5. *Hebr. Vita*; quasi dicat. Tanti suos facit, vel tam cara est ipsi suorum vita, ut non facilè eos ab impiis necari sinat. Hæc est genuina hujus loci sententia.

PSALMUS CXVII.

Epinicion illustris planè, ac magnifici argumenti. Primùm enim a Psalmista describuntur pericula, quæ sibi occurrerunt, deinde prodigiosa evadendi ratio. Omnes Israelitarum ordines, omnesque gentes Deum timentes vocat, ut ad colendam ejus manum confluant; qui & opem populo tulit, & victoriam largitus est. Plerique scriptum a Davide arbitrantur in gratiarum actionem, postquam necato Isbosetho ipse totius Israelis rex creatus est, profligatisque Philistæis arcam fœderis Hierosolymam jussit afferri. Hæc sententia optimis innititur fundamentis; quum enim David Christi figura fuerit, totus hic Psalmus Christi vitæ, morti, ac resurrectioni, gentiumque vocationi optimè congruit. Dialogi, aut fabulæ artificio elaboratus est; primùm enim ipse auctor personam agit, deinde Levitæ, tum populus, ac demum Psalmista, ut per se facilè quisque animadvertet.

1 Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus.
2 Dicat nunc Israel, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus.
3 Dicat nunc domus Aaron, quoniam in seculum misericordia ejus.
4 Dicant nunc qui timent Dominum, quoniam in seculum misericordia ejus.
5 De tribulatione invocavi Dominum, & exaudivit me in latitudine Dominus.
6 Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo.
7 Dominus mihi adjutor, & ego despiciam inimicos meos.
8 Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine.

1 QUi cuncta certis legibus ordinat,
Rerum Parenti carmina dicite,
Nam lenitas ejus futuras
Perpetuò in soboles manebit.
2 3 Illum vetusto sanguine ab Isaci
Gens, & propago dicite Aronia,
4 Omnesque, qui numen perenni
Diligitis bonitate clarum.
5 Sua invocantem numina in asperis
Parens benignus casibus audiit,
Viaque me gressus ferentem
Difficili in loca tuta duxit.
6 7 Mihi ille custos adsit, ahenea
Nullum phalanges incutient metum,
Non vis; at oppressos ruina
Aspiciam inviolatus hostes.
8 Suam opperiri præstat opem, viris
Quam se tuendum tradere fortibus,

9 Et

9 Et vindice hoc uti salutis
Tutius est, quam opibus, vel armis
Regum timendorum, ac Procerum tegi:
10 11 Quæ vis propinquis excita ab urbibus
In me ruebat, quam favente
Rege mihi superûm fugavi!
Magno me adorta obsederat impete,
Prostrata at illo vindice concidit;
12 Tantoque inardescens furore,
Quantus apes agitat, venenum
Quum triste figunt morsibus, impia
Cohors fremebat; numinis ocius
Ast ira fregit, ceu vepreta
Deficiunt populante flamma.
13 Frustra malarum callidus artium
Tentavit hostis, præcipitem ut daret:
Nam fulsit extemplo labantem
Me manus omnipotens Tonantis.
14 Mei ille virtus pectoris unica
Est, & canori gloria barbiti,
Sævisque circumquaque septum
Me bonus eripuit periclis.
15 Ædes piorum plausibus insonent
Partæ ob salutis munera, 16 & agmina
Hostilis extirpata turbæ
Numinis armipotente dextra.
17 Non ergo vitæ mors mihi stamina
Abrumpet, hostis vota quod impii
Fuere; at in terris morabor,
Facta Dei ut memoranda dulci
Ubique vulgem carmine, 18 tristibus
Qui si merentem non semel ictibus
Afflixit; at mortis subire
Me vetuit tenebrosa regna.
19 Augusta templi pandite limina,
Vos o ministri numinis, unicè

v. 12. *Hebr. Extincti sunt*, seu *defecerunt*.
v. 14. *Hebr. Cantus, musica mea* propriè. Hic integer versiculus desumptus est e triumphali Moysis cantico.

9 *Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus.*

10 *Omnes gentes circuierunt me, & in nomine Domini, quia ultus sum in eos.*
11 *Circumdantes circumdederunt me, & in nomine Domini quia ultus sum in eos.*
12 *Circumdederunt me sicut apes, &* exarserunt *sicut ignis in spinis, & in nomine Domini, quia ultus sum in eos.*

13 *Impulsus eversus sum ut caderem, & Dominus suscepit me.*

14 *Fortitudo mea, &* laus mea *Dominus, & factus est mihi in salutem.*

15 *Vox exultationis & salutis, in tabernaculis justorum.*
16 *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me, dextera Domini fecit virtutem.*
17 *Non moriar, sed vivam, & narrabo opera Domini.*

18 *Castigans castigavit me Dominus, & morti non tradidit me.*

19 *Aperite mihi portas justitiæ, ingressus in eas confitebor Domino, hæc porta Domini, justi intrabunt in eam*

Terenda quæ gressu piorum
Religio veneranda sanxit.

20 Heic magne rerum te Genitor canam,
Votiva ad aras munera deferens;
Nam mitis audisti precantem,
Incolumi capite atque regno.

21 En ille tandem, quem fabricantium
Rejecit olim dextra, ut inutilem,
Lapis probatur; jamque in alta
Parte nitens utrinque jungit,
Pulcher videri, parietis angulum!

22 Manus patravit numinis inclyta
Tam grande factum, quo tuentum
Attonitæ stupuere mentes.

23 Hac sanctiorem nunquam aliàs diem
Lucere numen jussit: in omnium
Sincera se pectus voluptas
Insinuet, celebretque læto
Urbs tota plausu sic niveum diem.

24 O semper adsis, sancte Parens, Tuis,
Regemque serves, exituque
Propitio bene cœpta claudas.
Ter ille felix & quater, auspice
Cœlo, salutem qui populo venit
Afferre! 25 Nos, sacrum Tonantis
Quos recipit penetrale, vobis
Cuncta adprecamur prospera: jam Deus,
Corusca nutu qui revolubilis
Cœli astra, terrarumque tractus
Temperat, undisonumque pontum,
Jam nos beato lumine desuper
Perfudit. 26 Eja hunc, eja alacres diem
Mecum celebrate, & virenti
Fronde sacram decoremus aram.

27 Deum fatebor te, & dominum mihi,
28 Sensuque amoris mens colet intimo,

Qui

20 Confitebor tibi, quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem.

21 Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.

22 A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.

23 Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea.

24 O Domine, salvum me fac, o Domine bene prosperare, benedictus qui venit in nomine Domini.

25 Benediximus vobis de domo Domini, Deus Dominus, & illuxit nobis.

26 Constituite diem solemnem in condensis, usque ad cornu altaris.

27 Deus meus es tu, & confitebor tibi, Deus meus es tu; & exaltabo te.

*28 * Confitebor tibi, quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem.*

* *Etsi hic versus non habeatur in Hebræo, Chaldæo ac Syro, solosque apud 70. interpretes, ac versiones ex iis adornatas legatur; non tamen incommodè repetitur e versu 20. ut gratiarum actio sit ardentior. Benesi.*

Qui supplici motus querela
Tristibus incolumem procellis
Eduxti: 29 at unà vos quoque laudibus
Efferte magnis, Isacidæ, Deum;
Nam mitis in cunctos bonusque est,
Nec pietas sua deerit unquam.

29 Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus.

PSALMUS CXVIII.

Hic Psalmus quo prolixior, eo præstantior est, ut Muisii verbis utar: mirificam enim auctoris sui, quicumque ille est, eloquentiam ostendit, qui tam multis, tamque variis dicendi formulis orationis suæ argumentum edisseruit, divinaque legis magnificentissimum encomium sententiis nunquam languentibus uberrimè contexuit. Divus Augustinus in proemio in hunc Psalmum hæc ait: „ quanto videtur apertior, tanto mihi profundior videri solet, ita ut etiam, quam sit profundus, demonstrare non possim. Aliorum quippe, qui difficillimè intelliguntur, etiamsi in obscuritate sensus latet, ipsa tamen apparet obscuritas; hujus autem nec ipsa ". In ceteris Psalmis aliqui solummodo veræ sapientiæ, & moralis disciplinæ radii effulgent: in hoc verò totus quam vastus, fulgensque est sapientiæ sol exhibetur. Stilo facili ac simplici scriptus est, pulcherrimisque passim refertus sententiis, quæ absque ullo ornatu enuntiantur; adeoque nullas quoad sensum, atque intelligentiam patitur difficultates. Acrostichus est, sive alphabeticus; at singulari elaboratus artificio. Per Octonarios enim dividitur, quorum singuli versus octo complectuntur ab eadem Hebraici alphabeti litera incipientes, altero alteri ad finem usque sibi succedentibus. Totius carminis propositum est divinæ legis amor & exercitium; ejusque servandæ gratia indesinenter a Deo flagitatur, eorumque, qui eam servant, bona ac felicitas passim commemorantur. Eo

neficium enim adventus Christi non satis potest recoli, nec memoria ejus celebrari, ut ait Genebrardus ad hunc locum.

autem artificio, studioque sublimissimum argumentum versat Propheta, ut in singulis versiculis divina lex nominetur; novis tamen semper phrasibus atque appellationibus, quæ illius & naturam, & præstantiam docent, præter duos, tresve versus, in quibus nulla legis fit mentio. Nunc igitur Lex *appellatur*, Via, Testimonium, Mandatum, Præceptum; *nunc* Eloquium, Verbum, Judicium, Justitia, Statuta, Veritas, Æquitas, Justificationes, Sermo &c. *Quamvis autem non eadem sit harum vocum significatio, hoc tamen loco promiscuè pro synonimis usurpantur. Quibus rerum cœlestium contemplatio familiaris est, hunc percurrendo Psalmum magnam sentient voluptatem; secus, qui terrena tantum sapiunt.*

I. ALEPH.

1 O Ter beatos & quater, qui crimine
Nullo inquinati legibus gaudent Dei,
Recto ambulantes æquitatis tramite!
2 O ter beatos & quater, qui oracula
Divina servant, inque cordis intimo
Sinu recondunt! 3 Hæc agentum pectora
Haud labe tetri polluentur criminis;
4 Nec, quam severo cuique jure præcipis,
Deus, tenendam, derelinquent semitam.
5 O! sic euntis sustine vestigia,
Semper paratus ut tuis sim nutibus.
6 Quum namque solers ad tua cor intendero
Præcepta, turpe non timebo dedecus.
7 Tunc pleniore te canam præconio,
Quum rectus animi jussa didicero tua:
8 Hæc sola tota mente nitar exequi,
Favoris aura me tui ni deserat.

1 *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.*

2 Beati, qui scrutantur testimonia ejus, *in toto corde exquirunt eum.*

3 Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt.

4 *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.*

5 Utinam dirigantur viæ meæ, ad custodiendas justificationes tuas.

6 *Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis.*

7 *Confitebor tibi in directione cordis, in eo quod didici judicia justitiæ tuæ.*

8 *Justificationes tuas custodiam, non me derelinquas usquequaque.*

9. Quid

v. 2. *Hebr. Beati, qui conservant*, vel *custodiunt testimonia ejus.*

v. 3. *Hebr. Certè non faciunt iniquitatem, qui in viis ejus ambulant:* vel *multò minus patrabunt iniquitatem, si ambulant in viis ejus.*

v. 5. *Hebr. Utinam firmentur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas.*

II. BETH.

9 Quid fic juventam diffolutis moribus
Frænabit æquè, ac corriget, lex ut tua?
10 Tuas ftudentem fanctiones affequi
Haud finito ab illis evagari devium.
11 Tua femper imis verba condo fenfibus;
Ne mens ab ullo conftupretur crimine.
12 O digne fummis alme rector laudibus,
Tuæ inftituta me æquitatis edoce,
13 Pro dignitate verba tua ut annuntiem.
14 Longè ipfe legem cariorem habeo tuam,
Quam quidquid auri terra dat, vel occulit:
15 16 Hanc ufque, & ufque cogitabo; hanc fedulò
Sectabor unam mente, corde, dextera,
Ejufque nunquam me capiet oblivio.

9 In quo corrigit adolefcentior viam fuam? *in cuftodiendo fermones tuos.*
10 *In toto corde meo exquifivi te*, ne repellas me a mandatis tuis.
11 *In corde meo abfcondi eloquia tua, ut non peccem tibi.*
12 * *Benedictus es Domine, doce me juftificationes tuas.*
13 *In labiis meis*, pronuntiavi *omnia judicia oris tui.*
14 *In via teftimoniorum tuorum delectatus fum, ficut in omnibus divitiis.*
15 *In mandatis tuis* exercebor, *& confiderabo vias tuas.*
16 *In juftificationibus tuis meditabor, non oblivifcar fermones tuos.*

III. GHIMEL.

17 Hunc vita, quæfo, fervulum ne deferat
Tuas paratum juffiones exequi.
18 Tenebricofam diffipa caliginem,
Ut mira legis confpicer myfteria.
19 Ne, donec exul incolo terras, tuà
Ut inquilinum juffa me celaveris,
20 Quæ femper ægra mens obire difcupit.
21 O qui fuperbos fræna jufta perpeti

17 *Retribue fervo tuo, vivifica me, & cuftodiam fermones tuos.*
18 *Revela oculos meos, & confiderabo mirabilia de lege tua.*
19 *Incola ego fum in terra, non abfcondas a me mandata tua.*
20 Concupivit anima mea defiderare juftificationes tuas, *in omni tempore.*
21 *Increpafti fuperbos, maledicti qui declinant a mandatis tuis.*

v. 9. *Hebr. Quo pacto mundabit adolefcens viam fuam?*
v. 10. *Hebr. Ne finas me aberrare a mandatis tuis;* falfa doctrina fcilicet, aut impia vita.
* *Benedictus, ideft omni laude major. Ita Jo: Campenfis; vel, ut Theodoretus, beneficus, & dignus, qui ab omnibus lauderis.*
v. 13. *Hebr. Narravi*, feu *prædicavi* impiis, & incredulis.
v. 15. *Hebr. Meditabor, verfabor.*
v. 20. *Hebr. Languet anima mea legis tuæ defiderio.*

Fastidientes vindici dextra premis,

22 *Aufer a me opprobrium, & contemptum, quia testimonia tua exquisivi.*

23 *Etenim sederunt principes, & adversum me loquebantur, servus autem tuus exercebatur in justificationibus tuis.*

24 *Nam & testimonia tua meditatio mea est, & consilium meum justificationes tua.*

22 Ab improborum jurgiis me vindica.
23 Viri adstitere præpotentes, invicem
Confabulantes, me quibus perdant viis,
Quòd intuentur æquitati deditum,
24 Tuæque legis consulentem oracula,
Mihi omnis unde norma vitæ sumitur.

IV. DALETH.

25 *Adhæsit* pavimento *anima mea, vivifica me secundum verbum tuum.*

26 *Vias meas enuntiavi, & exaudisti me, doce me justificationes tuas.*

27 *Viam justificationum tuarum instrue me, & exercebor in mirabilibus tuis.*

28 Dormitavit anima mea præ tædio, *confirma me in verbis tuis.*

29 Viam iniquitatis *amove a me, & de lege tua miserere mei.*

30 *Viam veritatis elegi, judicia tua non sum oblitus.*

31 *Adhæsi testimoniis tuis Domine, noli me confundere.*

32 *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum.*

25 Propinquat animus heu! sepulcri faucibus,
Verbis at ipse me tuis hinc eripe:
26 Quidquid sub ægro delitescit pectore,
Effundo fidens in tuum, ut relever, sinum;
Me scita legis hinc magister erudi,
27 Verique calles luce signa prævia,
Præcepta semper mira mediter ut tua.
28 Mihi corda luctus, tædiumque perculit;
Promissiones at tuæ me roborent.
29 A me dolosæ fraudis artes impias
Aufer, tuarum scita legum ut diligam.
30 Stat mente fixum veritatis unicè
Perambulare semitas; nec e meo
Tua exciderunt imperata pectore:
31 Illis quod usque pertinax adhæserim,
Ne sit pudori, neve carpar æmulis:
32 Quò me jubebas ire, lætus præpete
Gradu ferebar, namque tu vires dabas.

V. HE.

33 Legem pone mihi Domine, viam justificationum tuarum, *& exquiram eam semper.*

33 Iter tuarum pande tu legum mihi,

Mea

v. 24. *Hebr. Viri consilii mei*, idest consiliarii mei sunt justificationes tuæ.
v. 25. *Hebr. Pulveri* propriè; ac si essem mortuus.
v. 28. *Hebr. Liquata*, seu *lacrymata est anima mea pra tristitia.*
v. 29. *Hebr. Viam mendacii.*
v. 33. *Hebr. Ostende mihi Domine viam statutorum tuorum.*

Mea semper illac ut feram vestigia,
34 Mentique lumen præfer, hanç cognoscere
Ut rite valeam, cognitamque pectore
Servare in imo, 35 teque da ducem mihi;
Votis quod unum mens anhelat omnibus.
36 Ad jussa legis flecte cor meum tuæ,
Nec me inde vilis avocet cupiditas.
37 Fulgore falso ne caducæ alluciner
Felicitatis gloriæve, lumina
Mea hinc retorque; quoque pergo tramite,
Ah! sustineto, debilemque recrea.
38 Me dicta repleant tua salutari metu,
39 Probrumque remove, ab hostibus quod imminet,
Benigne judex rite te colentibus.
40 Quæ concupivi sedulò facessere,
Favore jussa me tuo fac sospitent.

VI. VAU.

41 Assiste facilis o! mihi, promissaque
A te medela semivivum suscitet.
42 Tunc exprobrantes, spem facilè quod credulus
In te locaram, conticescent impii.
43 Tu veritatem ori meo ne subtrahe,
Certæ fuisti qui salutis anchora.
44 Tuam, movebit membra donec spiritus,
Legem tuebor, 45 & gradu liberrimo
Per æquitatis ibo lætus semitam:
Tua sola quæro jussa: 46 nec potentibus
Hæc me pudebit nuntiare regibus:
47 Mens hæc revolvit, hæc amat; 48 parataque
Ad exequendum tendo semper brachia.

34 Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.

35 Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui.

*36 Inclina cor meum in testimonia tua, & non in * avaritiam.*

37 Averte oculos meos, ne videant vanitatem, *in via tua vivifica me.*

38 Statue servo tuo eloquium tuum, in timore tuo.

39 Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum, quia judicia tua jucunda.

40 Ecce concupivi mandata tua, in æquitate tua vivifica me.

41 Et veniat super me misericordia tua Domine, salutare tuum, secundum eloquium tuum.

42 Et respondebo exprobrantibus mihi verbum, quia speravi in sermonibus tuis.

43 Et ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque, quia in judiciis tuis supersperavi.

44 Et custodiam legem tuam semper in seculum, & in seculum seculi.

*45 Et ** ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquisivi.*

46 Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, & non confundebar.

47 Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi.

48 Et levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi, & exercebar in justificationibus tuis.

* Chaldæus vertit *Mammona*, quod opum cupiditatem sonat.

v. 37. *Hebr. Mendacium*, seu *inanem gloriam*.

** *Quod heic, & in tribus, qui sequuntur versiculis in præterito imperfecto legitur, commodius per futurum vertitur; ut sensus orationis postulat. Ita S. Hieronymus, optimique interpretum Hebræum explicant.*

VII. ZAIN.

49 Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti.

50 Hæc me consolata est in humilitate mea, quia eloquium tuum vivificavit me.

51 Superbi iniquè agebant usquequaque, *a lege autem tua non declinavi.*

52 Memor fui judiciorum tuorum a seculo Domine, & consolatus sum.

53 Defectio tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.

54 Cantabiles mihi erant justificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ.

55 Memor fui nocte nominis tui, Domine, & custodivi legem tuam.

56 Hæc facta est mihi, quia justificationes tuas exquisivi.

49 Promissionis sis memor, fiduciæ
Quæ sola columen est meæ, 50 qua porrigis
Solamen ægro, meque diræ liberas
De fauce mortis. 51 Me superba turpibus
Gens contumeliis onerat; ast hæreo
Tuæ ipse legi, 52 eamque semper cogito,
Nam cogitantis corda mirè recreat.
53 Edicta legis video quum frangi tuæ,
Ægrescit animus se dolore macerans.
54 Hanc cantitando, mitigari sentio
Fastidiosas exilî ægrimonias,
55 Nec nocte in ipsa comminisci desino
Custodiendæ rigidiores regulas:
56 Hæc cura menti semper insidet meæ.

VIII. HETH.

57 Portio mea Domine, dixi custodire legem tuam.

58 Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo, miserere mei, secundum eloquium tuum.

59 Cogitavi vias meas, & converti pedes meos in testimonia tua.

60 Paratus sum, & non sum turbatus, *ut custodiam mandata tua.*

61 Funes peccatorum circumplexi sunt me, & legem tuam non sum oblitus.

62 Media nocte surgebam ad confitendum tibi, super judicia justificationis tuæ.

63 Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.

64 Misericordia tua Domine plena est terra, justificationes tuas doce me.

57 Parere legi census est mihi tuæ
Prædives: 58 unum mente tota flagito,
Promissa bonus ut perferas ad exitum.
59 60 Ad sanctiones ut tuas componerem
Vitæ institutum, quò vocabanr me tua
Præcepta, lætus illico me contuli,
Tuique sanctè jura servo fœderis.
61 Me turba vinclis præpedivit impia;
Legum at tuarum non mihi mens immemor.
62 Quin nocte media surgo, teque laudibus,
Qui fons es omnis æquitatis, effero.
63 His tantum amicis utor & sodalibus,
Qui te verentur, inque legem gressibus
Tuam feruntur impigris: 64 hanc me rudem
Tu, qui replesti cuncta benefactis, doce.

65 Tuus

v. 51. *Hebr. Superbi deriserunt me valde.*
v. 60. *Hebr. Festinavi, & non tardavi.*

IX. TETH.

65 Tuus clienti ſermo quæ promiſerat,
Benignus imple, 66 meque legis imbue
Tuæ ſcientia, integriſque moribus.
Oraculorum certa quod ſit credidi
Fides tuorum: 67 me prius quam ſtraverant
Mala, devius eram ab lege, cui hæreo nunc, tua.
68 Tu larga in omnes enites clementia,
Tua ergo ſcita, te docente, calleam.
69 Me criminantur arroganter impii;
Tua ipſe verba ſector imperterritus,
Tenaciterque pectus illis applico.
70 Felicitate corda hebeſcunt impiis,
71 Exercuiſti me malis, at profuit:
Oracla legis nam tuæ præclarius
Didici, tuæ inquam legis, 72 auri plurimo
Longè mihi pretioſioris pondere.

X. JOD.

73 Tu me potenti condidiſti dextera,
Vim legis ergo noſſe da mihi tuæ.
74 Te qui ſequuntur, dum vident, fiduciam
In te quod omnem collocavi, geſtiunt.
75 Sunt mentis æqua judicia tuæ, & malis
His me merentem juſte plectis arbiter:
76 Sed jam fer ægro pectori ſolatium,
Tua quod olim pactione ſanxeras.

77 Tuo

65 Bonitatem feciſti cum ſervo tuo Domine, ſecundum verbum tuum.
66 Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me, quia mandatis tuis credidi.
67 Priuſquam humiliarer ego deliqui, propterea eloquium tuum cuſtodivi.
68 Bonus es tu, & in bonitate tua doce me juſtificationes tuas.
69 Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborum, *ego autem in toto corde meo ſcrutabor mandata tua.*
70 Coagulatum eſt ſicut lac cor eorum, *ego vero legem tuam meditatus ſum.*
71 Bonum mihi, quia humiliaſti me, ut diſcam juſtificationes tuas.
72 Bonum mihi lex oris tui, ſuper millia auri, & argenti.

73 Manus tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me, da mihi intellectum, & diſcam mandata tua.
74 Qui timent te videbunt me, & lætabuntur, quia in verba tua ſuperſperavi.
75 Cognovi Domine, quia æquitas judicia tua, & in veritate tua humiliaſti me.
76 Fiat miſericordia tua ut conſoletur me, ſecundum eloquium tuum ſervo tuo.

v. 67. *Hebr. Antequam affligerer, ego errabam; nunc autem eloquium tuum cuſtodio.*
v. 69. *Hebr. Superbi conſuerunt adverſum me mendacia.*
v. 70. *Hebr. Factum eſt, ſicut adeps cor eorum*; ideſt *obtuſum factum, & quaſi arvina obductum*, ne legem tuam ſcrutentur, & ſervent. Apud Hebræos adeps cordis pro ignorantia, mentis ſtupore, & hebetudine, atque obſtinatione uſurpatur.
v. 75. *Hebr. Meritò*, vel, ut Hieron. *verè*, *ideſt juſte & recte affixiſti me.*

77 Veniant mihi miserationes tuæ, & vivam, quia lex tua meditatio mea est.

78 Confundantur superbi, quia injuste iniquitatem fecerunt in me, ego autem exercebor in mandatis tuis.

79 Convertantur mihi timentes te, *& qui noverunt testimonia tua.*

80 Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar.

77 Tuo benignè recreatus munere
Respiret animus, nam voluptas legibus
Obtemperare mihi tuis est unica.
78 Probro superbos me prementes opprime,
Tuis at ipse nutibus fac pendeam.
79 Te diligentes partibus studeant meis,
80 Mentemque puram sceleris haud spes deserat.

XI. CAPH.

81 Defecit in salutare tuum anima mea, & in verbum tuum supersperavi.

82 Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes, quando consolaberis me?

83 Quia factus sum sicut uter in pruina, justificationes tuas non sum oblitus.

84 Quot sunt dies servi tui, quando facies de persequentibus me judicium?

85 Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.

86 Omnia mandata tua veritas, inique persecuti sunt me, adjuva me.

87 Paulo minus consummaverunt me in terra, ego autem non dereliqui mandata tua.

88 Secundum misericordiam tuam vivifica me, & custodiam testimonia oris tui.

81 Expectat animus dum salutem, deficit;
At spe salutis semper alitur vivida:
82 Promissam ab alto opem mihi dum præstolor,
Defessa languent intuendo lumina:
83 Contracta pellis utris instar aridi
Rigescit; at tua non malis in talibus
E mente lex intercidit. 84 Quem terminum
Dabis laborum? Quando plectes æmulos,
85 Me molientes in scrobem detrudere?
Tuæ repugnans esse quod legi sciunt;
86 87 Quæ veritate nititur. Me barbaro
Ab hoste pene jam cadentem vindica;
Nam pacta tecum non refregi fœdera:
88 Opem fer ægro, qua soles clementia,
Ut te soluta mente curis diligam.

XII. LAMED.

89 In æternum Domine, verbum tuum permanet in cœlo.

89 Immota cunctis permanebunt seculis
Promissa, lexque perseverabit tua,

90 Con-

v. 79. *Hebr. Qui timent te, revertantur ad me.*
v. 85. *Hebr. Foderunt superbi foveas mihi, quod non fit secundum legem tuam.*

90 Convexa moles dum poli rotabitur,
Dum terra fruges proferet, volubili
Dum secla lapsu præteribunt: 91 aureus
Sol, te jubente, fert diem mortalibus,
Tibique quævis res creatæ serviunt.
92 Tua assuisset ni mihi lex, obrutus
Luctu interissem: 93 haud illius me oblivio
Tenebit unquam, cui vel ipsam debeo
Vitam: 94 tuus ego, opem tuo ne deneges
Custodienti rite quidquid imperas.
95 Satagunt necare me scelesti; oracula
Tua sed tuentur, murus uti aheneus.
96 Humana vidi cuncta finem attingere,
Tua sola lex durando vincet secula.

XIII. MEM.

97 Quo prosecutus hanc fui, quo prosequor
Amore nosti, quamque lætus singulas
Evulgo in horas, testis ipse: 98 hæc hostibus
Sagaciorem callidis me reddidit,
Præsens ob oculos nam stat usque: 99 huic obsequens
Ipsos magistros anteeo scientiâ;
100 Hujusque doctus institutis providi
Vici senectam consilî vi præditam.
101 Huic copularer arctiore ut vinculo,
Ab improborum me retraxi semitis,
102 Nec jussa fugi, quæ magister edoces.
103 Jucundus ori mellis haud sapor meo
Sic est, ut animo lex tua: 104 hinc mendacium
Nunquam bonorùm me rapuit inanitas.

105 Ut

v. 96. *Hebr. Omnis rei perfecta*, & juxta Symmachum *totius structura. Omnia in mundo tam physica, quam humana tandem deficiunt, ac finiuntur, exceptis mandatis Domini.*
v. 97. *Hebr. Locutio.* Ex versione Felicis, *commentatio.*
v. 102. *Hebr. Tu docuisti me.*

90 *In generationem & generationem veritas tua, fundasti terram, & permanet.*
91 *Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia serviunt tibi.*
92 *Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forte periissem in humilitate mea.*
93 *In æternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me.*
94 *Tuus sum ego, salvum me fac, quoniam justificationes tuas exquisivi.*
95 *Me exspectaverunt peccatores, ut perderent me, testimonia tua intellexi.*
96 Omnis consummationis *vidi finem, latum mandatum tuum nimis.*

97 *Quomodo dilexi legem tuam Domine, tota die* meditatio *mea est.*
98 *Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo, quia in æternum mihi est.*
99 *Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est.*
100 *Super senes intellexi, quia mandata tua quæsivi.*
101 *Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut custodiam verba tua.*
102 *A judiciis tuis non declinavi, quia* tu legem posuisti mihi.
103 *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!*
104 *A mandatis tuis intellexi, propterea odivi omnem viam iniquitatis.*

XIV. NUN.

105 *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.*

106 *Juravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ.*

107 *Humiliatus sum usquequaque Domine, vivifica me secundum verbum tuum.*

108 *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine, & judicia tua doce me.*

109 * *Anima mea in manibus meis semper, & legem tuam non sum oblitus.*

110 *Posuerunt peccatores laqueum mihi, & de mandatis tuis non erravi.*

111 *Hæreditate acquisivi testimonia tua in æternum, quia exultatio cordis mei sunt.*

112 *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem.*

105 Ut fax in atra nocte gressus dirigit,
Sic verba legis hunc regunt animum tuæ.
106 Fidem obligavi jure jurando meam,
Hæsura nostro semper illa pectori.
107 Metas malorum jam supremas attigi,
Tui sed ipse fœderis memor leva.
108 Quæ sponte laudis offero libamina
Accipe, tuasque me doceto semitas.
109 Licet in supremo vita sit discrimine,
Tua haud recedit lex mihi e præcordiis.
110 Gressus ab illa non removi, subdolis
Pene implicatus impiorum cassibus:
111 Hæc una mihi prædives est hæreditas,
Hæc una cordis est perenne gaudium,
112 Huic paret animus ampla propter præmia.

XV. SAMECH.

113 *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi.*

114 *Adjutor, & susceptor meus es tu, & in verbum tuum supersperavi.*

115 *Declinate a me maligni, & scrutabor mandata Dei mei.*

116 *Suscipe me secundum eloquium tuum, & vivam, & non confundas me ab expectatione mea.*

117 *Adjuva me, & salvus ero, & meditabor in justificationibus tuis semper.*

118 *Sprevisti omnes discedentes a judiciis tuis, quia injusta cogitatio eorum.*

113 Amo hanc, malosque non amantes execror:
114 Tu spes salutis, tu columen es unicum,
Statque una verbis in tuis fiducia.
115 Longè hinc recedat prava gens, ut intimo
Tua in recessu pacta mentis cogitem.
116 Promissa miserum me tua ad vitam erigant,
Nec vana votis decidat spes irritis.
117 Opem jacenti fer, tuamque haud desinam
Sospes sub imo corde legem volvere.
118 Hanc deserentes despicis; nam callida

Con-

* Chaldæus vertit: *Anima mea periclitatur, ac si in superficie manus meæ esset*: idest, *inter assidua vitæ versor discrimina. Eadem phrasis eodem sensu in pluribus Scripturæ locis occurrit. Ex prophanis autem Xenarchus apud Athenæum lib. XIII. cap. IV. ut vitæ discrimen, in quo versabatur, exprimeret, animam in manu se habere dicebat.*

Consilia versant, 119 impiosque funditus
Eradis omnes: hine amor me maximus
Tenet tuarum sanctionum; 120 at frigidus
Per membra serpit horror, quum te judicem
Scelus severè punientem cogito.

XVI. AIN.

121 Ne me æquitatis asseclam libidini
Trade opprimentum, 122 neve gens mordacibus
Permitte vexet me superba jurgiis.
123 Promissam operior dum salutem, scitaque
Tua semper opto, fessa languent lumina.
124 Adsis facilior at mihi, mandataque
Fac te indicante rite percipiam tua.
125 Tibi esse servus glorior: tu lumine
Perfunde mentem, ut fœderis recondita
Arcana noscam. 126 Tempus est, injurias
Legi irrogatas ut tuæ jam vindices.
127 Mihi illa gemmis est, & auro carior,
128 Qua dirigente sector Æqui tramitem,
Fugioque tortas impiorum semitas.

XVII. PHE.

129 Solerte quamquam mentis hanc indagine
Crebrò revolvam, se tamen mysteriis
Gaudet verendis involutam ostendere.
130 At verba rudibus lumen afferunt tua,

Siquis

119 Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ, *ideo dilexi testimonia tua.*

120 Confige timore tuo carnes meas, *a judiciis enim tuis timui.*

121 *Feci judicium & justitiam, non tradas me calumniantibus me.*

122 *Suscipe servum tuum in bonum, non calumnientur me superbi.*

123 *Oculi mei defecerunt in salutare tuum, & in eloquium justitiæ tuæ.*

124 *Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, & justificationes tuas doce me.*

125 *Servus tuus sum ego, da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.*

126 *Tempus faciendi Domine, dissipaverunt legem tuam.*

127 *Ideo dilexi mandata tua, super aurum & topazion.*

128 *Propterea ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui.*

129 *Mirabilia testimonia tua, ideo scrutata est ea anima mea.*

130 *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis.*

v. 119. *Hebr. Tamquam scorias reputasti*, idest *abrasisti, sustulisti omnes impios terræ. Metaphora ab aurifice ducta, qui argenti, vel auri scorias abjicit, ut Deus impios.*

v. 120. *Hebr. Horrescit caro mea præ timore tui.*

XIX. COPH.

145 Gemitus ab imo me trahentem pectore
Benignus audi, ut obsequens te diligam.
146 Audi invocantem; quamque sæpe flagito
Fer o! salutem, scita verear ut tua.
147 Precum anteverto constituta tempora
Ad te recurrens mane, nam fiduciam
In me excitarunt pollicita firmam tua.
148 Sopore misso noctis in silentio
Exsurgo, ut animo tua quieto oracula
Tunc mediter: 149 aurem da precanti mitior,
Lethi ut periclo liberer, te judice.
150 Qui me insequuntur, promptiore in crimina
Gradu feruntur; nam recedunt a tuis,
Quæ perpetrari scelera prohibent, legibus.
151 Ad me propinques, o Genitor, æquissima
Qui jura mundo das tremendus arbiter.
152 Mihi hoc ab ipsa cognitum est pueritia,
Tuam manere cuncta legem in secula.

XX. RESC.

153 Specta jacentem, dexteramque naufrago,
Qui scita legis haud refugit, porrige.
154 Tuere causam tu meam, nec fœderis
Oblitus hosti me relinque victimam.
155 Qui te imperantem justa fontes deserunt,
Horum haud saluti consules; 156 ast ubere
Me recreabis, ut soles, clementia.
157 Vis præpotentum me fatigat plurima;
Tuis sed hilum non retrahit a semitis.
158 Uror dolore, pacta tua quum perfidos
Violare cerno, 159 quæ exequi est amor mihi:
Tua ergo bonitas sit mihi solatio,

160 Pro-

v. 147. *Hebr. Præveni diluculo*: hoc est *primum mane anteverto*; *in tenebris evigilo*.

145 Clamavi in toto corde meo, exaudi me Domine, justificationes tuas requiram.
146 Clamavi ad te, salvum me fac, ut custodiam mandata tua.
147 Præveni in maturitate, *& clamavi, quia in verba tua supersperavi.*
148 Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua.
149 Vocem meam audi, secundum misericordiam tuam Domine, & secundum judicium tuum vivifica me.
150 Appropinquaverunt persequentes me iniquitati, a lege autem tua longe facti sunt.
151 Prope es tu Domine, & omnes viæ tuæ veritas.
152 Initio cognovi de testimoniis tuis, quia in æternum fundasti ea.

153 Vide humilitatem meam, & eripe me, quia legem tuam non sum oblitus.
154 Judica judicium meum, & redime me, propter eloquium tuum vivifica me.
155 Longe a peccatoribus salus, quia justificationes tuas non exquisierunt.
156 Misericordia tua multa, Domine, secundum judicium tuum vivifica me.
157 Multi, qui persequuntur me, & tribulant me, a testimoniis tuis non declinavi.
158 Vidi prævaricantes, & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt.
159 Vide quoniam mandata tua dilexi Domine, in misericordia tua vivifica me.

160 Principium verborum tuorum veritas, in æternum omnia judicia justitia tua.

160 Promissa præstas namque tua fideliter,
Fonte e perenni veritatis proflua.

XXI. SCIN.

161 Principes persecuti sunt me gratis, & a verbis tuis formidavit cor meum.

162 Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa.

163 Iniquitatem odio habui, & abominatus sum, legem autem tuam dilexi.

164 Septies in die laudem dixi tibi, super judicia justitiæ tuæ.

165 Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.

166 Expectabam salutare tuum Domine, & mandata tua dilexi.

167 Custodivit anima mea testimonia tua, & dilexit ea vehementer.

168 Servavi mandata tua, & testimonia tua, quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

161 Me persequuntur immerentem principes,
Et dira vultu comminantur aspero;
Tua expavescit verba sed cor unicè.
162 Hæc cariora sunt mihi, quam militi
Direpta victis præda dives hostibus.
163 Facta improborum mens abhorret turpia;
Amore legum sed tuarum deperit.
164 Lux audit omnis æquitatis me tuæ
Pronuntiantem septies oracula.
165 Pax multa legis asseclas manet tuæ,
Ruina prorsus nulla, nulla offensio.
166 A te salutem, jussa tua custodiens,
Expecto; 167 & imis fixa sub præcordiis
Promissa inhærent, quæ unicè diligo, tua.
168 Tua servo pacta fidelitate maxima,
Ut ipse nosti, facta mea qui dispicis.

XXII. THAU.

169 Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine, juxta eloquium tuum da mihi intellectum.

170 Intret postulatio mea in conspectu tuo, secundum eloquium tuum eripe me.

171 Eructabunt labia mea hymnum, cum docueris me Justificationes tuas.

172 Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum, quia omnia mandata tua æquitas

173 Fiat manus tua, ut salvet me, quoniam mandata tua elegi.

174 Concupivi salutare

169 Fac hujus ad te vota tendant supplicis,
Tuæ qui anhelat nosse legis abdita;
170 Votique tandem compotem periculis,
Dicta hoc requirunt nam tua, ex his eripe.
171 Mea ora largis efferent te laudibus,
Quum, te docente, scita tua percepero,
172 Meaque æquitatem lingua vulgabit tuam:
173 Tibi obsequentem dextra tua me protegat,
174 A te obtinere qui salutem gestio,
Tuamque legem qui medullis imbibo.

175 A

v. 166. *Hebr. Mandata tua feci*: idest *opere complevi, & observavi.*

175 A morte revoca, fospes ut te prædicem,
Tuæque legis vi juvantis fulciar.
176 Errantis instar sum pecudis, ergo tui
Hunc quære servum haud negligentem fœderis.

PSALMUS CXIX.

*De maledicorum injuriis conqueritur, exiliique sui diuturnitatem deplorat. Ab hoc Psalmo usque ad CXXXIV. quindecim, qui se ordine consequuntur, Psalmi graduales, seu * Cantica graduum dicuntur.*

1 DUm sors luctificis improba casibus,
Bellantumque furor me quateret, preces
Vix cœpi lacrymans fundere, supplicem
Quum rex ætheris audiit.
2 A lin-

suum Domine, & lex tua meditatio mea est.

175 Vivet anima mea, & laudabit te, & judicia tua adjuvabunt me.

176 Erravi, sicut ovis, quæ periit, quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.

1 Ad Dominum cum tribularer clamavi, & exaudivit me.

* *Cantica graduum, vel potius ascensionum (nam vox Hebraica* Mahaloth *utrumque significat) quidam ab elevatione vocis sic appellari putarunt, quod scilicet cantor sensim vocem ad singula Carmina intenderet, adeo ut Psalmus decimus quintus quindecim tonis altius, quam primus caneretur: alii, quòd in secundi templi Hierosolymitani gradibus a Levitis canerentur. Sunt, qui eos gradus non in templo, sed per totam urbem discurrentes tandem ex urbe ad verticem montis sancti repererint. Alii censent, hos Psalmos canendos fuisse a Levitis excubias in domo Dei agentibus super ascensum ex urbe ad templum, ut singulis noctis horis fratres suos ad vigilandum, laudandumque Deum hortarentur. Nonnulli ea inscriptione spectatos fuisse credunt templi Salomonici gradus, sive horologii Achaz. Qui pro gradibus ascensiones & elevationes verterunt, in ea fuerunt sententia, quod hi Psalmi a Levitis in eminenti aliquo suggesto, seu ambone in templo canerentur. Malunt alii vocem* Mahaloth *designare musicum instrumentum Judæis peculiare, seu vulgarem aliquam, ad cujus normam Psalmi cantus dirigeretur, cantilenam. Hieronymiaster putat, innui varios dignitatum gradus, quarum singulis distinctus in templo locus constituebatur, a Levitis, & Sacerdotibus incipiendo usque ad supremum Pontificem, cui decimum quintum locum omnium præstantissimum assignat. Sed hæc omnia incerta; & suas qualibet opinio difficultates patitur. Junius, & Tremellius reddunt Hebræam, Canticum excellentiarum, quæ versio Muisio, aliisque peritis interpretibus non improbatur. Plerique demum pro ascensionibus ab exiliis accipiunt, sumpta allusione a situ urbis Hierosolymitanæ, ad quam omni ex parte ascendendum*

2 *Domine libera animam meam a labiis iniquis, & a lingua dolosa.*

2 A linguis hominum me, Pater optime,
Dixi, pestiferis eripe, qui malas
Artes expediunt, atque latentibus
Me circumveniunt dolis:

3 Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?

3 Lingua instructa vafris artibus. & bonos
Ictu fulmineo lædere promptior,
Quænam percipies commoda, tristibus
Me si conficias malis?

4 *Sagitta potentis acuta, cum carbonibus desolatoriis.*

4 Nil te deterius: non ita militum
Dextris jacta nocent spicula fortibus,
Tanto & flamma vorax non furit impete,
Quum spissum arripuit nemus.

5 *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea.*

5 Me vitæ heu! capiunt tædia, nam diu
Me terra hæc nimiùm detinet incolam

Præ-

dendum erat, quod esset collocata in montibus. Et revera (inquiunt) Psalmi omnes pertinent ad captivitates populi, & e captivitatibus liberationes. Unde Chaldaus vertit Canticum pro ascensionibus abyssi. Cantica ergo graduum juxta eos sunt precationes, & consolationes de liberationibus ab exilio & captivitate, velut ex abysso, quarum typo prædicitur reditus in cœlum ex hoc miserrimo vitæ statu, ut proinde Augustinus ad cordis ascensiones e valle plorationis referat. Mirum sane, quod tam variis opinionum gradibus veritatem sequuti ad eam minimè pervenerint. Quare aptius fecisse mihi videtur Marcus Ant. Flaminius aureus triginta Psalmorum Paraphrastes, qui se causam hujus appellationis ignorare ingenuè fateri maluit, quam quidquam incompertum in medium afferre; cujus elegantissimos versus hoc loco subjiciendos putavi.

Ter quinque, qui sequuntur, Hymni, Cantica
Graduum vocantur; istiusque nominis
Quæ vis in isto sit loco, jam plurimi
Interpretantes protulere plurima;
Sed illa sic incerta, fabulosaque,
Ut ipse malim confiteri liberè,
Nescire me, quod nescio. Tu, candide
Lector, quod istis continetur Canticis,
Dum diligenter explicamus, obsecro,
Attentum animum adhibe, tametsi inscriptio
Quid ista sibi velit, explicare non datur.
Nam totque tantaque poteris cognoscere
In his poetæ versibus sanctissimi
Vitam beatam maximè attingentia,
Ut curiosus sis licet, animo tamen
Æquo ferendum sit, quod unum hoc nescias.

v. 3. *Hebr. Quid dabit tibi, aut quid addet tibi, o lingua dolosa?* quasi dicat: *quid commodi referes ex sermone fallaci?*

Prædones avidos inter, & asperos
Saltus gentis inhospitæ.
6 Pax in deliciis est mihi; turbidis
Gens se se hæc recreat seditionibus:
Hinc, quum blanda loquor verba, ferocibus
Me dictis reprimit minax.

6 Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus, cum loquebar illis, impugnabant me gratis.

PSALMUS CXX.

In Deo fiduciam nobis ponendam esse ostendit, quia & vigilantissimus custos, & potentissimus adjutor ipse solus est.

1 ASpera quum per omnes
Me vices rerum premeret sors miserum, & premendo
Perdere jam pararet,
Ad sacros montes patriæ tristia sæpe verti
Lumina, forte siquid
Hinc opis mitti aspicerem; 2 solus at ille cœli
Conditor, atque terræ
Supplicem in rebus miseris auxilio levabit.
3 Ille tibi, æquitatem
Qui colis, mentem valida sic ope roborabit,
Ut labefacta nunquam
Flectat a Recto, atque tuæ nocte dieque curam
Suscipiet salutis:
4 Ille, qui sanctam vigili lumine civitatem
Prospicit, excubabit
Et tibi præsens, ausua nec lumina claudet ullo
Tempore somnus: 5 hinc se
Ad latus junget tibi dextrum, teget & favoris
Te sui amicus umbra,
6 Ne tibi vel sol nimium fervidus impotenti
Q 2 Mem-

1 Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.

2 Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum, & terram.

3 Non det in commotionem pedem tuum, neque dormitet qui custodit te.

4 Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.

5 Dominus custodit te, Dominus protectio tua *super manum dexteram tuam.*

6 Per diem sol non uret te, neque luna per noctem.

v. 6. *Hebr. Ego pax, & quum loquebar, ipsi ad bellum,* supple *se parabant*, vel quid simile.
v. 5. *Hebr. Umbra*, seu *umbraculum tuum*.

7 *Dominus custodit te ab omni malo, custodiat animam tuam Dominus.*

8 *Dominus custodiat * introitum tuum, & exitum tuum ex hoc nunc, & usque in seculum.*

Membra calore frangat,
Vel gravis lunæ tibi ne lux noceat maligna.
7 8 Sive domus vacantem
Te tuis rebus videt, hinc publica sive cura
Evocat, otiantem
Sive delectat patrii frigida ruris umbra,
Proteget ex Olympi
Te coruscantis solio, atque omnibus e periclis
Eripiens potenti
Dextera, tandem patria in siderea beabit.

PSALMUS CXXI.

Laudat templum, & Hierosolymam a concordia, pietate, justitia, & regni splendore, in quam ex captivitate brevi se rediturum esse confidit.

1 *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.*

2 Stantes erant pedes nostri in atriis tuis *Jerusalem.*

3 *Jerusalem*, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum.

4 *Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israel ad confitendum nomini Domini.*

1 QUo delibuta mihi fuit mens gaudio,
Vox hæc ut aures impulit,
Nos in beatam numinis sancti domum
Plenis ituros cœtibus!
2 Augusta templi lætus ergo limina
Pedibus, ut antea, premam.
3 Videbo, Solime, te præaltis mœnibus
Surgentem ad astra, & ædibus
Pulcris refertam, splendidam frequentia,
Concordiaque civium.
4 Ad te quotannis ter statuto tempore
Tot terræ plagis ab omnibus
Ingens Abramidum multitudo confluit,
Laudes ut almo numini

Ritu

* *Per* introitum *&* exitum *quidquid in vita gerimus, molimurque tum domi, tum foris intelligendum est.*
v. 2. *Hebr. Stantes erunt pedes nostri in portis tuis;* ut sit futuri continuatio.
v. 3. *Hebr. Quæ condita est, ut qualibet urbs fortissima, quæ conjuncta est sibi pariter:* quibus verbis fortitudo urbis, civiumque concordia, ac frequentia designatur.

Ritu paterno concinat, ceu maximus
Rex imperavit cœlitum.
5 Regina late præsides tu ceteris,
Quæ te coronant, urbibus:
In te verendi principes e regia
Domo eliguntur Davidis,
Solio ut in alto constituti subditis
Dent jura nationibus.
6 Cuncta ominetur quisque tibi felicia,
Æterna mater urbium:
Sit fœderatis bene tuis, sint omnia
Te diligenti prospera:
7 Pax alma muris semper insideat tuis,
Comesque pacis copia:
8 Jucunda statio in te est meis sodalibus,
Te nemo turbet impius:
9 In te Tonantis visitur sacrarium,
Nil esto te beatius.

5 Quia illic sederunt sedes in judicio, sedes super domum David.

6 Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem, & abundantia diligentibus te.

7 Fiat pax in virtute tua, *& abundantia in turribus tuis.*

8 Propter fratres meos, & proximos meos, loquebar pacem de te.

9 Propter domum Domini Dei nostri, quæsivi bona tibi.

PSALMUS CXXII.

Ab oppressionibus impiorum liberari desiderat.

1 AD te ego largis oculos madentes
Lacrymis tollo, Pater alme, multâ
Luce qui astrorum nitidas Olympi
Incolis arces.
2 Verna ut immotis oculis herilem
Pendet in nutum, 3 dominæque ut ipsos
Inspicit gestus famula exequendis
Sedula jussis;
Fixa sic in te assiduè tenemus
Lumina, o rerum moderator, ægris
Donec ostendas placidam tot inter
Nubila frontem.

1 Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis.

2 Ecce sicut oculi servorum, in manibus dominorum suorum.

3 Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.

Q 3 4 Mi-

v. 6. *Hebr. Benedicite Jerusalem*, vel *rogate pacem Jerusalem: bene sit diligentibus te.*
v. 7. *Hebr. Sit pax in tuis mœnibus*, & strictius *in tuo antemurali*, vel ut alii malunt *in tuo exercitu*.

4 Miserere nostri Domine, miserere nostri, quia multum repleti sumus despectione.

5 Quia multum repleta est anima nostra, opprobrium abundantibus, & despectio superbis.

4 Mitis intersis populo, precamur,
Et tuis randem fer opem, superbo
Nam nimis fastu premit immerentes
Impia turba.
5 Heu! piget vitæ miseros, protervæ
Namque mens ultra tolerare frontis
Haud valet fastum, nec amara ditis
Probra tyranni.

PSALMUS CXXIII.

Soluta captivitate Israelitæ gratias agunt Deo, cujus ope si caruissent, se perituros esse fatentur.

1 Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis.
2 Cum exurgerent homines in nos, forte vivos deglutissent nos.

3 Cum irasceretur furor eorum in nos, forsitan aqua absorbuisset nos.

4 Torrentem pertransivit anima nostra, forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.

5 Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.

1 NI Deus in nostram (lætis hæc carmina fundant
Vocibus Isacidæ) in nostram miseratus ab alto
Ni Deus accurrisset opem, 2 quo tempore totis
Effera nos contra gens viribus insurgebat,
Quisque pius miserè absumptus periisset, ut ore
Agna lupi; 3 furiisque hostes quum tristibus acti
Sævirent, nos ærumnæ, ceu gurges aquarum,
Mersissent. 4 Pro! quantus erat, quantaque malorum
Turbidus illuvie torrens immanè tumebat,
Quem tamen incolumes evasimus. At nisi tanti
A nobis dextra tunc omnipotente fuisset
Vis depulsa mali, rapidas quis inobrutus undas
Fugisset? 5 Magno superûm decus esto Parenti,
Qui nos arbitrio sævæ permittere gentis
Haud

v. 2. *Hebr. Tunc.*
v. 3. *Hebr. Tunc aqua inundassent nos.*
v. 4. *Hebr. Tunc transissent super animam nostram aquæ superba*, idest elatæ, & alveo egressæ; adeoque in omnibus locis asseveratio, non dubitatio significatur.

Haud voluit: 6 7 laqueo ut fracto celer evolat auras
Ales in æthereas, nobis exire superbi
Hostis servitio sic contigit. 8 Optimus ille
Cœli ac terræ opifex tanto in discrimine rerum
Attulit auxilium superis non lentus ab oris.

6 *Anima nostra sicut* passer *erepta est de laqueo venantium.*
7 *Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.*
8 *Adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum, & terram.*

PSALMUS CXXIV.

Docet; Deum eos qui sibi confidunt diu in manibus inimicorum non derelinquere; malos vero perdere.

1 QUisquis salutis collocat fiduciam
Uno in Parente cœlitum,
Sortis procellas sævientis pectore
Contemnet imperterrito,
Immobilisque sic resistet ictibus,
Rupes velut Sionia.
2 Ut sancta Solymæ civitas altissimis
Vallata surgit montibus,
Hostisque nullos pertimescens impetus
Tranquilla carpit otia;
Deus potenti sic amicos dextera
Suos ab alto protegit,
Circumque custos excubans fidissimus
Securitati consulit.
3 Hinc impiorum sub gravi justos diu
Jugo haud relinquet immemor,
Ne mens acerbis fracta rebus, prosperos
In scelere dum videt malos,
Hos æmuletur. 4 Fac Deus, te largiter
Boni benignum sentiant:
5 At qui tuarum a calle legum devius
Se se scelestis addidit,
Intereat hic male: pax sed alma, & faustitas
Tuas fac urbes incolat.

1 *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commovebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem.*
2 *Montes in circuitu ejus, & Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc, & usque in seculum.*
3 *Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum, ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.*
4 *Benefac Domine bonis, & rectis corde.*
5 Declinantes autem in obligationes, *adducet Dominus cum operantibus iniquitatem, pax super Israel.*

v. 6. *Hebr. Avis.*
v. 5. *Hebr. Declinantes autem in perversitates suas*, alii *in obliquitates*, vel ut vertit Hesychius *in strophas & tergiversationes.*

PSALMUS CXXV.

Judaicæ gentis in patriam e captivitate revertentis lætitiam describit.

1 In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus sicut consolati.

2 *Tunc repletum est* gaudio *os nostrum, & lingua nostra exultatione.*

3 *Tunc dicent inter gentes, magnificavit Dominus facere cum eis.*

4 *Magnificavit Dominus facere nobiscum, facti sumus lætantes.*

5 *Converte Domine captivitatem nostram, * sicut torrens in Austro.*

6 *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.*

1 QUum Deus exutos vinclis ad dulcia jussit
Nos patriæ remeare Sionis
Mœnia, tantus erat mentis stupor, ut sibi quisque
Sectari tunc vana putaret
Somnia deceptis male sensibus; 2 ast ubi signis
Indubiis res cognita vera est,
Jucundi risus rediere, & carmine numen
Suaviloquo celebravimus almum.
3 Hæc ubi mira oculis hausit gens barbara, tales
Attonito dedit ore loquelas:
„ En hoc quanta sui rex prodidit ille tremendus
„ Pro populo argumenta favoris.
4 Magna quidem nos ultro fatemur prodidit; hinc est
Tanta animis perfusa voluptas.
5 At precor & reliquos sævis, Deus, eripe vinclis,
Et reducum sic repleat agmen
Omnia, uti, in magnos auster quum solvitur imbres,
Exundantia flumina, ruptis
Aggeribus, vasta arva tegunt torrentibus undis.
6 Exili ceu semina spargunt

Agri-

v. 1. *Hebr. Quando redire fecit Dominus transmigrationem Sion, facti sumus velut somniantes*: hoc est, *ut videremur verius somniare reditum, quam reipsa & oculis usurpare.*

v. 2. *Hebr. Risu* propriè.

* Licet torrens in Austro rivos in Australi parte plerisque significet, sunt tamen qui & pro vento meridionali accipiant, adeoque sic explanant. *Reduc nos Domine copiosè & potenter, ut imitemur torrentes flante Austro, qui pluviis gignendis, & nivibus liquefaciendis torrentes auget plurimum, & magno impetu impellit. Vide Genebrard. & Calmet.*

Agricolæ qui forte solo, incertique futuræ
Messis, tristia multa revolvunt;
7 8 Si gravidis mox flavet ager fœcundus aristis,
Exultant fata læta metentes;
Sic nos exilium post lamentabile, totque
Ærumnosæ incommoda vitæ
In patriæ fines, dilectaque tendimus arva;
Læto implentes omnia plausu.

7 Euntes ibant, & flebant, mittentes semina sua.
8 Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.

PSALMUS CXXVI.

Docet & domus & familiæ, & ipsius civitatis salutem & custodiam in unius Dei providentia constitutam esse, omnesque hominum curas & labores inanes esse, si ope divina destituantur.

1 Quisquis superbas extruis ædium
Moles, ab alto ni tua prosperet
Incepta numen, crede, inanem
Artifices operam daturos.
2 Nisi ipse custos suscipiat Deus
Urbem tuendam, mœnibus irrito
Labore consistent in altis
Excubiæ vigilum perennes.
3 Quid ante lucem surgere proderit,
Diem & labori vos solidum dare,
Favore ni vestros fecundo
Adjuvet Omnipotens labores?
4 Victum ille amicis dat facilem suis,
Lenesque somnos injicit, & domos
Prole auctat optata: colentes
Rite Deum manet ista merces.
5 Non sic timenda est, exitialibus
Horrens sagittis, dextera militis,
Ut impiis ille est timori,
Cujus in auxilium creata

Ex

1 Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.

2 Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.

3 Vanum est vobis ante lucem surgere, surgite postquam sederitis qui manducatis panem doloris.

4 Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filii, merces, fructus ventris.

5 Sicut sagitta in manu potentis, ita filii excussorum.

v. 5. *Hebr. Ita filii juventutis*, in primo videlicet connubii ardore, & in ipso juventutis paternæ flore procreati. Alii vertunt: *ita filii vexatorum, malis afflictorum. Utrique versioni sua laus est.*

Ex se virilis progenies, suæ
Pugnando prodit signa potentiæ.

6 Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis, non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta.

6 O ter beatum, qui replere
His potuit pharetram sagittis!
Hostis protervi namque calumnias
Ille ad tribunal judicis impiger
Ab se amovebit, strenuosque
Causa sua inveniet patronos.

PSALMUS CXXVII.

Homines Deum timentes manuum suarum laboribus vesci, fœcunda uxore, florentique prole potiri, & pace demum tranquilla in patria frui affirmat.

1 Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus.

1 Felix, Parenti qui dicatus optimo
Præcepta servas ejus integerrimè,
Ab æquitatis non aberrans tramite!

2 Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.
3 Uxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ.
4 Filii tui sicut novella olivarum, in circuitu mensæ tuæ.

2 Tui laboris ipse capies præmia,
Fundusque pascet te paternus ubere
Rerum fruentem copia: 3 dulcissimis
Fœcunda vitis instar ornabit domum
Pudica conjux liberis, 4 qui puberi
Similes olivæ fertili positæ solo
Mensæ assidebunt quum tuæ, quo gaudio
Hæc te replebit innocens ætatula!

5 Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum.
6 Benedicat tibi Dominus ex Sion, & videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ tuæ.
7 Et videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel.

5 Hæc assequentur bona, Patri qui cœlitum
Se manciparunt, 6 quem pio si pectore
Colas, ab arce te Sionis lumine
Dextro tueri perget, &, dum vixeris,
Urbis sacratæ perfruere commodis;
7 Tuæque prolis liberos, & Isaci
Longa vigentes pace cernes posteros.

PSAL-

PSALMUS CXXVIII.

Israel a prima ætate malis agitatus; a Deo semper adjutus; hostesque sui ab eodem gravissimis suppliciis affecti.

1 SÆpe me afflixit furor impiorum
(Propago cantet Isaci)
2 Sæpe me afflixit furor impiorum
Primæva ab usque origine:
Sed nec hostiles valuere fraudes,
Nec bella me subvertere.
3 Verberum longis mea terga sulcis
Aravit hostis impotens:
Me fame pressit, gravibusque strinxit
Enerve corpus vinculis.
4 At Deus gentis reprimit sceleste
Vires, piosque liberat.
Quisquis infesto est animo in Sionem,
Studiis recedat irritis;
Vana spes illi cadat, atque votis
Haud perfruatur impiis.
5 Sit brevi absumptus, velut herba summis
Enata tectis ædium,
Sole quæ ardenti prius usta languet,
Quam falcis ictum sentiat.
6 Non manum messor, gremiumque non hac
Replet maniplos colligens.
7 Huic viatorum bene nullus, ut fit
Lætis agrorum messibus,
Gramini exoptat, neque fausta quisquam
Auditur adprecarier.

1 Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, *dicat nunc Israel.*
2 *Sæpe expugnaverunt me a juventute mea, etenim non potuerunt mihi.*
3 Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam.
4 *Dominus justus concidit cervices peccatorum, confundantur, & convertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion.*
5 *Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquam evellatur, exaruit.*
6 *De quo non implevit manum suam qui metit, & sinum suum qui manipulos colligit.*
7 *Et non dixerunt qui præteribant, benedictio Domini super vos, benediximus vobis in nomine Domini.*

PSAL-

ỷ. 1. *Hebr. Multum angustiis affectus sum*: vel hostes mei *multum adversati sunt mihi.*
ỷ. 3. *Hebr. Araverunt in dorso meo aratores, produxerunt sulcos suos.* Proverbialis locutio est.

PSALMUS CXXIX.

Crimina sua coram Deo fatetur, omnemque fiduciam in Dei misericordia collocat, ad quam Israeliticum populum excitat.

1 De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam.

1 Pene mersus heu! profundis
Dum malorum fluctibus
Te gemente corde posco,
Sancte rector cœlitum,

2 Fiant aures tua intendentes, in vocem deprecationis mea.

2 Tu benignas invocanti
Lenis aures commoda,
Vocibusque luctuosis
Lacrymantis annue.

3 Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit?

3 Cuncta namque si nefanda
Facta gentis impiæ
Lance ponderes severa,
Puniasque noxios,
Ut merentur, quis rigorem
Punientis perferat?

4 Quia apud te propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te Domine.

4 Liberalis ast in omnes
Est tibi benignitas,
Recreantque verba legis
Me tuæ dulcissima;

5 Sustinuit anima mea in verbo ejus, speravit anima mea in Domino.

5 Namque spondent execranti
Crimen indulgentiam.
Hæc salutis assequendæ
Dant mihi fiduciam;
Certa namque sunt tuarum
Sanctionum fœdera.

6 A custodia matutina usque ad noctem, *speret Israel in Domino.*

6 Non morantem fessa lucem
Sic cupit custodia,

Nocte

v. 5. & 6. Hebr. plane aliter. *Anima mea expectat Dominum a vigilia matutina usque ad vigiliam matutinam*, ac si diceret, *a die in diem*, *ac quolibet tempore*. Alii cum Aben Ezra sic vertunt: *magis quam excubitores matutini*, *sive vigiles nocturni*, *qui lucem avidissimè expectant*, *speravit anima mea in Domino*.

Nocte tota civitatem
Quæ vigil perambulat,
Nostra in omnes mens ut horas
Te, Deus, desiderat,
Dura frangas opprimentis
Ut tyranni vincula.
7 In Deo locate vestro
Spem, pii, firmissimam;
Namque semper fonte pleno
Sua fluit clementia;
Hosque, rite qui precantur,
Audit exorabilis.
8 Ille vinculis onustos
Solvet Abræ posteros;
Ille cuncta quæ patrarunt
His remittet crimina.

7 Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.

8 Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus ejus.

PSALMUS CXXX.

Nos exemplo suo monet, fugiendam esse superbiam, atque in sola Dei misericordia spem locandam.

1 Orbis alme conditor,
Elata mens non est mihi, nec ullum
Insolente lumine
Fastidiens contemno; 2 neque superbus
Ambulo, nec assequi
Majora viribus meis laboro,
Gloriorve honoribus
Vanis inepte. 3 Ni sequor pudentem
Continens modestiam;
Ni cordis altos spiritus refræno,
Turpem ob arrogantiam
Mihi severas irrogato pœnas.
4 Qualiter tenellulus
A lacte puer amotus ad parentem

Fer-

1 Domine, non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei.

2 Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus super me.

3 Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam.

*4 * Sicut ablactatus est super matre sua, ita retributio in anima mea.*

* Quidam ex his verbis *Sicut &c.* hanc eliciunt sententiam. *Sane instar pueri ablactati se habet anima mea.* Horum interpretationem sequi malui. Consulatur Genebrardus.

Fertur unicè suam,
Et inquieto, si recedat, unam
Quærit usque lumine;
Sic mens in uno te mea acquiescit,
Teque spectat unicè.

5 Speret Israel in Domino, ex hoc nunc, & usque in seculum.

5 Verè o beatum, in optimo locat qui
Spem Parente cœlitum!
Huic disce fidere Isaci propago.

PSALMUS CXXXI.

Salomon transferens arcam in templum recens exstructum 2. Paralipom. 6. orat, ut Deus illud inhabitet, ac Sacerdotes totumque regnum prosperet.

1 Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.

2 Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Jacob.

3 Si introiero in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei.

4 Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem.

*5 * Et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.*

6 Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis silvæ.

1 O Superûm rex alme, memor sis Davidis, utque
Rebus in adversis mentem servaverit æquam,
Insontesque manus sceleris, reminiscere. 2 Voto
Ille tibi, Deus Isacidum, se obstrinxit, apertis
Talia pollicitus dictis: 3 tua non ego posthac
Experiar benefacta, domus si limen adibo
Ante meæ, vel membra thoro si fessa reponens
4 Declinem in placidos nutantia lumina somnos;
5 Apta tuo mihi quam fuerit, Deus, area templo
In cultus inventa tuos. 6 Sic ore profatus,
Fatidico afflari sensit se numine; certisque
Agnovit te velle notis, ut, frondea latis
In campis ubi silva fuit, templo Ephrata sedem
Cede-

* Hunc locum *& requiem temporibus meis* ignorant Hebræus, Chaldæus & Syrus. E Theodotionis versione in 70. Interpretum codices irrepsisse videtur. In Hexaplis Origenianis obelo notabatur, ut additus esse demonstraretur ad auxesin quandam, inquit Genebrardus. Erat enim ingens Davidis ardor ad templum Domino ædificandum; qui quum fuisset divino oraculo prohibitus, testamento tamen reliquit locupletissimam materiam & exemplar, ordinum Leviticorum formam & rationem, ministeriorum fundationes, & redditus, reique divinæ solemnia & ritus.

Cederet: 7 ergo alacri penetralia in intima gressu
Ibimus, inque loco, quo tu vestigia fixti,
Nos humiles prono dabimus, Deus, oscula vultu:
8 Tuque adeo augusti subeas jam limina templi,
Et tecum heic pariter maneat venerabilis arca,
Testatura tuum per secla perennia fœdus.
9 Vestibus indutus niveis huc dona sacerdos
Intemerata ferat, justique altaria circum
Lætitia exultent; 10 nec me pia vota ferentem
Despice, quem regem das gentibus, & cui David
Est genitor, te perpetuo complexus amore.
11 Huic tu non dubiis, tua qui non dicta retractas,
Vana nec esse sinis, jurasti talia verbis:
„ Progenies exorta tua de stirpe paterni
„ Conscendet regni solium, 12 quæ fœderis isti
„ Si non rescindet solemnia pacta, sacrósque,
„ Quos ego præcipio, puro si pectore ritus
„ Servabit, 13 sua posteritas, serique nepotes,
„ Donec flammiferas sol egerit axe quadrigas,
„ Heredes regni sceptro potientur avito.
14 15 „ Ipse mihi elegi jucundam in rupe Sionis,
„ Quam colerem sine fine domum, æternaque manebit
„ Relligione sacer locus hic: 16 dabo, copia frugum
„ Ut gentis locupletet agros, atque ubere pascam
„ Victu inopes; 17 quibus at sacri custodia templi est
„ Credita, conspicua ornabo virtute ministros;
„ Perfundamque piis mira dulcedine pectus.
18 „ Per me Davidico de semine germen in auras
„ Invictum surget, lateque extendet in omnes
„ Augusta imperium populos e sede, nitenti
„ Quæ

7 Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.

8 Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tua.

9 Sacerdotes tui induantur justitiam, & sancti tui exultent.

10 Propter David servum tuum, non avertas faciem Christi tui.

11 Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eam, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

12 Si custodierint filii tui testamentum meum, & testimonia mea hæc, quæ docebo eos.

13 Et filii eorum usque in seculum, sedebunt super sedem tuam.

14 Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi.

15 Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.

16 Viduam ejus benedicens benedicam, *pauperes ejus saturabo panibus.*

17 Sacerdotes ejus induam salutari, & sancti ejus exultatione exultabunt.

18 Illuc producam cornu David, *paravi lucernam Christo meo.*

v. 16. *Hebr. Venationi ejus, idest esca, victui benedicam: annonam ejus felicitate cumulabo.*
v. 18. *Hebr. Illic germinare faciam robur David.*

„ Quæ luce exſuperet ſtellas flammantis Olympi.

19 Inimicos ejus induam confuſione, ſuper ipſum autem efflorebit ſanctificatio mea.

19 „ Aſt ignominia cumulatis hoſtibus ora
„ Inficiet turpis pudor, infamique tegentur
„ Dedecore; æternùm proles Jeſſæa vigebit,
„ Majeſtaſque ſui ſtabit per ſecula regni.

PSALMUS CXXXII.

Mutuam animorum conjunctionem, ac pacem inter proximos ſummis laudibus extollit.

1 Ecce quam bonum, & quam jucundum, habitare fratres in unum.

2 Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron.

3 Quod deſcendit in oram veſtimenti ejus, ſicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion.

4 Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, & vitam uſque in ſeculum.

1 NIl fratrum amore mutuo,
Concordiaque eſt dulcius:
2 Non unguinis ſuaviſſimus
Liquor, ſacrum qui in verticem
Aronis olim uberrimè
Fuſus cadentem in pectora
Barbam, 3 ſinuſque, & ultimas
Reſperſit oras veſtium:
Non ros Sionem, aut Hermonem
Grata irrigans aſpergine,
Et vivido recentia
Colore pingens gramina.
4 Nam quos amoris vincula
Arcto ligarunt fœdere,
Hos numen indulgentius
Spectat, boniſque largius
Auget, pios in omnia
Servans nepotes ſecula.

PSAL-

v. 19. *Hebr. Diadema ipſius.* Regni illius gloria nullo unquam tempore infirmanda erit.

PSALMUS CXXXIII.

Hortatur Levitas, & alios viros religiosos, qui noctu vigilias agebant in templo, ut precibus atque hymnis Deum ibidem venerentur. Hic Psalmus praecedentium Gradualium conclusio, & quasi epitome est.

1 VOs o ministri, forte lecti, numinis,
Almæ qui in ædis excubatis atrio,
2 3 Efferte magnis, eja, nunc præconiis
Rerum potentem, dum silet nox, arbitrum,
Manusque ad illum supplices attollite,
Suum invocantes more numen patrio.
4 At ipse, cœli quo creante prodiit
Terræque moles, munerum cœlestium,
Terrestriumque vos beabit copia.

1 Ecce nunc benedicite Dominum, omnes servi Domini.
2 Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.
3 In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.
4 Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cœlum, & terram.

PSALMUS CXXXIV.

Ad Dei encomia sacerdotes invitat. Præcipua divinæ potestatis munera, & erga Israelem beneficia recitat, Idolorum inanitatem, eaque colentes deridens. Ultima hujus carminis pars eadem ferme est, ac Psalmi CXIII. finis. Quæ de falsis numinibus, deque Dei potestate dicuntur e capite X. Jeremiæ sumpta sunt. His indiciis nonnulli eruunt, scriptum esse post captivitatem, & forte etiam in secundi templi dedicatione, licet alii aliter opinentur.

1 2 VOs, eja, nomen laudibus inclytum
Magni Tonantis tollite, queis sacri
Custodiendi cura templi
Sorte datur nimium beata:
Vos, qui sacratæ semper in atrio
Manetis ædis, quosque negotia
Profana non turbant, 3 verendi
Dulce Patris memorate nomen.

1 Laudate nomen Domini, laudate servi Dominum.
2 Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.
3 Laudate Dominum, quia bonus Dominus, psallite nomini ejus, quoniam suave.

4 Quoniam Jacob elegit sibi Dominus, Israel in possessionem sibi.

5 Quia ego cognovi, quod magnus est Dominus, & Deus noster præ omnibus diis

6 Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit in cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis.

7 Educens nubes ab extremo terræ, fulgura in pluviam fecit.

8 Qui producit ventos de thesauris suis, qui percussit primogenita Ægypti ab homine usque ad pecus.

9 Et misit signa & prodigia in medio tui Ægypte, in Pharaonem, & in omnes servos ejus.

10 Qui percussit gentes multas, & occidit reges fortes.

11 Sehon regem Amorrhæorum, & Og regem Basan, & omnia regna Chanaan.

12 Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Israel populo suo.

4 Namque ipse castam moribus Isaci
Selegit ultro progeniem sibi,
Ejusque venturos nepotes
Perpetuo sibi amore junxit.
5 Nosco, potestas quanta sit Illius,
Quem nostra votis gens colit; & Deos
Immanè quam vincat, tremenda
Facta suæ docuere dextræ.
6 Namque ipse nutu temperat, ut libet,
Immensa quidquid continet ætheris
Terræque moles, turbidumque
Æquor, & horrificis repostum
Siquod tenebris occulitur chaos:
7 Ille & vapores elevat humidos
E terra, & in nubes acervat
Aera per liquidum volantes,
Solvitque in imbres fulgure prævio:
8 Ventos ab antris ipse latentibus
Educit, includitque rursum
Carceribus resides profundis.
Letho universos ille hominum dedit
Fœtus priores, & pecudum simul
Feracis Ægypti per oras,
9 Horrificis Pharaona signis,
Ejusque terrens oppida, fortium
Quem non tueri pectora militum,
Non arma, non currus volucres
A subito valuere ponti
Fluxu: 10 ille gentes innumerabiles
Nostram perosas & patriam, & genus
Delevit, incassumque fortes
Traxit in exitium tyrannos,
11 Seonem & Ogum; fertilibus Basan
Hunc imperantem finibus, alterum
Prementem Amorrhæos superbo
Imperio: &, Chananæa quotquot
Reges habebat bellipotens plaga,
Prostravit armis, 12 arvaque tradidit,
Priore depulso colono,
Isaciæ soboli occupanda.

13 Te

13 Te, sancte Olympi rector, in omnia
Laudabit orbis secula, nec tuum
Oblivio nomen nepotum
Eximere ex animis valebit.
14 Tu nos ab hostis, quo premimur diu,
Emancipabis servitio, Deus,
Tuosque te rite invocantes
Æquior aspicies clientes.
15 At Dî, profanæ thura adolent quibus
Sabæa gentes, votaque nuncupant,
Nil præter argentum vel aurum
Sunt, hominum in simulacra dextris
Redactum: 16 inane his vocis, & impotens
Oracla rebus reddere in anxiis
Os est, nec aspectare quidquam
Fas oculis, 17 penitusque surda
Captare nullos aure valent sonos;
Haud nare odores percipiunt, suo
Ab ore non reddunt, nec auras
Aeris accipiunt vicissim.
18 Sic degat ævum, qui temerarius
Istas Deorum conflat imagines,
Et quisquis hinc rebus levamen
In miseris sibi sperat excors.
19 Judæ atque Aronis tu domus inclytă,
20 Genusque Levi proximius Deo,
Et optimum quotquot pudico
Pectore diligitis Parentem,
Deo perennes reddite gratias,
21 Illique lætis plaudite cantibus,
E colle qui celso Sionis
Isacias moderatur urbes.

13 Domine, nomen tuum in æternum, Domine memoriale tuum in generatione & generationem.

14 Quia judicabit Dominus populum suum, & in servis suis deprecabitur.

15 Simulacra gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum.

16 Os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt.

*17 Aures habent, & non audient, * neque enim est spiritus in ore ipsorum.*

18 Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.

19 Domus Israel benedicite Domino, domus Aaron benedicite Domino.

20 Domus Levi benedicite Domino, qui timetis Dominum benedicite Domino.

21 Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Jerusalem.

* Ad hunc versiculum D. Augustinus addit, *nares habent, & non odorabunt.*

PSALMUS CXXXV.

Superioris Psalmi repetitio ferme est, interjecto singulis versiculis intercalari hemistichio : Quoniam in æternum misericordia ejus . *Hoc fortasse iterabat populus , postquam primam versiculi partem Levitæ cecinerant . Videtur esse e genere Psalmorum Liturgicorum , qui in supplicationibus publicis ab Hebræis recitabantur , ut fit in nostris Litaniis : hinc potius pia populi precatio , quam hymnus poeticus censendus est .*

1 Confitemini Domino , quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia ejus.

1 MUltà tibi facili largitum munerà dextrà,
O gens Abramidum , rerum dic læta Parentem ,
Nato sua non ullo bonitas intercidet ævo .

2 Confitemini Deo deorum, quoniam in æternum misericordia ejus.

2 Eja Deum spatiis immanibus anteeuntem
Numina , quæ finxit mens impia , laudibus orna ;
Nam sua non ullo bonitas intercidet ævo .

3 Confitemini Domino dominorum , quoniam in æternum misericordia ejus.

3 Cujus ad imperium regalia sceptra tyranni
Subjiciunt , sacros domino fer laudis honores ,
Nam sua non ullo bonitas intercidet ævo .

4 Qui fecit mirabilia magna solus , quoniam in æternum misericordia ejus.

4 Prodigiis unus qui mundum ingentibus implet ,
Humanas alta quatiens formidine mentes ,
Nam sua non ullo bonitas intercidet ævo .

5 Qui fecit cœlos in intellectu , quoniam in æternum misericordia ejus.

5 Illius e nihilo traxit sapientia mundum ,
Inque orbes cœlum immensos revolubile flexit ,
Nam sua non ullo bonitas intercidet ævo .

6 Qui firmavit terram super aquas, quoniam in æternum misericordia ejus.

6 Cinctam ille instabili terram consistere ponto
Jussit , & undisonos ripis avertere fluctus ,
Nam sua non ullo bonitas intercidet ævo .

7 Qui fecit luminaria magna , quoniam in æternum misericordia ejus.

7 Ille duo , immensi queis alta superbit Olympi
Regia , in æthereis accendit lumina campis ,
Nam sua non ullo bonitas intercidet ævo .

8 Solem in potestatem diei, quoniam in æternum misericordia ejus.

8 Solem ille auricomæ spargentem vivida lucis
Spicula surgenti jussit dare jura diei ,
Nam sua non ullo bonitas intercidet ævo .

9 Lunam, & stellas in potestatem noctis , quoniam in æternum misericordia ejus ;

9 Ille dedit lunæ , lateque vagantibus astris ,
Ut tacitæ regerent labentia tempora noctis ;
Nam sua non ullo bonitas intercidet ævo .

10 Ille

10 Ille omnes, primo quos nasci Ægyptia partu
Aspexit tellus, tristem demisit ad orcum,
Nam sua non ullo bonitas intercidet ævo.
11 At salvos medio Isacidas ex hoste recepit,
Nam sua non ullo bonitas intercidet ævo.
12 Et dextræ omnipotentis fulminea eripuit vi,
Nam sua non ullo bonitas intercidet ævo,
13 Ille mare in geminos rubrum divisit acervos,
Nam sua non ullo bonitas intercidet ævo.
14 Et media Isacidas per cærula duxit euntes,
Nam sua non ullo bonitas intercidet ævo.
15 At Pharaona ausum pervadere non sibi secta
Æquora belligeræ mersit cum robore pubis,
Nam sua non ullo bonitas intercidet ævo.
16 Deinde suam duxit deserta per avia gentem,
Inque quater denos erranti præfuit annos,
Nam sua non ullo bonitas intercidet ævo.
17 Magnos ille gravi confodit vulnere reges,
Nam sua non ullo bonitas intercidet ævo.
18 Et valida fretos stravit virtute tyrannos,
Nam sua non ullo bonitas intercidet ævo.
19 Gentis Amorrheæ dominum Seona peremit,
Nam sua non ullo bonitas intercidet ævo.
20 Basanisque jugis regnantem contudit Ogum,
Nam sua non ullo bonitas intercidet ævo.
21 Intulit ille novos in barbara regna colonos,
Nam sua non ullo bonitas intercidet ævo.
22 Isaciæque dedit, veluti patrimonia, genti,
Nam sua non ullo bonitas intercidet ævo.
23 Ille sui ærumnas populi miseratus, acerbis
Affuit in rebus memor, erexitque jacentem,
Nam sua non ullo bonitas intercidet ævo.
24 Eripuitque feri trepidantem e faucibus hostis,
Nam sua non ullo bonitas intercidet ævo.
25 Suppeditat cunctis largè viventibus escam
Ille bonus, vigilique fovet mortalia cura,
Nam sua non ullo bonitas intercidet ævo.
26 Omnes ergo Deo, nitidis qui maximus astris
Præsidet, unanimi laudes, age, dicite cantu,
Nam sua non ullo bonitas intercidet ævo.

10 Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum, quoniam in æternum misericordia ejus.

11 Qui eduxit Israel de medio eorum, quoniam in æternum misericordia ejus.

12 In manu potenti, & brachio excelso, quoniam in æternum misericordia ejus.

13 Qui divisit mare rubrum in divisiones, quoniam in æternum misericord. ejus.

14 Et eduxit Israel per medium ejus, quoniam in æternum misericordia ejus.

15. Et excussit Pharaonem, & virtutem ejus in mari rubro, quoniam in æternum misericordia ejus.

16 Qui traduxit populum suum per desertum, quoniam in æternum misericord. ejus.

17 Qui percussit reges magnos, quoniam in æternum misericordia ejus.

18 Et occidit reges fortes, quoniam in æternum misericordia ejus.

19 Sehon regem Amorrhæorum, quoniam in æternum misericordia ejus.

20 Et Og regem Basan, quoniam in æternum misericordia ejus.

21 Et dedit terram eorum hæreditatem, quoniam in æternum misericordia ejus.

22 Hæreditatem Israel servo suo, quoniam in æternum misericordia ejus.

23 Quia in humilitate nostra memor fuit nostri, quoniam in æternum misericordia ejus.

24 Et redemit nos ab inimicis nostris, quoniam in æternum misericordia ejus.

25 Qui dat escam omni carni, quoniam in æternum misericordia ejus.

26 Confitemini Deo cœli,

quoniam in æternum misericordia ejus.

27 Confitemini Domino dominorum, quoniam in æternum misericordia ejus.

27 Et cui se domini subdunt, regesque potentes,
Tot pro muneribus læti persolvite grates.
Nam sua non ullo bonitas intercidet ævo,

PSALMUS CXXXVI.

Gens Judaica in Babylonicam captivitatem abducta commemorat hoc dulcissimo carmine luctum & mærorem suum, & prædicit excisionem imperii Chaldæorum.

1 Super flumina Babylonis, illic sedimus & flevimus, cum recordaremur Sion.

1 Extorres dulci a patria dum forte sedemus
Captivi, pressique malis Euphratis ad undam,
Uberibus lacrymis perfudimus ora, gravique
Singultu, & mœstis implevimus arva querelis.
Namque animo miseranda Sion, disjectaque moles
Se templi exhibuit: 2 turpi obsita pulvere ramis

2 In salicibus in medio ejus, suspendimus organa nostra.

Nablia pendebant salicum, abjectæque tacebant
Auris ludibrium citharæ, 3 quum prædo cruentus,

3 Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum.

Captivos patriis qui nos abduxit ab oris,
Vastavitque solum ferro populatus & igni,
Exigit a miseris in tanto carmina luctu:

4 Et qui abduxerunt nos, hymnum cantate nobis de canticis Sion.

4 „ Concinite, ajebat, semotis pectore curis,
„ Ad patrios inflexa modos quæ carmina quondam
„ Incolumi templo cecinistis & arce Sionis.

5 Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?

5 Ergone, lascivis resonat quæ cantibus, hymnos
Impia divinos regio audiet, atque superbis
Carmine suaviloquo mulcebimus hostibus aures?

6 Si oblitus fuero tui, Jerusalem oblivioni detur dextera mea.

6 O Solyma! O domus æterno dilecta Tonanti,
Si me indigna tui capient oblivia, dulcem
Dedi-

v. 2. Chaldæus *citharas nostras*. Hebræa vox *Kinnor*, quæ reddi solet genericè musica instrumenta, propriè sonat veterum lyram, seu citharam.

v. 6. *Chaldæus. Obstupescat mihi dextera*, vel *percussa paralysi motu careat*. Dexteræ meminit, quia est pulsationis instrumentum.

Dediſcam pulſare chelyn, digitique rigentes
Obſtupeant: 7 torpens algenti lingua palato
Hæreat, inque alacres poſthac exſolvere cantus
Haud valeam; ſi te immemori de pectore ponam;
8 Poſtque mihi has lacrymas ſi gaudia prima, modoſque
Non tu ſuppedites ſceptris, Solyma alta, receptis,
Erectoque iterum templo, & ſolemnibus aris.
9 At tu ſancte Parens, ſi juſta precamur, inultum
Gentis Idumeæ facinus ne linque, ferocem
In nos quæ exacuit ſtimulis haud ſegnibus hoſtem.
10 „ Ardua, clamabant, evertite funditus urbis
„ Mœnia, & in tectis argenti quidquid & auri
„ Congeſſit multos gens fortunata per annos,
„ Diripite, Iſacidaſque omnes extinguite ferro.
11 O Babylon, noſtro quæ paſceris effera luctu,
Tu quoque tu ſimili procumbes preſſa ruina.
Felix, qui noſtras clades ulturus, acerbo
Te dabit exitio, proque his qui præmia factis
Digna tibi referens 12 materno ex ubere flentes
Barbarus avellet pueros, & ad aſpera ſaxa
Tenvia confringet diſperſo membra cruore!

7 Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui.

8 Si non propoſuero Jeruſalem, in principio lætitiæ meæ.

9 Memor eſto Domine filiorum Edom, in die Jeruſalem.

10 *Qui dicunt*, exinanite, exinanite *uſque ad fundamentum in ea.*

11 Filia Babylonis miſera, beatus, qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis.

12 Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram.



R 4 PSAL-

v. 10. *Hebr. Nudate, nudate* ad literam, ideſt vaſtate, quouſque defoſſum & detectum fuerit fundamentum.

PSALMUS CXXXVII.

A Deo adjutus, multisque ab eo beneficiis affectus ei gratias agit, & confidit, se in posterum ab eodem a quacumque liberatum iri calamitate.

1 Confitebor tibi Domine in toto corde meo, quoniam audisti verba oris mei.

1 PAr est, pro meritis me tibi ab intimo
Grates corde, Deus, reddere; nam precum
Indulgentior excipis
Semper vota mearum.

2 In conspectu Angelorum: *psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.*

2 Coram sceptriferis regibus inclyta
Te dicam cithara, templum oculis tuum
Spectans, atque tremendum
Numen mente recogitans.

3 Super misericordia tua, & veritate tua, quoniam magnificasti super omne, nomen sanctum tuum.

3 Argumenta sacris carminibus dabunt,
Qua me prosequeris, mira benignitas,
Verumque inviolata
Fulgens perpetuò fide.
Vivax fama tui nominis undique
Immortale decus distulit, & tuis
Late laudibus Ortus
Se replevit, & Occidens.

4 In quacumque die invocavero te, exaudi me, multiplicabis in anima mea virtutem.

4 Te rebus quoties invoco in arduis,
Audi me placidis auribus; in mea
Sic præcordia se se
Virtus injiciet nova.

5 Confiteantur tibi Domine omnes reges terræ, quia audierunt omnia verba oris tui.

5 Reges purpureo syrmate splendidi
Ultro subjicient se tibi, quum tua
Te promissa tenaci
Præstare audierint fide;

6 Et cantent in viis Domini, quoniam magna est gloria Domini.

6 Imbutique novis pectora ritibus
Laudum perpetua te serie canent;
Majestate verenda
Sceptrisque attoniti tuis.

7 Quoniam excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta a longe cognoscit.

7 Quamvis sidereæ, nullius indigus,
Arcis summa tenes, hinc humiles tamen
Æquo

v. 2. *Hebr. Deorum*, hoc est principum, vel judicum, licet *Elohim* & Angelos possit significare.

Æquo lumine ſpectas,
Elatoſque animo premis.
8 Vultu ſæva licet terreat aſpero
Me ſors, tutus ero te duce; ab hoſtium
Diro dextra furore
Me namque eripiet tua.
9 Tu, qui in cuncta bonus ſecula permanes,
Hoſtes afficies ſupplicio meos;
At nos facta tuæ non
Dedignabere dexteræ.

8 Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me, & ſuper iram inimicorum meorum extendiſti manum tuam, & ſalvum me fecit dextera tua.

9 Dominus retribuet pro me, Domine miſericordia tua in ſeculum, opera manuum tuarum ne deſpicias.

PSALMUS CXXXVIII.

Divinæ mentis omniſcientiam; quæ res obſcuriſſimas remotiſſimaſque pervadit, eximiè commendat. Piorum hominum multitudini, quorum dignitatem admiratur conſociari deſiderat. Averſionem ſuam erga impios declarat, a quibus ſegregari petit, ſuamque apud Deum vitæ innocentiam profitetur.

1 2 TU meæ, o rerum Pater; acta vitæ
Cuncta cognoſcis ſeriemque; feſſos
Sive enim paulùm relevem ſedendo
Corporis artus;
Sive ego ſurgam, gradiarque, acuto
Mentis obtutu ſpecularis, atque
Ipſa ſunt noſtræ tibi cogitata
Pervia mentis.
3 Prævides, quæ me via ducet, & quot
Moliar greſſus, minimuſque linguæ
Te meæ haud fallit ſonus audientem
Ante loquendum.
4 Tu meos vultus, humeroſque, & artus
Ceteros, tamquam figulus, ſequenti
Qui luto formam dare novit, aptè
Compoſuiſti:

5 Sic

1 Domine probaſti me, & cognoviſti me, tu cognoviſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam.

2 Intellexiſti cogitationes meas de longe, ſemitam meam, & funiculum meum inveſtigaſti.

3 Et omnes vias meas prævidiſti, quia non eſt ſermo in lingua mea.

4 *Ecce Domine*, tu cognoviſti omnia noviſſima, & antiqua *tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam.*

v. 4. *Hebr. Ante & retro formaſti me*, per quod antica & poſtica corporis pars innuitur.

5 *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, & non potero ad eam.*

5 Sic opus mira sapienter hoc est
Arte compactum, nequeant ut ullæ
Ingenî vires penetrare tantos
In labyrinthos.

6 *Quo ibo a spiritu tuo? & quo a facie tua fugiam?*

6 Ergo me in quosnam valeam recessus
Abdere abstrusos adeo, latenti
Quin mihi occurras, quibus aut opertus
Occular umbris?

7 *Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum, ades.*

7 Alitis ritu superos Olympi
Si petam tractus, ades heic; in imum
Si ferar terræ barathrum, heic videndum
Te quoque præbes.

8 *Si sumpsero* pennas meas diluculo, *& habitavero in extremis maris.*

9 *Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.*

10 *Et dixi, forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in deliciis meis.*

8 Me citis Eos rapiat quadrigis
Usque ad extremum occidui Profundi
Litus, 9 occulto tua me reducet
Robore dextra.

10 Forte si credam, quod opaca densis
Conteget me nox tenebris, ineptè
Cogitem; nam nox tibi nostra nullas
Parturit umbras.

11 *Quia tenebræ non obscurabuntur a te, & nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.*

11 Te penes non sunt tenebræ, nec ulla
Objicit se se tibi noctis umbra;
Aspicis sic tu in tenebris, ut ipsa in
Luce diei.

12 *Quia tu possedisti renes meos,* suscepisti me de utero matris meæ.

12 Tu mei arcanum penetrale lustras
Cordis, & fibras specularis omnes,
Meque contexti cutis involucro
Matris in alvo.

13 *Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua, & anima mea cognoscit nimis.*

13 Laude te insigni celebrabo, qui sic
Mirus appares opifex, tuæque
Facta ego semper metuenda dextræ
Mente revolvam.

14 *Non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto, & substantia mea in inferioribus terræ.*

14 Corporis venæ, arteriæque, & ossa
Nulla te nostri fugiunt, & omnes
Inspicis nexus, neque septa nostri
Pectoris obstant.

Illane obstarent tibi conditori
Pectoris? qui me magis in remota

Sede

v. 8. *Hebr. Alas auroræ.*
v. 12. *Hebr. Operuisti me in utero matris meæ.*

Sede formasti, velut inter imæ
Viscera terræ.

15 Prima quum cœpi rudis esse moles;
Videras artus quoque tunc futuri
Rite descriptos hominis, statumque
Corporis omnem,
Quid dies membris foret additura
Noveras, nec te mihi præstituti
Una lux ævi, minima aut latebat
Temporis hora.

16 Pro! tuos quanta decoras amicos
Gloria, & quanto cumulas acervo
Munerum! Anne hujus numerum quis ausit
Dicere cœtus?

17 Corpora exilis numerare arenæ
Ante ego possim, mare quæ revolvit
Litore in vasto, numerum tuæ quam
Gentis inire.
Huic ut accedam comes allaboro,
Curaque hæc semper vigilem fatigat;
Hinc tibi firmo mea mens amoris
Fœdere adhæret.

18 Ultor o quando scelerum tremende
Impios plectes, cupidosque cædis
In fugam vertes 19 temere insequentes
Teque, Tuosque?

20 Nonne, quos vidi tibi perduelles,
Oderam? Non me tuus hostis hostem
Sensit? 21 Hos odi, & mihi pectus acri
Ferbuit ira.

22 Tu mei, quem nil fugit intuentem,
Cordis explora latebras, sinusque
Usque ad arcanos penetra, meosque
Inspice gressus.

23 Inspice, & fraudis scelerumque tortos
Forte si calles sequor, impiorum
Pœna me sontem pariter sequatur
Debita factis.

15 Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur, dies formabuntur, & nemo in eis.

16 Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.

17 Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur, exsurrexi, & adhuc sum tecum.

18 Si occideris Deus peccatores, viri sanguinum declinate a me.

19 Quia dicitis in cogitatione, accipient in vanitate civitates tuas.

20 Nonne qui oderunt te Domine oderam, & super inimicos tuos tabescebam?

21 Perfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi.

22 Proba me Deus, & scito cor meum, interroga me, & cognosce semitas meas.

23 Et vide, si via iniquitatis in me est, & deduc me in via æterna.*

v. 19. Hebr. *Qui injustè insurgunt adversum te, ut iniquè capiant civitates tuas.*

* Quidam cum David Kimchi sic vertunt: *per viam seculi*

PSALMUS CXXXIX.

Orat Deum, ut impiorum laqueis se se solvat, quorum exitium vaticinatur, Deique justitiam expectat.

1 *Eripe me Domine ab homine malo, a viro iniquo eripe me.*

2 *Qui cogitaverunt iniquitates in corde, tota die constituebant prælia.*

3 *Acuerunt linguae suas sicut serpentis, venenum aspidum sub labiis eorum.*

4 *Custodi me Domine de manu peccatoris, & ab hominibus iniquis eripe me.*

5 *Qui cogitaverunt supplantare gressus meos, absconderunt superbi laqueum mihi.*

6 *Et funes extenderunt in laqueum, juxta iter scandalum posuerunt mihi.*

7 *Dixi Domino, Deus meus es tu, exaudi Domine vocem deprecationis meæ.*

8 *Domine Domine virtus salutis meæ, obumbrasti super caput meum in die belli.*

9 *Ne tradas me Domine a desiderio meo peccatori, cogitaverunt contra me, ne derelinquas me, ne forte exaltentur.*

10 *Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos.*

1 TU sancte o Genitor, cui rerum æterna potestas,
Ab impii me sospitem
Redde furore viri,
2 Consilia in nostram qui pervigil usque ruinam
Vafro revolvit pectore,
Bellaque dira ciet;
3 Qui linguam vibrat, velut horridus ore trisulco
Serpens, & in me livido
Virus ab ore vomit.
4 Tu dextris hominum violentis eripe custos,
Nec improborum callida
Me, sine, fraude capi;
5 Qui noxæ cupidi vestigia semper acuto
Mea intuentur lumine,
6 Retiaque ante pedes
Cæca mihi laqueosque locant; 7 tamen ipse periclis
In tot vocavi te Deus:
Supplicis ergo preces
Tu bonus exaudi, 8 qui spes immota salutis,
Quem prælientem numinis
Protegit umbra tui.
9 Ne sit votorum compos ferus hostis; at illa
Frustrare, clade ne mea
Forte superbus eat.
10 Pestifera auctores linguæ fac tela cruentent

Me

seculi deduc me, idest in mortem, quæ dicitur via universæ terræ, quasi diceret. ,, *Vide, an sim in perversa vivendi ratione, & si talis fuerim, æquo patiar animo, ut morte aliorum impiorum me occidas.*

* Ex verbis hujus versiculi præter alios sensus hic etiam potest erui: ,, *Mala quæ mihi moliuntur, & nequitia illorum pœna in ipsos cadat.*

Me molientis perdere;
11 Horrificùmque tonans
Fulmineis fontes petat ignibus ultor Olympus,
Absorbeatque in intimos,
Atra vorago sinus.
12 Læta obtrectantes non longùm sorte fruentur,
Et fraudulentis imminet
Certa ruina viris.
13 At tibi dilectos inopes solabere, & ultor
Contra impotentum injurias
Suppeditabis opem.
14 Tunc grates servata tibi pia turba rependet,
Tibique præsenti Deo
Carmina læta canet.

11 Cadent super eos carbones, in ignem dejicies eos, in miseriis non subsistent.

12 Vir linguosus non dirigetur in terra, *virum injustum mala capient in interitu.*

13 Cognovi, quia faciet Dominus judicium inopis, & vindictam pauperum.

14 Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo, & habitabunt recti cum vultu tuo.

PSALMUS CXL.

Orat Deum, ut a malorum hominum consuetudine se liberet; quorum laudibus justorum objurgationes præferre se dicit, utque ab improbis paratas sibi insidias effugiat, petit.

1 DUm te alto gemitu pectoris invoco,
Aurem, sancte Parens, da facilem mihi;
2 Sublatisque tibi verba precantia
Quæ fundo manibus sic bonus accipe,
Ac si te colerem thuris honoribus
Mane, aut noctifero vespere victima.
3 Frænis ora, precor, tu mea comprime,
Et circum validis claude repagulis:
4 Ne mens justitiam deserat, aut viam
Erroris teneat: 5 nil mihi cum malis
Sit commune viris, splendida non domus;
Non

1 Domine clamavi ad te, exaudi me, intende voci meæ, cum clamavero ad te.

2 Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.

3 Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.

4 Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.

5 Cum hominibus operantibus iniquitatem, & non communicabo cum electis eorum.

v. 11. *Hebr. E foveis*, in quas illos dejeceris, *non emergent.*

v. 12. *Hebr. Vir linguæ non firmabitur in terra, non stabilietur.*

v. 4. *Hebr. In rem*, vel *verbum malum, ad moliendum consilia in iniquitate.*

v. 5. *Non comedam de cibis illorum exquisitissimis.*

6 Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

7 Quoniam adhuc & oratio mea in beneplacitis eorum, absorpti sunt juncti petra judices eorum.

8 *Audient verba mea, quoniam potuerunt*, sicut crassitudo terræ erupta est super terram.

9 Dissipata sunt ossa nostra secus infernum; *quia ad te Domine, Domine oculi mei, in te speravi, non auferas animam meam.*

10 Custodi me a laqueo, quem statuerunt mihi, & a scandalis operantium iniquitatem.

11 Cadent in retiaculo ejus peccatores, singulariter sum ego, donec transeam.

Non dulces epulæ: 6 me bonus increpet,
Me virgis feriat malo, suavibus
Quam me blanditiis mulceat improbus,
Ungentisque comam mollibus illinat.
7 Fac, gentis Proceres impiæ ab arduis
Dejecti salebris in barathrum ruant;
8 9 Verborumque animus sit memor, auribus
Quæ surdis toties irrita protuli.
Duris agricolûm quale ligonibus
Glebæ dissiliunt, sic mihi corporis
Compages misero pene resolvitur,
Atque ossa assiduus comminuit dolor.
Attollo ast oculos ad te ego vindicem,
Qui spes una manes, o Deus: haud sine
Gens letho hanc animam tollat ut effera.
10 Tu me, quæso, dolis eripe, quos struunt,
Atque omnes laqueos frange nocentium:
11 At se illi in proprias injiciant plagas,
Salvumque aspiciant munere me tuo.

PSALMUS CXLI.

David in specu Engaddi a Saule circumsessus opem a Deo implorat, polliceturque, se illius laudes celebraturum, ubi præsens periculum evitaverit.

1 Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad Dominum deprecatus sum.

2 Effundo in conspectu ejus orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuntio.

3 In deficiendo ex me spiritum meum, & tu cognovisti semitas meas.

1 Quo lateo, Deus alme, tuum voco numen ab antro,
Singultusque, inter singula verba, traho.
2 Cum precibus spargo lacrymas, ægroque latentes
Curas corde tua pando levandus ope.
3 Jam prope deficio luctu prostratus acerbo,
Et mea vitalis vix fovet ossa calor.
Quæ mihi sit vitæ ratio, Deus optime, nosti,
Quamque sit a culpa mens aliena vides.

4 Gens

v. 8. & 9. *Quemadmodum arator, cum findit humum, dispersa sunt ossa nostra ad os inferi.*

4 Gens tamen abscondit mihi caecos impia casses,
Insidiasque struit gressibus usque meis.
5 In quascumque miser converto lumina partes,
Qui me soletur, nullus amicus adest.
6 Nulla fugae ratio superest, spes nulla salutis,
Curaque jam nulli est de capite ulla meo.
7 Te, mea spes, omnisque boni fons, invoco & uni
Supplex vota, comes dum mihi vita, feram.
8 Ergo bonus faciles adhibe clamoribus aures,
Nam nimiis languent pectora victa malis.
9 Hanc implacatis, Deus, hostibus eripe vitam,
Qui me arcti nimia vi, numeroque premunt.
10 Queis circumvenior, da saeva pericula vitem,
Ut pandam in laudes nominis ora tui.
Quum portum aspiciet me jam subiisse salutis
Gens pia te mecum voce lyraque canet.

4 In via hac, qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi.
5 Considerabam ad dexteram, & videbam, & non erat, qui cognosceret me.
6 Periit fuga a me, & non est, qui requirat animam meam.
7 Clamavi ad te Domine, dixi, tu es spes mea, portio mea in terra viventium.
8 Intende deprecationem meam, quia humiliatus sum nimis.
9 Libera me a persequentibus me, quia confortati sunt super me.
10 Educ de custodia *animam meam ad confitendum nomini tuo, me expectant justi, donec retribuas mihi.*

PSALMUS CXLII.

Contra hostium insectationem divinum invocat auxilium, oratque, ut vias suas sibi ostendat, hostiumque exitium praedicit.

1 AUre non dura gemitus precantis
Excipe, o rerum Genitor, tuoque
Ob tuam, quaeso, bonus aequitatem
Parce clienti.
2 Juris exacti mea ne rigore
Crimina expendas, neque me nocentem
Punias: nam quis sine labe coram
Se tibi sistet?
3 Imminet magnis mihi torvus hostis
Viribus, meque exagitat premitque,
4 Degere & caecis prope funeratum
Cogit in antris:

1 Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua, exaudi me in tua justitia.
2 Et non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.
3 Quia persecutus est inimicus animam meam; humiliavit in terra vitam meam.
4 Collocavit me in obscuris sicut mortuos seculi, & anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

5 Flu-

v. 10. *Hebr. Educ de clausura*, hoc est *de hac spelunca, & obsidione hostium*.

5 *Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis, in factis manuum tuarum meditabar.*

6 *Expandi manus meas ad te, anima mea, ſicut terra ſine aqua tibi.*

7 *Velociter exaudi me Domine, defecit ſpiritus meus.*

8 *Non avertas faciem tuam a me, & ſimilis ero deſcendentibus in lacum.*

9 *Auditam fac mihi mane miſericordiam tuam, quia in te ſperavi.*

10 *Notam fac mihi viam, in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam.*

11 *Eripe me de inimicis meis, Domine ad te confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.*

12 *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam, propter nomen tuum Domine, vivificabis me in æquitate tua.*

13 *Educes de tribulatione animam meam, & in miſericordia tua diſperdes inimicos meos.*

14 *Et perdes omnes, qui tribulant animam meam, quoniam ego ſervus tuus ſum.*

5 Fluctuans curis animus, metuque
Anxius triſti meminit priora
Secla, & ob noſtros tua quidquid egit
Dextera parentes.

6 Inde ſpes ſurgit; manibuſque paſſis
Sic tuum poſco auxilium, calore
Solis ut tellus nimio fatiſcens
Poſtulat imbres.

7 Ergo me exaudi properè, malorum
Vaſta nam moles animum fatigat;
8 Meque, ſi vultum retrahas, profundus
Hauriet orcus.

9 Ocius ſignum, mea ſpes, amoris
Exhibe, 10 & tutos mihi pande calles;
Namque te in tantis mea mens periclis
Reſpicit unum.

11 Impii diris manibus tyranni,
Nam tuam fidens fugio ſub umbram,
Eripe; & quando mihi ſolus ipſe es
Rexque Deuſque,

Fac tuæ legis veneranda juſſa
Ut te ego ediſcam docilis magiſtro,
12 Et tui aſpiret mihi perbeata
Numinis aura.

Illa me in ſedes patrias reducet,
Et tui propter decus, æque judex,
Nominis vitæ mihi ſemivivo
Munera reddes.

13 Liberum curis ſolito favore
Me tege; 14 at, ſervum tua qui colentem
Numina affligant, cohibe flagellis
Acribus hoſtes.

PSALMUS CXLIII.

Adversus infideles hostes, a quibus obsidebatur, opem divinam invocat, additque, omnes istorum fortunas & opes vanas esse, veramque hominis felicitatem in solo Deo positam esse.

1 QUa laude mundi te sator optime
In astra tollam, qui mihi roboras
Virtute pectus, qui movenda
Das habilem mihi ad arma dextram?
2 Tuo ipse præsens me clypeo tegis
Hostes ruentem per medios: 3 meæ
Tu spes salutis, qui regendas
Cum populis mihi tradis urbes.
4 Quid stirps Adami est? Quidve ego tantula
Pars, ut tot ultro me afficias bonis,
Tuoque non cesses favore
In trepidis mihi adesse rebus?
5 Homo haud vapori discrepat, ignea
Quem sol calescens attenuat face,
Umbræque, quam vesper resolvit
Adveniens, similis recedit.
6 Descende vectus nubibus ardua
Ex arce coeli, summaque montium
Involve stridentis procellæ
Vi subita, piceoque fumo.
7 Alto vibratum fulgur ab æthere
Metum scelestis inferat, & fugæ
Dent terga; dispersosque telis
Obrue, præcipitique nimbo.
8 Extende dextram sed mihi, & eripe
Curarum ab imo gurgite; 9 nec premat

S Assue-

1 *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.*

2 *Misericordia mea &* refugium meum, *susceptor meus, & liberator meus.*

3 *Protector meus, & in ipso speravi, qui subdit populum meum sub me.*

4 *Domine,* quid est homo, quia innotuisti ei? aut filius hominis, quia reputas eum?

5 * *Homo vanitati similis factus est, dies ejus sicut umbra prætereunt.*

6 *Domine, inclina cælos tuos, & descende, tange montes, & fumigabunt.*

7 *Fulgura coruscationem, & dissipabis eos, emitte sagittas tuas, & conturbabis eos.*

8 *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis, de manu filiorum alienorum.*

9 *Quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum, dextera iniquitatis.*

v. 2. *Hebr. Arx & scutum meum.*
v. 4. *Hebr. Quid est homo, & cognovisti eum: filius hominis? & cogitas de eo;* vel ut S. Augustin. legit *quia æstimas eum.*
* *Homo vapori assimilatus est,* Symmachus.

Aſſueta me gens fraudulento
Ore loqui, & ſceleri patrando
Parata ſemper: 10 carmine te, Deus,
Non uſitato gratus ego canam,
Teſtudinis dextra ſonoræ
Rite decem feriente chordas.
11 O qui potenti numine protegis,
Servaſque reges, quique periculis
E triſtibus vitam fidelis
Jeſſiadæ bonus abſtuliſti,
12 Gentis nefandæ tu violentiam
Compeſce, fraudes texere quæ malas
Juſtoque non horret cruore
Sacrilegam maculare dextram.
13 Faſtu hæc ſuperbo plena perambulat,
Multis quòd auxit prodiga ſors bonis:
Florente nam nati juventa,
Mobilibus velut uda rivis
Arbuſta, creſcunt; 14 formaque amabilis
Sic in decoris virginibus nitet,
Ut prima frons templi politis
Egregiè decorata ſaxis.
15 Sunt fœta opimis frugibus horrea;
Cellæ redundant melle, oleo, mero;
16 Armenta dum prolem propagant
Innumeram, herbiferiſque latè
Secura paſcunt ſaltubus, arvaque
Fortes aratro profubigunt boves;
17 Non mœnia hoſtis rumpit, altis
Non plateæ reſonant querelis.
18 Vocant beatum tot populum bona,
Tot poſſidentem commoda; rectius
Aſt occupat nomen beati
Rite colens populus Tonantem,

10 Deus, canticum novum cantabo tibi, in pſalterio decachordo pſallam tibi.

11 Qui das ſalutem regibus, qui redemiſti David ſervum tuum de gladio maligno eripe me.

12 Et erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum eſt vanitatem, & dextera eorum, dextera iniquitatis.

13 Quorum filii, ſicut novella plantationes in juventute ſua.

14 Filia eorum compoſita, circumornata, ut ſimilitudo templi.

15 Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud.

16 Oves eorum fœtoſa, abundantes in egreſſibus ſuis, boves eorum craſſa.

17 Non eſt ruina maceria, neque tranſitus, neque clamor in plateis eorum.

18 Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt, beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.

PSAL-

PSALMUS CXLIV.

Laudat Deum ob ejus immensam majestatem, potentiam, justitiam, sanctitatem, clementiam, ac bonitatem in omnes res creatas liberalissimè effusam. Psalmus Acrostichus.

1 Ætherei te sancte canam dominator Olympi,
Donec calor ossa fovebit:
2 Non illaudato mihi te lux effluet ulla,
Primus tu carmen, & unus
Semper eris: 3 sed quænam hominum facundia digno
Valeat te dicere cantu,
Magne Parens, cujus majestas inclyta metis
Haud circumscribitur ullis?
4 Dextræ facta tuæ natis præclara parentes
Prodent: 5 tua gloria cunctis
Perpetuò linguis celebrabitur; egregiumque
Decus, 6 & portenta per omnes
Vulgabit tua quisque plagas, viresque tremendas,
Queis magnum concutis orbem.
7 Quam bonus es, justusque canent, 8 quam tardus ad iram,
Veniamque petentibus idem
Quam promptè tribuas memorabunt, quotque benignus
Des larga munera dextra.
9 Omnes tu placidè, tu suaviter excipis omnes,
Nullumque opus est, quod amoris
Signa tui non præferat: 10 te cuncta potentem
Dominum, auctoremque fatentur;
11 Imperiique tui flammantia progredientis
Longè ultra mœnia mundi

S 2 Gens

v. 5. *Hebr. Pulcritudinem, gloriam, magnificentiam tuam loquentur*, vel *decorem gloriæ magnificentiam suam* comitantis *prædicabunt*.

1 Exaltabo te, Deus meus rex, & benedicam nomini tuo in seculum, & in seculum seculi.
2 Per singulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in seculum, & in seculum seculi.
3 Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis.
4 Generatio, & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam pronuntiabunt.
5 Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, *& mirabilia tua narrabunt*
6 Et virtutem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabunt.
7 Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, & justitia tua exultabunt.
8 Miserator, & misericors Dominus, patiens, & multum misericors.
9 Suavis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus.
10 Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & sancti tui benedicant tibi.
11 Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur.

12 *Ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam, & gloriam maguificentia regni tui.*

13 *Reguum tuum, reguum omnium seculorum, & dominatio tua in omni generatione, & generationem.*

14 * *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.*

15 *Allevat Dominus omnes, qui corruunt, & erigit omnes elisos.*

16 *Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das escam illorum in tempore opportuno.*

17 *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.*

18 *Justus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.*

19 *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate.*

20 *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & salvos faciet eos.*

21 *Custodit Dominus omnes diligentes se, & omnes peccatores disperdet.*

Gens tua concelebrat decus, & te laudibus unum
Sine fine attollit in astra,
12 Ut manifesta tui sit ubique potentia sceptri;
Majestas, gloria, splendor.
13 Regna tenes nullis tu subdita legibus ævi, &
Gentes dominaris in omnes,
Quæ modo sunt, quæ mox venient labentibus annis:
14 Tua tu fidissimus imples
Pollicita, & quidquid præstas, sanctumque piumque est:
15 Tu fulcis quos male firmis
Gressibus esse vides, erecturusque caducos
Accurris: 16 semper ad unum
Te vertunt oculos viventia quæque, suoque
Das cunctis tempore victum:
17 Mitior ut spectas, subitò e locuplete feruntur
Ad nos tua munera dextra:
18 Justitiæ æternis firmas tu legibus orbem,
Et præbes te omnibus æquum:
19 Tu flecti patiens audis te rite vocantes,
Nec voti linquis inanes;
20 Præsentique pios solatus numine tandem
Omni e discrimine salvos
Educis, 21 puroque beas te corde colentes;
Ast idem a stirpe scelestos

Exscin-

* *Hic versiculus in Hebræo & Chaldæo desideratur; ipsaque Symmachi, Aquilæ, & S. Hieronymi ætate jam perierat. Illum habet Syrus; at incertum, utrum ex Hebræo, an e Septuaginta Interpretibus haustum. Procul dubio est, hiantem esse hoc loco Hebræum, atque omninò substituendum esse hunc versiculum, ut duarum & viginti literarum numerus compleatur. In Psalmis XXIV. & XXXIII. item acrostichis ordo literarum nonnihil est perturbatus; in quorum primo deest vau; in utroque vero* phe *duplicatur. Sed hæc nullo negotio corriguntur literis suo loco restitutis; de quo vide fusius apud Calmet in argumentis ad Psalmos. Genebrardus putat, 70. versum hunc, ut pleraque alia, prophetice restituisse; proinde rectè Hieronymus ait:* Septuaginta addiderunt aliqua vel ob decoris gratiam, vel ob Spiritus sancti auctoritatem.

Exſcindes. 22 Tibi ſemper ego præconia laudum,
Rerum ſator unice, dicam;
Et cunctæ celebrare tuum venerabile gentes
Pergent per ſecula nomen.

22 Laudationem Domini loquetur os meum, & benedicat omnis caro nomini ſancto ejus in ſeculum, & in ſeculum ſeculi.

PSALMUS CXLV.

Se Dei laudes ſemper celebraturum eſſe dicit, hortaturque Iſraelitas, ne in Principibus, vel in ullo hominum, ſed in ſolo Deo fiduciam collocent ſuam, cujus potentia, & bonitas finibus carent.

1 Curas donec amabiles
Conceſſum ætherei ſit mihi luminis
Haurire, eximiis Patrem,
Nutu cuncta ſuo qui regit, optimum
Tollam ad ſidera laudibus.
2 Incertam in miſeris ne ſibi homunculis
Spem quiſquam ſtatuat, neque
Fidat regum opibus plus nimio, penes
Quos eſt nulla ſalus: 3 ſemel
Infirmis etenim mors ubi ſpiritum
Membris ſegregat, in ſinum
Terræ corpus abit, vanaque pectoris
Se molimina diſſipant.
4 Felix o nimium, numine quem tegit
Præſenti Iſacidæ Deus!
Quique illo in domino ſpem locat auxilî,
Qui terram & mare condidit,
Diſtinctumque globis æthera flammeis,
Et quæcumque tenet polus,
Tellusque, & pelagi ſtagna liquentia.
5 Semper pollicitis fides
Inconcuſſa ſuis permanet; impiæ
Nec gentis finit opprimi
Vi juſtos, miſera nec perimi fame.
6 Ille e carcere liberat
Duræ quos cohibent vincla tyrannidis,
Et cæcis jubar aureum
Dat ſolis nitidi cernere: 7 dirigit

1 Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea, pſallam Deo meo, quamdiu fuero.

2 Nolite confidere in principibus, in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus.

3 Exibit ſpiritus ejus, & revertetur in terram ſuam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

4 Beatus, cujus Deus Jacob adjutor ejus, ſpes ejus in Domino Deo ipſius, qui fecit cælum & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt.

5 Qui cuſtodit veritatem in ſeculum, facit judicium injuriam patientibus, dat eſcam eſurientibus.

6 Dominus ſolvit compeditos, Dominus illuminat cæcos.

7 Dominus erigit eliſos, Dominus diligit juſtos.

Claudos ille gradus, levat
Lapsos, innocuos diligit, 8 advenas
Tutatur, pueros patre
Orbos, ac viduas excipit: unicè
Formidabilis impio.
9 Fortunata Sion, rex tuus omnia
Per secla imperium geret,
Æternùmque tuos proteget incolas.

8 Dominus custodit advenas, pupillum & viduam suscipiet, & vias peccatorum disperdet.

9 Regnabit Dominus in secula, Deus tuus, Sion, in generatione, & generationem.

PSALMUS CXLVI.

Laudat Deum, quòd populum suum dissipatum collegerit, quòdque omnibus liberaliter provideat, ac benefaciat.

1 IO! Parenti plaudite cœlitum,
Hymnosque dulces promite, nam decet
Illius in laudem decorum
Nunc alacres iterare carmen.
2 Solo jacentis dat Solymæ bonus
Rursum ille cœlo mœnia surgere,
Passimque dispersos reducit
Ad patriam Isacidas Sionem:
3 Vasto malorum gurgite naufragos
Portum in salutis mitior invehit,
Plagasque fomentis, medentum
More, levans minuit dolores.
4 Stellantis ille est non numerabiles
Solus qui Olympi dinumerat faces,
Qui nomen astris, igneamque
Vim tribuit, celeresque motus.
5 Pro quam tremendus viribus! Inclyta
Quam laude splendet! Quis sapientiæ,
Qua quidquid est usquam gubernat,
Ingenio decora assequatur?
6 Ille & jacentes elevat infima
A sede mites, & temerario
Fastu tumescentes ad imum
Deprimit, insequiturque vindex.

1 Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus, Deo nostro sit jucunda decoraque laudatio.

2 Ædificans Jerusalem Dominus, dispersiones Israelis congregabit.

3 Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.

4 Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.

5 Magnus Dominus noster, & magna virtus ejus, & sapientia ejus non est numerus.

6 Suscipiens mansuetos Dominus, humilians autem peccatores usque ad terram.

7 Vos

7 Vos ergo magno carmina dicite
Rerum Parenti; reddite debitas
Grates, & arguta moventes
Plectra manu celebrate cantu.
8 Cœlum ille densis nubibus obtegens
Terram profusis irrigat imbribus,
9 Montesque devexos venustè
Graminibus variis colorat.
10 Larga ille cunctis pabula dextera
Feris ministrat; curaque numinis
Enutrit ab se se petentem
Ore cibos crocitante corvum.
11 Non acre equorum robur ei placet,
Invicta nec vis militum; 12 at obsequi
Deo paratum pectus, inque
Spem bonitate sua reponens.

7 Præcinite Domino in confessione, psallite Deo nostro in cithara.

8 Qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluviam.

9 Qui producit in montibus fœnum, & herbam servituti hominum.

10 Qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum.

11 Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibiis viri beneplacitum erit ei.

12 Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia ejus.

PSALMUS CXLVII.

Invitat Israelitas ad laudes Deo canendas, qui & populum suum dispersum congregaverit, Hierosolymamque restauraverit. Deinde ejus omnipotentiam, quam quotidie in hac rerum universitate exhibet, magnis laudibus prosequitur. Hebræi cum superiore Psalmo jungunt.

1 PEr quem resurgis dic, Solyme, Patri
Laudes beato cœlitum, & illius
Extolle nomen, qui priori
Te decori, Sion alma, reddit.
2 Qui vecte postes sic valido tuos
Obstrinxit, ut nil jam tibi ab hostibus
Restet timendum; quique multo
Te populi numero beavit:
3 Tranquilla per quem pax tibi contigit,
Pax, cuncta late quæ tenet oppida;
Qui messe læta, fructibusque
Omnigenis tua vestit arva.
4 Vix ille ab alto immobilis æthere
Dat jussa terris, quum sua fulminis
Alis eunt velociora
Verba, nec exequier moratur

1 Lauda Jerusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion.

2 Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te.

3 Qui posuit fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te.

4 Qui emittit eloquium suum terræ, velociter currit sermo ejus.

5 *Qui dat nivem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit.*

6 *Mittit crystallum suam sicut buccellas, ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?*

7 *Emittet verbum suum, & liquefaciet ea, flabit spiritus ejus, & fluent aquæ.*

8 *Qui annuntiat verbum suum Jacob, justitias, & judicia sua Israel.*

9 *Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis.*

Res ulla nutus: 5 ille operit nive
Terras, ut albo vellere; & algidas
Per rura dispergit, minutum
Non secus ac cinerem, pruinas.
6 Ille & fluentes stringit aquas gelu,
Tristique terram frigore contrahit,
Vim cujus ecquisnam valeret
Ferre diu, licet ille forti
Compage præstet corporis? 7 At quo hyems
Auctore cœpit, desinit hoc quoque;
Auræque vix spirant tepentes,
Quum glacies resoluta fluxit.
8 Suam ille proli prodidit Isaci
Mentem, ac Abrami est lex data posteris;
9 Complexus at tanto favore
Haud alias fuit ipse gentes.

PSALMUS CXLVIII.

Omnes creatas res naturali ordine ad laudandum Deum invitat.

1 *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelsis.*

2 *Laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus.*

3 *Laudate eum sol & luna, laudate eum omnes stellæ, & lumen.*

4 *Laudate eum cœli cœlorum, & aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.*

1 Templa qui cœli colitis serena,
Spiritus almi, superûm Parentem
Vocibus lætis canite, & profundus
Adsonet æther.
2 Vos Deo carmen decet omne in ævum
Dicere, adstantes sibi quos ministros
Legit, & cœli quibus incolendas
Annuit arces.
3 Sol diem adducens nitidum, tenebras
Luna nocturnas abigens, & astra,
Luce quæ pulcra trepidatis, olli
Dicite laudes.
4 Vos eum cœli radiantis orbes
Impete abrepti rapido; nitentes
Vos suum nomen celebrate summi
Ætheris undæ.

5 Illius

v. 5. *Hebr. Pruinam.*
v. 2. *Hebr. Exercitus.*

5 Illius nutu omnia nam fuere
Condita, & miro stabilita nexu;
Neve solvantur senio, perenni
Cardine fixit.
6 Omnibus legem posuit, suisque
Finibus vinxit; positasque nulli
Transgredi metas licet, ordinemve invertere rerum.
7 Tu Deo laudes cane terra, vosque
Abditi horrendis specubus dracones,
Et pererratis mare quæ profundum immania cete.
8 Ignis, & grando, glacies, nivesque,
Alites venti, aeriique nimbi,
Qui Dei ad nutum quatitis sonoro
Turbine terras.
9 Saxei montes, viridesque colles,
Arbores pomis variis onustæ;
Vosque, quæ nubes superatis alto
Vertice cedri.
10 Vos feræ horrentes, cava quas recondunt
Lustra, vos mites pecudes, humique
Reptiles, & quæ liquidas Volantes
Finditis auras:
11 Inclyti reges, proceresque, & axe
Degitis quotquot sub utroque gentes,
Quique per leges premitis severas
Crimina sontum:
12 Vos quibus florens agitur juventa
Virgines puræ, puerique casti;
Vosque queis raro veneranda canent
Tempora crine,
Eja divinum resonate nomen,
Nomen excelsum, superansque cuncta
Nomina: 13 hoc unum canat altus æther,
Imaque tellus.
14 Semper hoc hymnis iterent nepotes
Isaci; hanc puris sibi nam dicatam
Ritibus gentem sator orbis æquo
Lumine spectat.

5 Quia ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt.

6 Statuit ea in æternum, & in seculum seculi, præceptum posuit, & non præteribit.

7 Laudate Dominum de terra, dracones, *& omnes abyssi.*

8 Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus.

9 Montes, & omnes colles, ligna fructifera, & omnes cedri.

10 Bestiæ, & universa pecora, serpentes, & volucres pennatæ.

11 Reges terræ, & omnes populi, principes, & omnes judices terræ.

12 Juvenes, & virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini, quia exaltatum est nomen ejus solius.

13 Confessio ejus super cœlum, & terram, & exaltavit cornu populi sui.

14 Hymnus omnibus sanctis ejus, filiis Israel, populo appropinquanti sibi.

PSAL-

v. 7. Hebr. Ceti.

PSALMUS CXLIX.

Invitat omnes, & præcipuè Israelitas ad laudandum Deum, quorum liberationem a captivitate prædicit, reditumque in patriam, & victoriam de hostibus.

1 Cantate Domino canticum novum, laus ejus in ecclesia sanctorum.

1 NOñ ante dictum ñumini
Carmen supremo dicite:
At illius potissimùm
Se se canendis laudibus
Remota gens a criminum
Contagione dedicet.

2 Lætetur Israel in eo, qui fecit eum, & filii Sion exultent in rege suo.

2 Læta acquiescat in suo
Auctore proles Isaci,
Regique plaudant inclyto
Almæ Sionis filiæ.

3 Laudent nomen ejus in choro, in tympano, & psalterio psallant ei.

3 Choris celebrent illius
Nomen verendum & tympanis,
Sonantibusque nabliis.

4 Quia beneplacitum est Domino in populo suo, & exaltabit mansuetos in salutem.

4 Suam favore nam Deus
Gentem benigno protegit,
Sævoque ab hoste servulos
Sibi obsequentes eripit.

5 Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.

5 Mœrore pulso gestient
Pii, decusque pristinæ
Recuperabunt gloriæ,
Suisque læti in ædibus
Tuto fruentur otio.

6 Exultationes Dei in gutture eorum, & gladii ancipites in manibus eorum.

6 In ore laudes numinis
Semper sonabunt; ensibus
Utrinque acutis dexteræ
Ast induentur interim,

7 Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.

7 Injurias ab exteris
Ut quas tulere gentibus
Rerum potentes vindicent:

8 Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis.

8 Ut crura regum hostilium
Arctis catenis vinciant,
Et principes ahenea
Ligent superbos compede:

9 Ut

9 Ut jura sic exerceant
In nationes impias
Præscripta, gensque splendidam
Pia assequatur gloriam.

9 *Ut faciant in eis judicium conscriptum; gloria hæc est omnibus sanctis ejus.*

PSALMUS CL.

In hoc postremo Psalmo invitat omnes, ut Deum laudent musicorum instrumentorum concentu.

1 QUi templa cœli tot radiantibus
Decora stellis incolit, & sibi
Per secla mansurum paravit
Qui solium, celebrate regem.
2 Metis carentem magnificentiam
Laudate cunctis gentibus agnitam;
Laudate robur, quo sceleftos
Ille premit, relevatque justos.
3 Cantu tubarum læta sonantium
Efferte pollentem ætheris arbitrum,
Et nabliis unà, lyræque
Dulcisonæ fidibus canoris.
4 Huic tympanorum pulsibus, huic sacris
Chori accinentis plaudite vocibus:
Laudate leni tibiarum
Hunc sonitu, citharæque chordis.
5 Sonora laudes dent quoque cymbala,
Arguta doctè quæ feriat manus;
Et cuncta, quæ vitalis auræ
Haustus alit, celebrent Tonantem.

1 *Laudate Dominum in sanctis ejus, laudate eum in firmamento virtutis ejus.*

2 *Laudate eum in virtutibus ejus, laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.*

3 *Laudate eum in sono tubæ, laudate eum in psalterio, & cithara.*

4 *Laudate eum in tympano, & choro, laudate eum in chordis, &* organo.

5 *Laudate eum in cymbalis benesonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis, omnis spiritus laudet Dominum.*

FINIS.

IN-

v. 4. *Hebr. Tibiis.*

INDEX

Psalmorum Alphabeticus, cujus prior numerus Psalmi ordinem, posterior Libri paginam signat.

Deus

E

F

Incli-

Sæpe

S

T

V



PARA-

PARAPHRASIS POETICA

IN UTRIUSQUE TESTAMENTI CANTICA

AUCTORE

GEORGIO FERRICH

RAGUSINO

CUM ANNOTATIONIBUS.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

QUum Psalmorum correctioni summam manum imponerem, cuidam e meis amicis (*) a Cl. Viro Joanne Josepho Paulovich Lucich Dalmata, cui de Opere quod prælo destinabam jam innotuerat, scriptum fuit, utrum & Cantica, quæ in Scripturis sacris passim occurrunt, illudque in primis omnium præstantissimum ac vetustissimum, quod Mosis ac Mariæ sororis ejus nomine inscribitur, a me poeticè redditum fuerit. Quod si esset a me factum, ea cum Psalmis commodè in lucem propter argumenti affinitatem edi posse ajebat, sin minus, se summopere cupere, atque impensè flagitare, ut ea pariter a me verterentur. Hæc ut rescivi, mensibus autumnalibus anni superioris quum ruri agerem, otioque abundarem, calamum arripui, ut præcipua quæ in libris veteris novique Testamenti habentur Cantica, quibusque in feriali officio Ecclesia utitur, in varia metrorum genera redigerem. Quibus peractis illud etiam Deboræ ac Barac adjeci, ne tam excellens pulcherrimumque Canticum, quod uno ore summa laude celebratur, ab hoc abesset opere. Probè igitur intelligis, cui viro debes, quòd hæc evulgantur. Horatius in arte poetica reprehendendum carmen ait,

quod non
Multa dies, & multa litura coercuit, atque
Perfectum decies non castigavit ad unguem.

Quæ si vera sunt, hoc opus procul dubio tale erit, ut pote quod & festina manu a me confectum, nec quantum ipse cuperem incudi redditum & ad limam revocatum. Quod si temporis angustiis non fuissem pressus, nec male affectæ valetudinis incommoda supervenissent, & ulterior operi accessisset castigatio, & cetera quoque quæ in sacris paginis sunt Cantica poetica donassem paraphrasi, ut nihil pio lectori hac in re desiderandum superesset. Quantumcumque tamen ac qualecumque hoc est, quod modo in lucem emittitur, æqui bonique, Lector humanissime, consule. Nam si minus literatorum hominum expectationi fuit a me satisfactum, animus certè nec voluntas defuit, ut hæc tibi talia offerrem, qualia a mei tenuitate ingenii poterant proficisci: omnes enim non omnia posse cum Virgilio libenter fatemur. Quum verò in quibusdam ex his Canticis, quæ sacro perculsi numine vates cecinere, nonnihil obscu-

ritatis

ritatis insit (oratio enim concitata, variisque abundans imaginibus, & plena affectibus fere semper est) licet ut clarè redderem curaverim, quo dilucidiora tamen etiam redderentur, annotationes copiosissimas ad calcem operis apposui, eorum sequutus interpretationem, qui præ ceteris in literario sensu inveniendo, explicandoque eminentiores habentur. Utinam ex hac lectione eum fructum percipias, quem tibi ex animo cupio, cujusque ergo hic labor a me potissimùm fuit susceptus. Quod si assequaris, me omne punctum tulisse gloriabor. Vale.



(*) Ab hoc Provicario Macarensis Ecclesiæ, Canonico, Juris utriusque Doctore, & Academico Etrusco plurima in rempublicam literariam ac Christianam commoda promanasse nemo ibit inficias, qui ab eo multa elucubrata perlegit Opuscula, in quibus summam eruditionem, rerumque Theologicarum peritiam cum sermonis perspicuitate conjunctam licet admirari. Ex his præcipua latino evulgata sermone recenseo,

I. Marmora Macarensia oblivioni & injuriæ temporum subtracta.

II. Dissertatio Exegetico-Theologica de dignioribus ad Canonicatus, aliaque hujuscemodi Ecclesiastica beneficia eligendis.

III. Ad Primatem, Metropolitas, totiusque Dalmatiæ Archiepiscopos & Episcopos Epistola Parenætica.

IV. De immoderato Episcopatus desiderio refrenando Demonstratio Analytico-Canonica.

V. Vita S. Sabbæ Abbatis Stephani Nemaniæ Rasciæ regis filii, Auctore Joanne Tomeo Marnavitio Bosnensi nunc ex Autographo ejusdem Marnavitii Codice iterum edita, & Præfationibus, animadversionibus, notisque historico chronologico criticis illustrata opera & studio Joannis Josephi Presbiteri Paulovich Lucich.

VI. Ad Dignitates, Canonicos, Beneficiarios, ceterosque Ecclesiasticos viros, qui ad quotidianam Psalmodiam, Theodiamque divinam persolvendam tenentur, Protrepticon, &c. &c. &c.

PARA-

PARAPHRASIS POETICA

In octo veteris Testamenti Cantica.

CANTICUM I. MOSIS

Exod. Cap. xv.

*Post liberationem Judaici populi ab Ægyptiorum captivitate, marisque rubri * prodigiosam divisionem Moses hujus eximii ** Cantici auctor cum viris ex una parte, ex altera verò Maria ejus soror cum mulieribus hoc cecinerunt Epinicium, ut ob partam Israelitarum salutem auctori Deo gratias agerent. In eo Pharaonis cum suo equitatu, ceterisque copiis submersio; metusque ac consternatio vicinarum gentium per poeticam hypotyposin luculenter describuntur, electique populi in terram a Deo promissam inductio prædicitur.*

Sectionem versiculorum, eorumque numerationem tam in hoc, quam in ceteris Canticis eam, quæ in Breviario Romano reperitur, utpote horas canonicas recitantibus commodiorem, secuti sumus.

1 MAris potentem plausibus arbitrum,
Quem clarat ingens gloria, tollite,
Desævienti qui frementes
Mersit equos equitesque ponto.
2 Tu fortis unus, tu miseris ades
Tutela præsens, o Deus: 3 inclytis
Te laudibus nostrûm canemus
Præsidium, columenque patrum.
4 Tu fulminanti bella movens manu,
Ipso tremendus nomine, regios
Currus, renidentesque fulvo
Ære premis peditum catervas.

1 Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est, equum & ascensorem dejecit in mare.

2 Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.

3 Iste Deus meus, & glorificabo eum, Deus patris mei, & exaltabo eum.

4 Dominus quasi vir pugnator, *omnipotens nomen ejus, currus Pharaonis & exercitum ejus projecit in mare.*

5 Electi principes ejus submersi sunt in mari rubro, *abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum, quasi lapis.*

6 Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine, dextera tua Domine percussit inimicum, & in multitudine gloria tua deposuisti adversarios tuos.

7 Misisti iram tuam, qua devoravit eos sicut stipulam, & in spiritu furoris tui congregata sunt aqua.

8 Stetit unda fluens, congregata sunt abyssi in medio mari.

9 Dixit inimicus, persequar & comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea.

10 Evaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.

11 Flavit spiritus tuus, & operuit eos mare, submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus.

12 Quis similis tui in fortibus *Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia?*

13 Extendisti manum tuam, & devoravit eos terra, dux fuisti in misericordia tua populo, quem redemisti.

14 Et portasti eum in fortitudine tua, ad habitaculum sanctum tuum.

5 Florente lecti e militia duces
Dejecti in altum præcipitant salum;
Marisque per fluctus voluti,
Ceu lapis, in barathrum feruntur.
6 Quo præliaris robore, barbarus
Persensit hostis prævalidæ manus
Prostratus ictu, nobilique
Hunc super eveheris triumpho.
7 Laxasti ut iræ fræna, ferocium
Metu occupasti pectora militum,
Tuique tempestas furoris,
Flamma velut stipulam, peredit.
Tu flante vento dividis æquora
Hinc inde acervans; 8 undaque constitit
Oblita cursus, ut fideli
Hàc aditus populo pateret.
9 10 „ Sequar fugaces ocius, & mea
„ Prensabo dextra; me locupletibus
„ Explebo prædis, & tepescet
„ Isacio gladius cruore.
Hæc comminatus pectore turbido
Siccum quadrigas in maris alveum,
Turmasque deduxit sequentes
Niliacæ dominator oræ.
11 At vix frementi turbine diditas
Impellis undas, pontus in improbos
Se fudit hostes, plumbeaque
Mole velut jacuere pressi.
12 Quisnam Deorum se tibi flammea
Nutu rotanti sidera comparet,
Ad cujus expavit tremenda
Prodigia obstupefactus Orbis?
13 14 Ipse imperasti fluctibus, imaque
Hostes vorago absorbuit; at pius
Timoris expertes furenti
Eripis Isacidas procellæ.
Tu, quæ premebant, illacrymabilis
Fractis tyranni compedibus, soli
In arva promissi, tuique
Victor ages penetrale templi.

15 Tua ad propinquas fama ubi detulit
Trophæa gentes, cordibus æſtuat
Dolor ſub imis; atra mœſtis
Ancipites rapit ira mentes.
16 Claros Idumes turbida Principes
Formido ſtravit; contremuit Moab
Robuſtus armis; genſque torvum
Fixit humi Chananæa vultum.
17 Invadat horror frigidus impios,
18 Locoque fixi, ceu lapis, hæreant,
Hic donec ad ſedes feratur
Incolumis populus beatas.
19 20 Hunc tu locabis montibus, hunc ſacris,
Quas ipſe pones, ſedibus inferes
Tibi incolendis, dirigeſque
Imperio docilem perenni.
21 Vix cum quadrigis æquora fervidis
Ingreſſus audax eſt Pharao, vadis
Hunc æſtuoſis unda præceps
Impulit in barathri profunda.
22 Gens at vetuſto ſanguine ab Iſaci
Prognata vaſti per vada gurgitis
Diviſa non udos ferebat
Læta, Deo præeunte, greſſus.

15 Aſcenderunt *populi, & irati ſunt, dolores obtinuerunt habitatores Philiſthiim*

16 *Tunc conturbati ſunt principes Edom, robuſtos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan.*

17 *Irruat ſuper eos formido & pavor, in magnitudine brachii tui.*

18 *Fiant immobiles quaſi lapis, donec pertranſeat populus tuus Domine, donec pertranſeat populus tuus iſte, quem poſſediſti.*

19 *Introduces eos, & plantabis in monte hereditatis tuæ, firmiſſimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine.*

20 *Sanctuarium tuum, Domine, quod firmaverunt manus tuæ, Dominus regnavit in æternum, & ultra.*

21 *Ingreſſus eſt enim eques Pharao cum curribus, & equitibus ejus in mare, & reduxit ſuper eos Dominus aquas maris.*

22 *Filii autem Iſrael ambulaverunt per ſiccum, in medio ejus.*

CANTICUM II. MOSIS

Deuteronom. Cap. XXXII.

Hujus Cantici, ſive hymni idem qui ſuperioris auctor eſt Moſes; eumque paulo antequam in monte Abarim moreretur, cecinit. Poſt celebratas Dei laudes ingratum populi ſui animum erga divina beneficia acri ſermone perſtringit. Quum enim hunc ſibi Deus inter ceteras terrarum orbis nationes electum peculiariter adamaſſet, prodigiiſque protectum terræ promiſſæ deſtinaſſet heredem, hic a Deo deſciſcens in idolorum cultum eſt prolapſus. Quapropter propheta oraculo Deus illi horribiles caſus, atque ultimum interminatur excidium. Poſt hæc placatus, cum po-

b 2 *pulo*

pulo suo in gratiam redit, in cujus hostes se se animadversurum dicit.

1 *Audite cœli quæ loquor, audiat terra verba oris mei.*

2 Concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum.

3 *Quasi imber super herbam, & quasi stilla super gramina, quia nomen Domini invocabo.*

4 *Date magnificentiam Deo nostro, Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ ejus judicia.*

5 *Deus* fidelis, *& absque ulla iniquitate, justus & rectus, peccaverunt ei, & non filii ejus in sordibus.*

6 *Generatio prava atque perversa, haeccine reddis Domino,* popule stulte & insipiens?

7 *Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, &* fecit, *& creavit te?*

8 *Memento* dierum antiquorum, *cogita generationes singulas.*

9 *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, majores tuos, & dicent tibi.*

10 *Quando dividebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam.*

11 *Constituit terminos populorum, juxta numerum filiorum Israel.*

12 *Pars autem Domini, populus ejus, Jacob funiculus hareditatis ejus.*

13 *Invenit eum in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis.*

14 *Circumduxit eum, & docuit, & custodivit quasi pupillam oculi sui.*

1 Adeste cœlum, terraque vos mihi
Testes loquenti; 2 3 rosque ut in herbidos
Descendit agros, audientum
Sic subeant mea verba pectus.
Stellata numen templa quod incolit
Adspiret orsis propitium meis;
4 5 Omnisque gens surgat Tonantem
Eximio celebrare cantu.
Infesta torvis fraudibus æquitas
Huic fida semper stat comes; almaque
Elucet in cunctis potestas
Rebus, & integritas, fidesque.
Sæpe illum ad iram, pro facinus! sui
Movere nati, nomine dicier
Hoc immerentes, fida nunquam
Progenies, nec amica Recto.
6 Gens mentis expers, hanccine gratiam
Deo rependis? 7 Num tibi non Parens,
Non auctor est ipse, & tuarum
Grande decus, columenque rerum?
8 Vetusta mundi consule secula,
Mentemque in omnes fer soboles; 9 tuum
Interroga patrem, verendos
Posce senes; referentque, magnus
Quid rex Olympi fecerit. 10 Editam
Primo ille prolem dum patre spargeret
Latum per orbem, cuique sedes
Constituens populo tenendas;
11 12 Jam tum Abrahami ditia posteris,
Sat incolentum quæ numero forent,
Servabat arva, unum hunc amica
Excipiens populum sub umbra.
13 Hunc involutum erroribus, aspero
Cultu rigentem repperit; 14 avias
Duxit per oras, erudivit,
Plus oculis adamavit ipsis.

15 16

15 16 Reginâ gentis nubivagæ ut rudem
Quum prolem in auras propulit, hanc super
Extendit alas, ad volatum
Alliciens per aperta cœli;
17 Sic ipse solus (solus enim est potens)
Ducem paventi se populo addidit,
18 Vexitque montanas ad oras,
Uberis ut saturatus arvi
Fructu 19 e cavatis dulcia rupibus
Mella, atque olivum carperet hispidis
In collibus natum, 20 21 boumque
Lacte foret, pecudumque dives;
Agnos, & hircos de grege ut optimos
Basanis agri tolleret; aurea
Ut tritici spica, & liquore
Vitigeno recrearet artus.
22 At tot bonorum copia filios
Lascivientes reddidit, hinnulei
Effrænis instar, 23 nec datorem
Deserere hos puduit salutis.
24 25 26 27 Namque exterarum gentium inania
Stulti invocarunt numina, nec Deo
Tulere præscriptos honores
Thure pio, precibusque castis.
Quod procrearat linquere patrium
Sunt numen ausi; reddere Dîs novis,
Nec ante notis, patribusque
Nullo habitis in honore cultum.
28 Dira hæc ab ipsis ut sibi filiis
Deus referri sensit, 29 „ ab impiis
„ Arcebo vultum, mox videbo,
„ Qua pereant ratione, dixit.
30 31 „ Spectra ut Deorum gens mihi turpium
„ Hæc prætulit vero insipiens Deo;

15 *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans.*
16 *Expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portavit in humeris suis.*
17 *Dominus solus dux ejus fuit, & non erat cum eo Deus alienus.*
18 *Constituit eum super excelsam terram, ut comederet fructus agrorum.*
19 *Ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo.*
20 Butyrum de armento, & lac de ovibus, *cum adipe agnorum, & arietum filiorum Basan.*
21 *Et hircos cum medulla tritici, & sanguinem uvæ biberet meracissimum.*
22 *Incrassatus est dilectus, & recalcitravit, incrassatus, impinguatus, dilatatus.*
23 *Dereliquit Deum factorem suum, & recessit a Deo salutari suo.*
24 Provocaverunt eum *in diis alienis, & in abominationibus ad iracundiam concitaverunt.*
25 *Immolaverunt dæmoniis & non Deo, diis, quos ignorabant.*
26 Novi recentesque venerunt, *quos non coluerunt patres eorum.*
27 *Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui.*
28 *Vivit Dominus, & ad iracundiam concitatus est, quia provocaverunt eum filii sui & filiæ.*
29 *Et ait, abscondam faciem meam ab eis, & considerabo novissima eorum.*
30 *Generatio enim perversa est, & infideles filii.*
31 Ipsi me provocaverunt in eo, qui non erat Deus, *& irritaverunt in vanitatibus suis.*

32 Et ego provocabo eos, in eo qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos.

33 Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima.

34 Devorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet.

35 Congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo *in eis.*

36 Consumentur fame, & devorabunt eos aves morsu amarissimo.

37 Dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atque serpentium.

38 Foris vastabit eos gladius, & intus pavor, juvenem simul ac virginem, lactentem cum homine sene.

39 Dixi ubinam sunt, cessare faciam ex hominibus memoriam eorum.

40 Sed propter iram inimicorum distuli, *ne forte superbirent hostes eorum.*

41 Et dicerent, manus nostra excelsa, & non Dominus, fecit hæc omnia.

42 Gens absque consilio est, & sine prudentia, utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent.

43 Quomodo persequatur unus mille, & duo fugent decem millia.

44 Nonne ideo, quia Deus suus vendidit eos, & Dominus conclusit illos?

45 Non enim est Deus noster ut dii eorum, & inimici nostri sunt judices.

46 De vinea Sodomorum, vinea eorum, & de suburbanis Gomorrhæ.

47 Uva eorum, uva fellis, & botri amarissimi.

48 Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.

32 „ Sic ipse formidandus ultor
„ Huic populo anteferam, ultimisque
„ Gentes ab oris eligam: 33 adæstuat
„ Furore pectus; dives agri solum
„ Cum fructibus delebo, 34 adusque
„ Flamma sinus penetrabit imos,
„ Terrai adurens viscera: 35 congeram
„ Quidquid malorum est hos super, ignea
„ Spargam in rebelles tela, 36 sternent
„ Dira fames, celeresque morbi,
„ Ferarum acutis morsibus; 37 anguium
„ Vi sibilantum pestifera peti
„ Jubebo; 38 non spes ulla ab armis,
„ Non animo a trepidante surget.
„ Fortes juventæ robore milites
„ Cum virgine imbelli, & trepidi senes,
„ Ipsique sugentes puelli
„ Ubera percutientur ense.
39 „ Ubi nocentes sunt animæ, ut genus
„ Infame terris omnibus eruam?...
„ 40 41 Ast apta non præsens furori
„ Hora meo, ob populique cesset
„ Parumper hostes ultio, ne suis,
„ Quod nostra fecit dextera, viribus
„ Fastu intumescentes procaci
„ Attribuant, animosque tollant.
42 „ Si stulta vulgi pectora sedulò
„ Considerassent, 43 cur globus hostium
„ Coegit exilis catervas
„ Tot fugere Isacidum, 44 una turpi
„ Facto hæc stetisset causa, quòd hostibus
„ Magno premendos robore virium
„ Impune permisi; 45 quod ipsa
„ Gens toties inimica sensit.
46 „ Contaminatis orta parentibus
„ Pollutiores gens tulit Isaci
„ Fructus, olentis quam Gomorrhæ
„ Atra palus, Sodomæque campi.
47 „ Ingrata gustu, felleque amarior
„ Hinc uva surgit; 48 tetrius & merum

„ Abo-

„ Abominandis e racemis
„ Anguineo exprimitur veneno.
49 „ Factis paratas nonne ego turpibus
„ Pœnas reservo; quumque lubet, penu
„ Depromo? Non, quocumque mittam,
„ Lethiferæ venient sagittæ?
50 „ Meum est sceleftos plectere; & ultimam
„ Suo in ruinam tempore corruent
„ Fallente gressu: 51 sed propinquat
„ Pro miseri! exitialis hora.
„ Quænam malorum, quantaque vos seges
„ Non cogitantes obruet! heu quibus
„ Hostilia involvent procellis
„ Vos odia, armigerique motus!
52 O juste vindex, si genus impium
Certa est voluntas perdere, mitior
Hos, quæso, numen qui fideli
Mente tuum coluere, serva.
53 Videsne, fractis ut sibi viribus
Jam contremiscit dextera? Ut arcibus
Clausi pavescunt, atque passim
Deficiunt, rapiente letho?
54 Opem fer ergo, talibus impios
Affatus hostes: „ illi ubi sunt modo
„ Spes vestra Dî; 55 queis pinguia exta;
„ Atque merum fatuè sacrastis?
56 „ Quid vos tueri rebus in asperis
„ Cessant inanes? quæve tenent moræ?
„ Nunc erigant fessos, malisque
„ In mediis properent salutem.
57 „ Me præter, alter discite quod Deus
„ Haud est: 58 ego vitæ arbiter & necis,
„ Percussor, & sanator idem:
„ Quis mihi, quos tueor, revellat?
59 „ Æterna vivam sic ego secula,
„ Ut cuncta fient, quæ loquor: 60 igneum
„ Si dextera fulmen minaci
„ Arbiter arripiam tremendus,
61 „ Pœna sceleftos vindice persequar
„ Hostes: 62 sagittæ sanguine, carnibus

49 Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis?

50 Mea est ultio, & ego retribuam in tempore, ut labatur pes eorum.

51 Juxta est dies perditionis, & adesse festinant tempora.

52 Judicabit Dominus populum suum, & in servis suis miserebitur.

53 Videbit, quod infirmata sit manus, & clausi quoque defecerunt, residuique consumpti sunt.

54 Et dicet, ubi sunt dii eorum, in quibus habebant fiduciam?

55 De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum.

56 Surgant, & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant.

57 Videte, quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me.

58 Ego occidam, & ego vivere faciam, percutiam, & ego sanabo, & non est qui de manu mea possit eruere.

59 Levabo ad cœlum manum meam, & dicam, vivo ego in æternum.

60 Si acuero ut fulgur gladium meum, *& arripuerit judicium manus mea.*

61 Reddam ultionem hostibus meis, & his qui oderunt me, retribuam.

62 Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus devorabit carnes.

63 *De cruore occisorum, & de captivitate, nudati inimicorum capitis.*
64 *Laudate gentes populum ejus, quia sanguinem servorum suorum ulciscetur.*
65 *Et vindictam retribuet in hostes eorum, & propitius erit terra populi sui.*

„ Se pascet ensis; 63 pars peribunt,
„ Pars capite injicientur arctas
„ Raso in catenas turpiter: 64 65 impios
„ Sic ipse plectam; sic facilis meos
„ Servabo, & electi jubebo
„ Ire decus populi per Orbem.

CANTICUM DEBORÆ.

Judic. Cap. v.

*Debora * post deletas a Baraco Sisaræ copias, ipsumque Sisaram a Jabele interfectum hoc pulcherrimum Epinicium, seu ** carmen triumphale una cum Baraco cecinit. In eo deploratus Israelitici populi status ante victoriam, belli series, sociorumque adjumenta cum ceteris circumstantiis minutim describuntur, & in finem Sisaræ interfectio sic vivis coloribus exprimitur, ut ipsis pene oculis subjecta esse videatur.*

1 *Qui sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum, benedicite Domino.*

2 *Audite reges, auribus percipite principes, ego sum, ego sum, quæ Domino canam, psallam Domino Deo Israel.*

3 *Domine cum exires de Seir, & transires per regiones Edom, terra mota est, cœlique ac nubes distillaverunt aquis.*
4 *Montes fluxerunt a facie Domini, & Sinai a facie Domini Dei Israel.*

5 *In diebus Samgar filii Anath, in diebus Jabel, quieverunt semitæ, & qui ingrediebantur per eas, am-*

1 Qui clara Isacidum creti de stirpe, paterni
Dulcis amore soli in discrimina sæva ruentes
Fortia non trepido pugnastis pectore bella,
Eja, triumphali superûm celebrate Parentem
Carmine. 2 Vos reges augusti, illisque secundi
Audite o regni Proceres: ego prælia vobis
Fœmina non humilis referam, Isaciique per Orbem
Numinis evulgabo decus. 3 Quum celsa Seiri
Culmina, Idumeæque ferax plaga vidit euntem
Te; Deus, expavit ferus incola, contremuitque
Omne solum: rupto ingentes ex æthere nimbos
Improvisa effudit hyems; 4 teque ardua viso
Se flexere juga, algentisque cacumina Sinæ
Turbidus involvit densa caligine fumus.
5 Tempore Samgaridæ ducis, intrepidæque Jahelis
Nulla frequentari rectarum strata viarum
Cerne-

Cernere erat; nam cuncta hostes, avidique latrones
Lamentabilibus loca cædibus infestabant:
Siquis erat prodire ausus, transversa secutus
Ignoto longos sinuabat tramite cursus.
6 Isacidum virtus defecerat, & trepidantes
Arcibus in clausis agitabant turpiter ævum;
Donec ego populi surexi Debora mater.
7 Tum placuit magno superûm decernere regi
More novo; nam prodigiis cœlestibus hostes
Innumeros, atque arma manu, lethumque gerentes
Perpaucis vicisse dedit, licet umbo sinistram
Nullus obarmaret clypei, non lancea dextram.
8 Vos ego lecta cohors, quorum imperterrita virtus,
Contemptrixque animæ placuit, mihi, vos ego magni
Numinis in laudes exemplis excito: 9 teque
Cœlicolis dilecta manus, quæ legibus æquis
Protegis, & sanctis exornas moribus urbes,
Sive trahit volucer te currus, sive nivali
Quadrupedum veheris dorso: jamque ipse viator
Altisono rumpat diuturna silentia cantu.
10 Heic, ubi sunt currus alterno curribus ictu
Collisi, & magnis affecti cladibus hostes,
Heic justum & clemens numen celebremus Olympi.
Nunc sua gens longo jam tandem libera luctu
Se fundat portis bipatentibus: 11 eja age surge,
Debora surge, novumque Deo cane Debora carmen:
Tuque o surge Barac, proles clara Abinoemi,
Captivamque manum quondam, nunc eruta tristi
Corpora servitio numera: 12 pars optima salva est:
Per paucos, ardens quos tollit ad æthera virtus,
Pugnavit Deus, inque illis sua gloria vivit.

13 Efre-

bulaverunt per calles devios.

6 Cessaverunt fortes in Israel,& quieverunt, *donec surgeret Debora, surgeret mater in Israel.*

7 *Nova bella elegit Dominus, & portas hostium ipse subvertit, clypeus & hasta si apparuerint in quadraginta millibus Israel.*

8 *Cor meum diligit principes Israel, qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Domino.*

9 *Qui ascenditis super nitentes asinos, & sedetis in judicio, & ambulatis in via loquimini.*

10 *Ubi collisi sunt currus, & hostium suffocatus est exercitus, ibi narrentur justitia Domini, & clementia in fortes Israel, tunc descendit populus Domini ad portas, & obtinuit principatum.*

11 *Surge, surge Debora, surge, surge, & loquere canticum, surge Barac, & apprehende captivos tuos, fili Abinoem.*

12 *Salvata sunt reliquia populi, Dominus in fortibus dimicavit.*

13 Ex Ephraim delevit eos in Amalec, & post eum ex Beniamin in populos tuos, o Amalec, de Machir principes descenderunt, & de Zabulon qui exercitum ducerent ad bellandum.

14 Duces Issachar fuere cum Debora, & Barac vestigia sunt secuti, qui quasi in praeceps ac barathrum se discrimini dedit, diviso contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio.

15 Quare habitas inter duos terminos, ut audias sibilos gregum? diviso contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio.

16 Galaad trans Jordanem quiescebat, & Dan vacabat navibus, Aser habitabat in litore maris, & in portubus morabatur.

17 Zabulon vero & Nephtali obtulerunt animas suas morti in regione Merome.

18 Venerunt reges & pugnaverunt, pugnaverunt reges Chanaan in Thanach juxta aquas Mageddo, & tamen nihil tulere praedantes.

19 De caelo dimicatum est contra eos, stellae manentes in ordine & cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt.

20 Torrens Cison traxit cadavera eorum, torrens Cadumim, torrens Cison, conculca anima mea robustos.

21 Ungulae equorum ceciderunt fugientibus impetu, & per praeceps ruentibus fortissimis hostium.

22 Maledicite terrae Meroz, dixit Angelus Domini,

13 Efremi ex acie, Benjanimique cohorte,
Qui te delerent Amalecis inhospita proles,
Fortes ille viros delegit: in arma Machirus,
Et Zabulon misere duces: 14 15 mihi prima virorum
Issachari e castris se conjunxere, ducique,
Qui prior aggressus pugnam, se in valle Baraco
Addiderunt comites. Dubio dum pectore Rubēn
Montivagus pendet, socios anne adjuvet armis,
Anne manum abstineat bello, sibi maluit aures
Ut grex balatu, tuba quam perstringeret aere.
16 Vitrea Jordanis servans trans flumina sedem
Otia carpebat Galaad; ratibusque vehebat
Dan lucro intentus dites ad litora merces;
Inque acta, & curvis cessabat portubus Aser.
17 In Merome ast animas Zabulon, & Nephtali apertis,
Haud mortem timidi oppetere, objecere periclis.
18 Foedere composito reges Chananeide ab ora
Venere, inque Thanach prope moenia Mageddonis;
Et gemini torrentis aquas iniere feroces
Praelia; speratas at non potuere perempti
Exsuvias rapere. 19 Ipse aether se accinxerat armis,
Ultricesque sua stellae in statione manentes
Adversus Sisaram nimbis, & grandine saeva
Pugnarant: 20 correpta sub undis fortia Cison;
Et Cadumim exanimum volvebant corpora, missis
Imbribus horrendùm tumefacti. Tu mea fortes
Sperne viros anima, & torrentia flumina sospes
Transgredere: 21 effusis dum per loca miles habenis
Robustus praerupta fugit, concussa repente
Impete prae rapido se se ungula quadrupedantum
Diffidit. 22 Ah! male Merotii tibi terra, tuisque

Civi-

Civibus esto, (Dei afflatu sic imprecor) armis
Proxima qui fratrum non adjuvere suorum
Agmina, nec sacri venere in fœdera belli.
23 Haberidæ Cinæi uxor Jahel inclyta cœtu
Una in fœmineo sit terque quaterque beata,
Lætaque perpetuo resonent teutoria cantu.
24 Illa duci Sisaræ, sitiens quum posceret undam,
Gemmata in phiala lac obtulit: impiger haustu
Hic ubi nectareo se proluit, haud mora somnus
Pressit labentes oculos; 25 simul illa trabalem
Accepit læva clavum, atque incudibus aptus
Malleus erigitur dextra; & dum quærit in hirto
Quam capite anteferat partem læsura cruento
Vulnere, prævalido cava tempora perforat ictu.
26 Ante pedes victricis adhuc convulsa tremiscunt
Membra ducis, largoque madescit arena cruore.
27 Interea ex altis mater miseranda fenestris
Prospiciens, segnesque moras causata dolenti
Talia poscebat gemitu; „ quid tardat euntis
„ Currus? sanguineoque ferox auriga jugales
„ Verbere non stimulat? " 28 Ducis una e pluribus uxor
Mente sagax miseræ sedato hæc pectore reddit.
29 „ Nunc tua progenies raptas ex hoste superbo
„ Dividit exsuvias, præstantemque ore puellam
„ E captivarum numero sibi deligit omni,
„ Illusasque auro vestes, nitidisque monile
„ Contextum gemmis, colli decus. " 30 Impia sic mors
Numinis infandos hostes demittat ad Orcum;
At quicumque, Deus, tua servat jussa, nitescat
Æmulus aurato, quum surgit ab æquore, soli.

CAN-

maledicite habitatoribus ejus, quia non venerunt ad auxilium Domini, in adjutorium fortissimorum ejus.

23 Benedicta inter mulieres Jahel uxor Haber Cinæi, & benedicatur in tabernaculo suo.

24 Aquam petenti lac dedit, & in phiala principum obtulit butyrum.

25 Sinistram manum misit ad clavum, & dexteram ad fabrorum malleos, percussitque Sisaram quærens in capite vulneri locum, & tempus valide perforans.

26 Inter pedes ejus ruit, defecit, & mortuus est, volvebatur ante pedes ejus, & jacebat exanimis & miserabilis.

27 Per fenestram respiciens, ululabat mater ejus, & de cœnaculo loquebatur, cur moratur regredi currus ejus? quare tardaverunt pedes quadrigarum illius?

28 Una sapientior ceteris uxoribus ejus hæc socrui verba respondit.

29 Forsitan nunc dividit spolia, & pulcherrima fœminarum eligitur ei, vestes diversorum colorum Sisaræ traduntur in prædam, & supellex varia ad ornanda colla congeritur.

30 Sic pereant omnes inimici tui Domine, qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent.

CANTICUM ANNÆ

Regum 1. Cap. 11.

*Elcana * habuit uxores Annam, & Phenennam, quarum Anna diu sterilis, & æmulæ improperio tristis, fusa in Silo, coram Heli, oratione ad Dominum, genuit Samuelem, quem ex voto Deo obtulit. Itaque ingenti lætitia gestiens in gratiarum actionem canit hunc hymnum, in quo divina judicia in humanarum rerum conversionibus variis exemplis apertissimè demonstrat.*

1 *Exultavit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo.*
2 *Dilatatum est os meum super inimicos meos, quia lætata sum in salutari tuo.*
3 *Non est sanctus, ut est Dominus, neque enim est alius extra te, & non est fortis sicut Deus noster.*
4 *Nolite multiplicare loqui* sublimia, gloriantes.
5 *Recedant vetera de ore vestro; quia Deus scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes.*
6 *Arcus fortium* superatus est, *& infirmi accincti sunt robore.*
7 *Repleti prius, pro panibus se locaverunt, & famelici saturati sunt.*
8 *Donec sterilis peperit* plurimos, *& quæ multos habebat filios, infirmata est.*
9 *Dominus mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit.*
10 *Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & sublevat.*
11 *Suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem.*
12 *Ut sedeat cum principi-*

1 Est mei robur Deus, & voluptas
Pectoris: 2 nunc fas mihi pervicacem
Æmulam affari, sterilis quòd alvi in-
famia cessit.
3 Nemo sic rectus, neque fortis æquè,
Ut Deus: 4 5 vano nimis alta fastu
Verba jam parcant male gloriantes
Fundere linguæ.
Nil Deo ignotum: subit ille claustra
Cordis humani latebrosa: 6 frangit
Fortium robur, tenuesque firmo
Robore fulcit.
7 Mensa quos lautis hilarabat escis,
Mica servilis modo pascit; & qui
Ventre jejuno gemuere, abundant
Divite victu.
8 Ille mœrentes sine prole matres
Implet oratus sobole; atque multis
Læta quæ risit pueris, parentem
Efficit orbam.
9 Arbiter lethi Deus, atque vitæ
Inferûm ad sedes premit, atque pressos
Evocat; 10 nunc hos locupletat, hos nunc
Pauperat idem.
11 Promit obscuros, inopesque ab imo
Pulvere, 12 indutos radiante ut ostro

Inter

Inter electos Proceres superbæ
Collocet aulæ.
13 Ille enim vasto dominatur Orbi
Unus, eventusque regit; 14 piorum
Dirigit gressus, placidoque fessos
Litore sistit.
Impii in cœcis gradientur umbris,
Et metu linguam religante victi
Corruent: se vi propria quis ausit
Dicere fortem?
15 Intremunt hostes, simulac tonantem
Desuper currum Deus egit: 16 ille
Gentium judex erit, ille nostri
Gloria regis.

bus, & solium gloriæ teneat.

13 Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.

14 Pedes sanctorum suorum servabit, & impii in tenebris conticescent, quia non in fortitudine sua roborabitur vir.

15 Dominum formidabunt adversarii ejus, & super ipsos in cælis tonabit.

16 Dominus judicabit fines terræ, & dabit imperium regi suo, & sublimabit cornu Christi sui.

CANTICUM ISAJÆ.

Isaj. Cap. XII.

Hoc brevi hymno Isajas propheta Dei laudes attingit, Servatoremque humani generis venturum Messiam clarissimè innuit; omnesque gentes invitat ad Deum laudandum pro tam insigni beneficio hominibus collato.

1 GRato canam te pectore,
Rerum Creator optime,
Qui post furentis impetum
Iræ pius nos respicis.
2 Tu spes in arctis unica
Es rebus, ac solatium:
In te acquiesco; qui meum
Pectus timores occupent?
3 Tu robur ac fiducia,
Decusque solus inclytum,
Immobilisque es omnibus
Factus salutis anchora.
4 O fera gens mortalium,
Novis aquas e fontibus,
Per quas bibentis gaudio
Cor recreatur, hauries:

1 Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi, conversus est furor tuus, & consolatus es me.

2 Ecce Deus salvator meus, *fiducialiter agam, & non timebo.*

3 Quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.

4 Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, *& dicetis in illa die, confitemini Domino, & invocate nomen ejus.*

Quum-

Quumque hauriendo senseris,
Quanta his inest suavitas:
,, Huc, inquies, accedite;
,, Fons hic salutis janua.

5 Tanti datorem muneris
Deum vocate supplices;
Suique semper cogitet
Mens sanctitatem nominis.

6 Quam mira fint, quam splendida,
Quæ gessit, ortu ab lucido
Solis plagas ad ultimas
Seri occidentis pangite.

7 Perfusa dulci gaudio
Sion canoris vocibus
Hunc tolle, qui te numine
Præsente fidus protegit.

5 Notas facite in populis adinventiones ejus, mementote, quoniam excelsum est nomen ejus.

6 Cantate Domino, quoniam magnifice fecit, annuntiate hoc in universa terra.

7 Exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel.

CANTICUM EZECHIÆ

Isaj. Cap. XXXVIII.

Rex Ezechias in flore ætatis suæ tranquillus regnabat post insignem victoriam contra Sennacheribum obtentam, in cujus exercitu CLXXXV. *millia Angelus percusserat: ne verò ob hanc victoriam elatius se gereret, ad extremum vitæ a Deo per lethalem infirmitatem sibi immissam se vidit redactum. Ab hac liberatus post effusas pœnitenti animo lacrymas hunc hymnum * cecinit Eucharisticum, in quo divina beneficia, æternamque Dei providentiam ac judicia a viventibus prædicanda esse affirmat.*

1 Quum vitæ in medio pallida tramite
Se mors objiceret, jamque sub Inferûm
Me regna abriperet tristia, 2 cur mihi,
Dixi, quos poteras addere mitior,
Annos sæva negas? Non mihi numinis
Jam visenda domus sancta, 3 nec amplius
Felici populo mixtus, ut antea,
Tranquillo Solymis perfruar otio.

1 Ego dixi, in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi.
2 Quæsivi residuum annorum meorum, *dixi, non videbo Dominum Deum in terra viventium.*
3 Non aspiciam hominem ultra, & habitatorem quietis.

4 Quæ

4 Quæ firmet solium progenies meum
Eheu! nulla mihi linquitur, & miser
Cogor terrigenûm cedere sedibus;
Sublimisque ruet regia, pauperis
Ut culmen tugurî: 5 viribus integer
Succidor, veluti pendula quæ jugis
Texenti subitò tela reciditur.
De me actum; rapiar, serus ut aureā
Vesper signa polo sparserit, ultimum
Vel mane adveniet cras mihi: 6 singulis
Volvebam hæc animo lucibus: igneo
Æstu membra mihi morbus adederat,
Qualis prædam avidus dilacerans Leo.
7 Implumis veluti pullus hirundinis
Semota queritur matre, columbaque
Mœret rapta sibi pignora, pectore
Ex imo gemitus sic traho, 8 languida
In sublime ferens lumina: 9 ne lues
Ægrum conficiat morbida, tu fidem
Pro me obstringe Deus. Vota sed anxiis
Cur ultra precibus misceo, quum tuo
Vires restitui munere sentiam?
10 Quo, vitæ spatiis ulterioribus,
Sensu lætitiæ cor meditabitur
Evitata gravis damna periculi!
11 Nimirum hæ variant vitam hominum vices;
Nunc morbis premimur, nunc remeat salus,
Et nostra ambiguo stant pede tempora.
En, jucundum ageret quum mihi florida
Ver ætas, subiti turbinis obruit
Me vis; 12 sed gemitu tu edomitus meo,
Oblitusque animi crimina noxii
Mortis me rigidæ faucibus eripis,
Ut te mirifici muneris inclytum
Auctorem celebrem: 13 namque silentibus
Qui pressi tenebris in tumulo jacent
Haud laudare queunt te Deus, haud tua
Extinctos pietas respicit amplius.
14 Cui das æthereis, ut mihi, vescier
Auris, hujus erit te canere: hæc patres
Læti justitiæ splendida filiis

Nar-

4 *Generatio mea ablata est, & convoluta est a me, quasi tabernaculum pastorum.*

5 *Præcisa est velut a texente vita mea, dum adhuc ordirer, succidit me, de mane usque ad vesperam finies me*

6 *Sperabam usque ad mane, quasi leo sic contrivit omnia ossa mea.*

7 *De mane usque ad vesperam finies me, sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor ut columba.*

8 Attenuati sunt oculi mei, *suspicientes in excelsum.*

9 *Domine vim patior,* responde pro me, *quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit?*

10 *Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ.*

11 *Domine si sic vivitur, & in talibus vita spiritus mei, corripies me, & vivificabis me, ecce in pace amaritudo mea amarissima.*

12 Tu autem eruisti animam meam, ut non periret, *projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.*

13 *Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te, non expectabunt qui descendunt in lacum, veritatem tuam.*

14 *Vivens vivens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie, pater filiis notam faciet veritatem tuam.*

Narrent perpetuò facta, Deus, tuæ.
15 Quæ per te redeunt vita, salus mihi,
Da longo maneant tempore: te memor
In templo assiduis laudibus efferam.

15 Domine salvum me fac, & psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini.

CANTICUM HABACUC

Habac. Cap. III.

*Juda & Jerusalem excidium per Chaldæos prædicitur, sicut etiam Imperii Chaldæorum per Cyrum & Persas. Porro Propheta * Habacuc in hoc ** Cantico orat Deum, ut quæ mirabilia olim fecit, quum populum ex Ægypto eripuit, contra Babylonios eadem instauret.*

2 Domine audivi auditionem tuam, & timui.

1 Quum te monentem, quàm gravis exitus
Rebus superbi incumberet Imperî,
Turbatus audirem, verebar,
Ne populus Babylone servus
Pari ruina, bello ubi civitas
Arderet ingens, concideret, Deus:
Hunc ipse sed certus futuri
Eximis ex animo timorem.

2 Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud.
3 In medio annorum notum facies, cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.
4 Deus ab austro veniet, & sanctus de monte Pharan.
5 Operuit cœlos gloria ejus, & laudis ejus plena est terra.
6 Splendor ejus ut lux erit, cornua in manibus ejus.
7 Ibi abscondita est fortitudo ejus, ante faciem ejus ibit mors.
8 Et egredietur diabolus ante pedes ejus, stetit, & mensus est terram.

2 Præsta ergo magnum præsta opus, & graves
Oblitus iras quam citius tuis,
3 Intraque præscriptos salutem
Isacidis bonus affer annos.
4 Olim nivosi te Pharaan juga
Videre patres linquere; 5 claraque,
Quæ more te vestis tegebat,
Gloria sidereos replevit
Axes, & imas terrigenûm domos:
6 Lux fusa circum fulguris ignei
Ritu emicabat, dextra pollens
Lucida concutiebat arma.
7 8 Horrenda pestis te, miserandaque
Fames præibant: victor in hostium
Terris stetisti, mensus agri
Pingue solum patribus colendi.

9 Vix

ix nationes lumina ad impias
:rtisti, acerbus stravit eas pavor;
10 Suisque, te ductore gentis
Perpetuo Isaciæ, tyranni
:gnis coacti cedere, in omnia
ui tradituros secla nepotibus.
Se sceptra sperabant avorum
Innumerûm serie retenta.
uis molestos Æthiopas ego
ugisse vidi: vidi ego Madian
Tentoria eversa, & sub arctis
Compedibus gemuisse fortes.
'uæne tantum signa potentiæ
ccata discent flumina? Solane
Furore te accensum videbit
Unda rubri revoluta ponti?
luum nube vectus, præceleri velut
luadriga, in hostem, gens foret Isaci
Ut salva, 14 mittebas rubente
Tela necem paritura dextra.
'uo obligatam sic populo fidem
'unc liberasti: 15 se mare in aggeres
Divisit, & moles aquarum
Montibus assimiles præaltis,
'amquam dolerent se retrahi a suo
Cursu, invocabant te maris arbitrum,
Redire per notos ut alveos
Jam fineres, & in ima ferri.
ubente magno sol Josua stetit,
Dum tu corusco fulmine perfidos
Hostes, & horrenti procella
Opprimeres, Chananæa vastis
Delens ab imo cædibus oppida,
8 Circumque gentes attonitas gravi
Formidine invadens. 19 Tui sic
In populi egrediens salutem
Cum rege nostro, nunc quoque 20 ferteum
Domus scelestæ percute principem,
21 Eumque regali repellens
Turpiter e solio, nefandam

9 *Aspexit, & dissolvit gentes, & contriti sunt montes seculi.*

10 *Incurvati sunt colles mundi, ab itineribus æternitatis ejus.*

11 *Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.*

12 *Numquid in fluminibus iratus es Domine? aut in fluminibus furor tuus? vel in mari indignatio tua?*

13 *Qui ascendes super equos tuos, & quadrigæ tuæ salvatio.*

14 *Suscitans suscitabis arcum tuum, juramenta tribubus quæ locutus es.*

15 *Fluvios scindes terræ, viderunt te, & doluerunt montes, gurges aquarum transiit.*

16 *Dedit abyssus vocem suam, altitudo manus suas levavit.*

17 *Sol & luna steterunt in habitaculo suo, in luce sagittarum tuarum, ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ.*

18 *In fremitu conculcabis terram, & in furore obstupefacies gentes.*

19 *Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo.*

20 *Percussisti caput de domo impii, denudasti fundamentum ejus usque ad collum.*

21 *Maledixisti sceptris ejus,*

13 Ex Ephraim delevit eos in Amalec, & post eum ex Beniamin in populos tuos, o Amalec, de Machir principes descenderunt, & de Zabulon qui exercitum ducerent ad bellandum.

14 Duces Issachar fuere cum Debora, & Barac vestigia sunt secuti, qui quasi in praeceps ac barathrum se discrimini dedit, diviso contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio.

15 Quare habitas inter duos terminos, ut audias sibilos gregum? diviso contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio.

16 Galaad trans Jordanem quiescebat, & Dan vacabat navibus, Aser habitabat in litore maris, & in portubus morabatur.

17 Zabulon vero & Nephtali obtulerunt animas suas morti in regione Merome.

18 Venerunt reges & pugnaverunt, pugnaverunt reges Chanaan in Thanach juxta aquas Mageddo, & tamennihil tulere pradantes.

19 De caelo dimicatum est contra eos, stellæ manentes in ordine & cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt.

20 Torrens Cison traxit cadavera eorum, torrens Cadumim, torrens Cison, conculca anima mea robustos.

21 Ungulæ equorum ceciderunt fugientibus impetu, & per praeceps ruentibus fortissimis hostium.

22 Maledicite terræ Meroz, dixit Angelus Domini,

13 Efremi ex acie, Benjanimique cohorte,
Qui te delerent Amalecis inhospita proles,
Fortes ille viros delegit: in arma Machirus,
Et Zabulon misere duces: 14 15 mihi prima virorum
Issachari e castris se conjunxere, ducique,
Qui prior aggressus pugnam, se in valle Baraco
Addiderunt comites. Dubio dum pectore Rubēn
Montivagus pendet, socios anne adjuvet armis,
Anne manum abstineat bello, sibi maluit aures
Ut grex balatu, tuba quam perstringeret ære.
16 Vitrea Jordanis servans trans flumina sedem
Otia carpebat Galaad; ratibusque vehebat
Dan lucro intentus dites ad litora merces;
Inque acta, & curvis cessabat portubus Aser.
17 In Merome ast animas Zabulon, & Nephtali apertis,
Haud mortem timidi oppetere, objecere periclis.
18 Fœdere composito reges Chananeide ab ora
Venere, inque Thanach prope mœnia Mageddonis;
Et gemini torrentis aquas iniere feroces
Prælia; speratas at non potuere perempti
Exsuvias rapere. 19 Ipse æther se accinxerat armis,
Ultricesque sua stellæ in statione manentes
Adversus Sisaram nimbis, & grandine sæva
Pugnarant: 20 correpta sub undis fortia Cison;
Et Cadumim exanimum volvebant corpora, missis
Imbribus horrendùm tumefacti. Tu mea fortes
Sperne viros anima, & torrentia flumina sospes
Transgredere: 21 effusis dum per loca miles habenis
Robustus prærupta fugit, concussa repente
Impete præ rapido se se ungula quadrupedantum
Diffidit. 22 Ah! male Merotii tibi terra, tuisque

Civi-

Civibus esto, (Dei afflatu sic imprecor) armis
Proxima qui fratrum non adjuvere suorum
Agmina, nec sacri venere in fœdera belli.
23 Haberidæ Cinæi uxor Jahel inclyta cœtu
Una in fœmineo sit terque quaterque beata,
Lætaque perpetuo resonent tentoria cantu.
24 Illa duci Sisaræ, sitiens quum posceret undam,
Gemmata in phiala lac obtulit: impiger haustu
Hic ubi nectareo se proluit, haud mora somnus
Pressit labentes oculos; 25 simul illa trabalem
Accepit læva clavum, atque incudibus aptus
Malleus erigitur dextra; & dum quærit in hirto
Quam capite anteferat partem læsura cruento
Vulnere, prævalido cava tempora perforat ictu.
26 Ante pedes victricis adhuc convulsa tremiscunt
Membra ducis, largoque madescit arena cruore.
27 Interea ex altis mater miseranda fenestris
Prospiciens, segnesque moras causata dolenti
Talia poscebat gemitu; „ quid tardat euntis
„ Currus? sanguineoque ferox auriga jugales
„ Verbere non stimulat? " 28 Ducis una e pluribus uxor
Mente sagax miseræ sedato hæc pectore reddit.
29 „ Nunc tua progenies raptas ex hoste superbo
„ Dividit exsuvias, præstantemque ore puellam
„ E captivarum numero sibi deligit omni,
„ Illusasque auro vestes, nitidisque monile
„ Contextum gemmis, colli decus. " 30 Impia sic mors
Numinis infandos hostes demittat ad Orcum;
At quicumque, Deus, tua servat jussa, nitescat
Æmulus aurato, quum surgit ab æquore, soli.

maledicite habitatoribus ejus, quia non venerunt ad auxilium Domini, in adjutorium fortissimorum ejus.

23 Benedicta inter mulieres Jabel uxor Haber Cinai, & benedicatur in tabernaculo suo.

24 Aquam petenti lac dedit, & in phiala principum obtulit butyrum.

25 Sinistram manum misit ad clavum, & dexteram ad fabrorum malleos, percussitque Sisaram quarens in capite vulneri locum, & tempus valide perforans.

26 Inter pedes ejus ruit, defecit, & mortuus est, volvebatur ante pedes ejus, & jacebat exanimis & miserabilis.

27 Per fenestram respiciens, ululabat mater ejus, & de cœnaculo loquebatur, cur moratur regredi currus ejus? quare tardaverunt pedes quadrigarum illius?

28 Una sapientior caeteris uxoribus ejus hac socrui verba respondit.

29 Forsitan nunc dividit spolia, & pulcherrima fœminarum eligitur ei, vestes diversorum colorum Sisara traduntur in pradam, & supellex varia ad ornanda colla congeritur.

30 Sic pereant omnes inimici tui Domine, qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent.

CAN-

CANTICUM ANNÆ

Regum 1. Cap. 11.

*Elcana * habuit uxores Annam, & Phenennam, quarum Anna diu sterilis, & æmulæ improperio tristis, fusa in Silo, coram Heli, oratione ad Dominum, genuit Samuelem, quem ex voto Deo obtulit. Itaque ingenti lætitia gestiens in gratiarum actionem canit hunc hymnum, in quo divina judicia in humanarum rerum conversionibus variis exemplis apertissimè demonstrat.*

1 Est mei robur Deus, & voluptas
Pectoris: 2 nunc fas mihi pervicacem
Æmulam affari, sterilis quòd alvi infamia cessit.

3 Nemo sic sanctus, neque fortis æquè,
Ut Deus: 4 5 vano nimis alta fastu
Verba jam parcant male gloriantes
Fundere linguæ.

Nil Deo ignotum: subit ille claustra
Cordis humani latebrosa: 6 frangit
Fortium robur, tenuesque firmo
Robore fulcit.

7 Mensa quos lautis hilarabat escis,
Mica servilis modo pascit; & qui
Ventre jejuno gemuere, abundant
Divite victu.

8 Ille mœrentes sine prole matres
Implet oratus sobole; atque multis
Læta quæ risit pueris, parentem
Efficit orbam.

9 Arbiter lethi Deus, atque vitæ
Inferûm ad sedes premit, atque pressos
Evocat; 10 nunc hos locupletat, hos nunc
Pauperat idem.

11 Promit obscuros, inopesque ab imo
Pulvere, 12 indutos radiante ut ostro
Inter

1 *Exultavit cor meum in Domino, & exaltatum est cornu meum in Deo meo.*

2 *Dilatatum est os meum super inimicos meos, quia lætata sum in salutari tuo.*

3 *Non est sanctus, ut est Dominus, neque enim est alius extra te, & non est fortis sicut Deus noster.*

4 *Nolite multiplicare loqui* sublimia, gloriantes.

5 *Recedant vetera de ore vestro; quia Deus scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes.*

6 *Arcus fortium* superatus est, *& infirmi accincti sunt robore.*

7 *Repleti prius, pro panibus se locaverunt, & famelici saturati sunt.*

8 *Donec sterilis peperit* plurimos, *& quæ multos habebat filios, infirmata est.*

9 *Dominus mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit.*

10 *Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & sublevat.*

11 *Suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem.*

12 *Ut sedeat cum principi-*

Inter electos Proceres superbæ
Collocet aulæ.
13 Ille enim vasto dominatur Orbi
Unus, eventusque regit; 14 piorum
Dirigit gressus, placidoque fessos
Litore sistit.
Impii in cœcis gradientur umbris,
Et metu linguam religante victi
Corruent: se vi propria quis ausit
Dicere fortem?
15 Intremunt hostes, simulac tonantem
Desuper currum Deus egit: 16 ille
Gentium judex erit, ille nostri
Gloria regis.

bus, & solium gloriæ teneat.

13 Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem.
14 Pedes sanctorum suorum servabit, & impii in tenebris conticescent, quia non in fortitudine sua roborabitur vir.

15 Dominum formidabunt adversarii ejus, & super ipsos in cœlis tonabit.
16 Dominus judicabit fines terræ, & dabit imperium regi suo, & sublimabit cornu Christi sui.

CANTICUM ISAJÆ.

Isaj. Cap. XII.

Hoc brevi hymno Isajas propheta Dei laudes attingit, Servatoremque humani generis venturum Messiam clarissimè innuit; omnesque gentes invitat ad Deum laudandum pro tam insigni beneficio hominibus collato.

1 GRato canam te pectore,
Rerum Creator optime,
Qui post furentis impetum
Iræ pius nos respicis.
2 Tu spes in arctis unica
Es rebus, ac solatium:
In te acquiesco; qui meum
Pectus timores occupent?
3 Tu robur ac fiducia,
Decusque solus inclytum,
Immobilisque es omnibus
Factus salutis anchora.
4 O fera gens mortalium,
Novis aquas e fontibus,
Per quas bibentis gaudio
Cor recreatur, hauries:

1 Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi, conversus est furor tuus, & consolatus es me.

2 Ecce Deus salvator meus, *fiducialiter agam, & non timebo.*

3 Quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.

4 Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, *& dicetis in illa die, confitemini Domino, & invocate nomen ejus.*

Quum-

Quumque hauriendo senseris,
Quanta his inest suavitas:
„ Huc, inquies, accedite;
„ Fons hic salutis janua.

5 Notas facite in populis adinventiones ejus, mementote, quoniam excelsum est nomen ejus.

5 Tanti datorem muneris
Deum vocate supplices;
Suique semper cogitet
Mens sanctitatem nominis.

6 Cantate Domino, quoniam magnifice fecit, annuntiate hoc in universa terra.

6 Quam mira fint, quam splendida,
Quæ gessit, ortu ab lucido
Solis plagas ad ultimas
Seri occidentis pangite.

7 Exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israel.

7 Perfusa dulci gaudio
Sion canoris vocibus
Hunc tolle, qui te numine
Præsente fidus protegit.

CANTICUM EZECHIÆ

Isaj. Cap. XXXVIII.

*Rex Ezechias in flore ætatis suæ tranquillus regnabat post insignem victoriam contra Sennacheribum obtentam, in cujus exercitu CLXXXV. millia Angelus percusserat: ne verò ob hanc victoriam elatius se gereret, ad extremum vitæ a Deo per lethalem infirmitatem sibi immissam se vidit redactum. Ab hac liberatus post effusas pœnitenti animo lacrymas hunc hymnum * cecinit Eucharisticum, in quo divina beneficia, æternamque Dei providentiam ac judicia a viventibus prædicanda esse affirmat.*

1 Ego dixi, in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi.

2 Quæsivi residuum annorum meorum, *dixi, non videbo Dominum Deum in terra viventium.*

3 Non aspiciam hominem ultra, & habitatorem quietis.

1 QUum vitæ in medio pallida tramite
Se mors objiceret, jamque sub Inferûm
Me regna abriperet tristia, 2 cur mihi,
Dixi, quos poteras addere mitior,
Annos sæva negas? Non mihi numinis
Jam visenda domus sancta, 3 nec amplius
Felici populo mixtus, ut antea,
Tranquillo Solymis perfruar otio.

4 Quæ

4 Quæ firmet solium progenies meum
Eheu! nulla mihi linquitur, & miser
Cogor terrigenûm cedere sedibus;
Sublimisque ruet regia, pauperis
Ut culmen tugurî: 5 viribus integer
Succidor, veluti pendula quæ jugis
Texenti subitò tela reciditur.
De me actum; rapiar, serus ut aureā
Vesper signa polo sparserit, ultimum
Vel mane adveniet cras mihi: 6 singulis
Volvebam hæc animo lucibus: igneo
Æstu membra mihi morbus adederat,
Qualis prædam avidus dilacerans Leo.
7 Implumis veluti pullus hirundinis
Semota queritur matre, columbaque
Mœret rapta sibi pignora, pectore
Ex imo gemitus sic traho, 8 languida
In sublime ferens lumina: 9 ne lues
Ægrum conficiat morbida, tu fidem
Pro me obstringe Deus. Vota sed anxiis
Cur ultra precibus misceo, quum tuo
Vires restitui munere sentiam?
10 Quo, vitæ spatiis ulterioribus,
Sensu lætitiæ cor meditabitur
Evitata gravis damna periculi!
11 Nimirum hæ variant vitam hominum vices;
Nunc morbis premimur, nunc remeat salus,
Et nostra ambiguo stant pede tempora.
En, jucundum ageret quum mihi florida
Ver ætas, subiti turbinis obruit
Me vis; 12 sed gemitu tu edomitus meo,
Oblitusque animi crimina noxii
Mortis me rigidæ faucibus eripis,
Ut te mirifici muneris inclytum
Auctorem celebrem: 13 namque silentibus
Qui pressi tenebris in tumulo jacent
Haud laudare queunt te Deus, haud tua
Extinctos pietas respicit amplius.
14 Cui das æthereis, ut mihi, vescier
Auris, hujus erit te canere: hæc patres
Læti justitiæ splendida filiis

Nar-

4 *Generatio mea ablata est, & convoluta est a me, quasi tabernaculum pastorum.*

5 *Præcisa est velut a texente vita mea, dum adhuc ordirer, succidit me, de mane usque ad vesperam finies me*

6 *Sperabam usque ad mane, quasi leo sic contrivit omnia ossa mea.*

7 *De mane usque ad vesperam finies me, sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor ut columba.*

8 Attenuati sunt oculi mei, *suspicientes in excelsum.*

9 *Domine vim patior,* responde pro me, *quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit?*

10 *Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ.*

11 *Domine si sic vivitur, & in talibus vita spiritus mei, corripies me, & vivificabis me, ecce in pace amaritudo mea amarissima.*

12 Tu autem eruisti animam meam, ut non periret, *projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.*

13 *Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te, non expectabunt qui descendunt in lacum, veritatem tuam.*

14 *Vivens vivens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie, pater filiis notam faciet veritatem tuam.*

25 Domine salvum me fac, & psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini.

Narrent perpetuò facta, Deus, tuæ.
Quæ per te redeunt vita, salus mihi,
Da longo maneant tempore: te memor
In templo assiduis laudibus efferam.

CANTICUM HABACUC

Habac. Cap. III.

*Juda & Jerusalem excidium per Chaldæos prædicitur, sicut etiam Imperii Chaldæorum per Cyrum & Persas. Porro Propheta * Habacuc in hoc ** Cantico orat Deum, ut quæ mirabilia olim fecit, quum populum ex Ægypto eripuit, contra Babylonios eadem instauret.*

2 Domine audivi auditionem tuam, & timui.

1 Qum te monentem, quàm gravis exitus
Rebus superbi incumberet Imperî,
Turbatus audirem; verebar,
Ne populus Babylone servus
Pari ruina, bello ubi civitas
Arderet ingens, concideret, Deus:
Hunc ipse sed certus futuri
Eximis ex animo timorem.

2 Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud.

3 In medio annorum notum facies, cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.

4 Deus ab austro veniet, & sanctus de monte Pharan.

5 Operuit cælos gloria ejus, & laudis ejus plena est terra

6 Splendor ejus ut lux erit, cornua in manibus ejus.

7 Ibi abscondita est fortitudo ejus, ante faciem ejus ibit mors.

8 Et egredietur diabolus ante pedes ejus, stetit, & mensus est terram.

2 Præsta ergo magnum præsta opus, & graves
Oblitus iras quam citius tuis,
3 Intraque præscriptos salutem
Isacidis bonus affer annos.
4 Olim nivosi te Pharaan juga
Videre patres linquere; 5 claraque,
Quæ more te vestis tegebat,
Gloria sidereos replevit
Axes, & imas terrigenûm domos:
6 Lux fusa circum fulguris ignei
Ritu emicabat, dextra pollens
Lucida concutiebat arma.
7 8 Horrenda pestis te, miserandaque
Fames præibant: victor in hostium
Terris stetisti, mensus agri
Pingue solum patribus colendi.

9 Vix



9 Vix nationes lumina ad impias
Vertisti, acerbus stravit eas pavor;
10 Suisque, te ductore gentis
Perpetuo Isaciæ, tyranni
Regnis coacti cedere, in omnia
Qui tradituros secla nepotibus
Et sceptra sperabant avorum
Innumerûm serie retenta.
11 Tuis molestos Æthiopas ego
Fugisse vidi: vidi ego Madian
Tentoria eversa, & sub arctis
Compedibus gemuisse fortes,
12 Tuæne tantum signa potentiæ
Siccata discent flumina? Solane
Furore te accensum videbit
Unda rubri revoluta ponti?
13 Quum nube vectus, præceleri velut
Quadriga, in hostem, gens foret Isaci
Ut salva, 14 mittebas rubente
Tela necem paritura dextra.
Tuo obligatam sic populo fidem
Tunc liberasti: 15 se mare in aggeres
Divisit, & moles aquarum
Montibus assimiles præaltis,
16 Tamquam dolerent se retrahi a suo
Cursu, invocabant te maris arbitrum,
Redire per notos ut alveos
Jam fineres, & in ima ferri.
17 Jubente magno sol Josua stetit,
Dum tu corusco fulmine perfidos
Hostes, & horrenti procella
Opprimeres, Chananæa vastis
Delens ab imo cædibus oppida,
18 Circumque gentes attonitas gravi
Formidine invadens. 19 Tui sic
In populi egrediens salutem
Cum rege nostro, nunc quoque 20 ferreum
Domus scelestæ percute principem,
21 Eumque regali repellens
Turpiter e solio, nefandam

9 Aspexit, & dissolvit gentes, & contriti sunt montes seculi.
10 Incurvati sunt colles mundi, ab itineribus æternitatis ejus.

11 Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.

12 Numquid in fluminibus iratus es Domine? aut in fluminibus furor tuus? vel in mari indignatio tua?

13 Qui ascendes super equos tuos, & quadrigæ tuæ salvatio.
14 Suscitans suscitabis arcum tuum, juramenta tribubus quæ locutus es.

15 Fluvios scindes terræ, viderunt te, & doluerunt montes, gurges aquarum transiit.
16 Dedit abyssus vocem suam, altitudo manus suas levavit.

17 Sol & luna steterunt in habitaculo suo, in luce sagittarum tuarum, ibunt in splendore fulgurantis hastæ tuæ.

18 In fremitu conculcabis terram, & in furore obstupefacies gentes.
19 Egressus es in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo.
20 Percussisti caput de domo impii, denudasti fundamentum ejus usque ad collum.
21 Maledixisti sceptris ejus,

capiti bellatorum ejus, venientibus ut turbo ad diſpergendum me.

Exſcinde ſtirpem funditus; Imperî
Everte robur; belligeros duces,
In noſtra qui ritu procellæ
Damna ruunt, tua ſternat ira.

22 *Exultatio eorum, ſicut ejus qui devorat pauperem in abſcondito.*

22 Haud clade noſtra parcius impii
Lætantur hoſtes, quam miſerum latro
Telo viatorem cruento
Confodiens per opaca ſilvæ.

23 *Viam feciſti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum.*

23 At tu per undas qui maris, inſidens
Equo volucri, quondam aditum tuæ
Genti recluſiſti, potentem
Prodigia ad nova tende dextram.

24 *Audivi, & conturbatus eſt venter meus, a voce contremuerunt labia mea.*

24 Quanti at timoris nunc mihi nuntia
Heu vox ad aures pervenit! Horreo,
Non verba ſonantem ſequuntur,
Pectore deficiente turbor.

25 *Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat.*
26 *Ut requieſcam in die tribulationis, ut aſcendam* ad populum accinctum *noſtrum.*
27 *Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis*
28 *Mentietur opus olivæ, & arva non afferent cibum.*
29 *Aſcindetur de ovili pecus, & non erit* armentum in præſepibus.

25 Artus putreſcant, oſſaque lugubri
Ante in ſepulcro, 26 meque parentibus
Sopore conjungam perenni,
Quam videam tot acerba belli.
27 Diſrumpet hoſtis mœnia barbarus,
Vaſtabit agros, arida non ferent
Arbuſta fructus, 28 vitibuſque
Deficient, oleiſque cultus.
Non arva ſpicis conteget aureis
Matura meſſis, 29 nulla in ovilibus
Pecus relinquetur, boveſque
A ſtabulis removebit hoſtis.

30 *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo* in Deo Jeſu meo.

30 At quando tantis nos, Pater optime,
Malis reſervas, in te ego pectore
Læto acquieſcam, qui priori
Reſtitues populum ſaluti.

31 *Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quaſi cervorum.*
32 *Et ſuper excelſa mea deducet me victor, in pſalmis canentem.*

31 Tu roborabis me Deus; alites
Tu more cervi, queis fugiam, pedes
Aptabis, 32 & victor canentem
Ad patriæ juga celſa duces.

CAN-

CANTICUM * TRIUM PUERORUM

Dan. Cap. III.

Ananias, Misael, & Azarias Hebræi pueri renuentes adorare statuam, quam rex Nabuchodonosor erexerat, ligati mittuntur in fornacem ignis ardentis, in qua illæsi manentes hoc hymno laudes Deo deferunt, omnesque creatas res tam cœlestes, quam sublunares ad laudandum Creatorem invitant, atque exhortantur.

1 2 3 O Qui nostrorum columenque, decusque parentum es,
Et quem conspicuo; Deus; inclyta vestit amictu
Gloria, sive tenes sacri penetralia templi,
Seu videt astriferæ te pars sublimior arcis
4 Insidentem alis Cherubim flammantibus, alto
Non secus ac solio; maria unde profunda, sinusque
Terrai occultos introspicis; 5 æmula in ævum
Perpetuum tibi quisque canat præconia; 6 tuque
Omnigenûm o rerum series, fœcunda Tonantis
Cui dedit e nihilo vox surgere, plaude parenti
Læta tuo: 7 8 vos ætherei gens incola regni,
Præpetibus pennis jussa in divina volantes
Dicite eum juvenes: tu cuncta videntis Olympi
Clara domus; quæque in nitida consistitis undæ
Parte poli, 9 tu sol, tu luna, ac sidera, 10 vosque
Seu denso obstrepitis pluviæ agmine; seu sitientes
Leniter humectatis agros, vos flamina; 11 & acris

1 Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, & laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in secula, & benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum, & laudabile, & superexaltatum in omnibus seculis.

2 Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ, & superlaudabilis, & supergloriosus in secula.

3 Benedictus in throno regni tui, & superlaudabilis, & superexaltatus in secula.

4 Benedictus es, qui intueris abyssos, & sedes super cherubim, & laudabilis, & superexaltatus in secula.

5 Benedictus in firmamento cœli, & laudabilis & gloriosus in secula.

6 Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate, & superexaltate eum in secula.

7 Benedicite Angeli Domini Domino, benedicite cœli Domino.

8 Benedicite aquæ omnes quæ super cœlos sunt, Domino, benedicite omnes virtutes Domini Domino.

9 Benedicite sol & luna Domino, benedicite stellæ cœli Domino.

10 Benedicite omnis imber & ros Domino, benedicite omnes spiritus Dei Domino.

11 Benedicite ignis, & æ-

ſtus Domino, benedicite frigus & aſtus Domino.

11 Benedicite rores & pruina Domino, benedicite gelu & frigus Domino.

13 Benedicite glacies & nives Domino, benedicite noctes & dies Domino.

14 Benedicite lux & tenebræ Domino, benedicite fulgura & nubes Domino.

15 Benedicat terra Dominum, laudet & ſuperexaltet eum in ſecula.

16 Benedicite montes & colles Domino, benedicite univerſa germinantia in terra Domino.

17 Benedicite fontes Domino, benedicite maria & flumina Domino.

18 Benedicite cete, & omnia quæ moventur in aquis Domino, benedicite omnes volucres cœli Domino.

19 Benedicite omnes beſtiæ & pecora Domino, benedicite filii hominum Domino.

20 Benedicat Iſrael Dominum, laudet & ſuperexaltet eum in ſecula.

21 Benedicite ſacerdotes Domini Domino, benedicite ſervi Domini Domino.

22 Benedicite ſpiritus & animæ juſtorum Domino, benedicite ſancti & humiles corde Domino.

23 Benedicite Anania, Azaria, Miſael Domino, laudate, & ſuperexaltate eum in ſecula.

Quia eruit nos de inferno, & ſalvos fecit de manu mortis, & liberavit nos de medio ardentis flamma, & de medio ignis eruit nos.

Æſtus, bruma rigens, 12 tacitoque in gramina, rores,
Qui lapſu ruitis, quæque uritis arva pruinæ,
Frigoraque, 13 & glacies, & nix, vicibuſque ſueti
Alternis nox atque dies procedere, magno
Rectori ſuperûm præconia dicite: 14 lux hunc,
Hunc tenebræ horrentes, atque ipſa ſilentia laudent,
Fulguraque, & nubes, 15 16 tellus cum montibus altis,
Cumque ſuis nemora arboribus, 17 fluviique perennes,
Et maris horriſoni freta cerula, 18 grandia cete,
Quotquot & in ſalſo ſpatiantur gurgite piſces:
Vos pictæ volucres, 19 tuque o genus acre ferarum,
Et lætis pecudes tondentes gramina campis,
Terrigenæque omnes; 20 at tu plus omnibus una
E populis lauda Iſacidum gens inclyta numen;
21 Voſque ſacerdotes caſti, queis cura Tonantem
Poſcere ſupplicibus votis, ac flectere donis;
22 Et vos o nulla culparum ærugine tacti
Juſtorum cœtus, manus acceptiſſima cœlo,
Qui miti haud tumidos agitatis pectore ſenſus,
Suaviloqua unanimes in carmina ſolvite voces:
23 Vos quoque vos terni juvenes, victura per ævum
Nomina, quorum artus flamma haud crepitante cremari
Obſtupuit fornax, lætoque incedere greſſu
Quos velut herboſi vidit per roſcida campi
Gramina, cœlicolûm grates perſolvite regi.

PARA-

PARAPHRASIS POETICA

In novi Teſtamenti Cantica.

CANTICUM SIMEONIS.

Luc. Cap. II.

Simeon propheta jam ſenior viſo humani generis Reparatore Jeſu puero, eoque in ulnas accepto mori deſiderat.

1 TUum eja, o Genitor benigne, ſervum
Lætum me modo, compotemque voti
Vinclis corporeæ reſolve molis,
Compoſtus placida ut quiete ſanctis
Adjungar patribus, tua quod olim
Voce es pollicitus: 2 quid hoſpes ultra
In terris ego quid morabor? Illum
Quum jam, quem omnibus unicè expetebam
Votis, contigerit mihi intueri
Humanæ his oculis ducem ſalutis,
Ulniſque excipere, atque mille preſſo
Illi baſia figere ore, 3 quem tu
Omnium ante oculos, & ora ſignum
Erexti veluti, in quod univerſæ
Gentes reſpicerent, ab axe quas ſol
Luſtrat flammifera face: 4 hic fugabit
Errorum tenebras dies ab orbe,
Et Verum populos docebit omnes:
Hic nepotibus afferet perenne
Tuorum decus Abrahamidarum.

1 Nunc dimittis ſervum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace.

2 Quia viderunt oculi mei, ſalutare tuum.

3 Quod paraſti, ante faciem omnium populorum.

4 Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.

CANTICUM B. M. VIRGINIS

Luc. Cap. 1.

Hoc Cantico B. Virgo Maria laudes divinas prosequitur, deinde beneficia sibi a Deo peculiariter collata; universimque humano generi recenset, Deique fidelitatem in servandis promissionibus Abrahamo factis celebrat.

1 Magnificat anima mea Dominum.
2 Et exultavit spiritus meus, in Deo salutari meo.
3 Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.
4 Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen ejus.
5 Et misericordia ejus a progenie in progenies, timentibus eum.
6 Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.
7 Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.
8 Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.

1 NUtu regentem sidera laudibus
Efferre magnis aggredior: 2 mihi
Cor gaudio exultat, salutem
Ferre Deo veniente terris.
3 Hanc ille ab alto dum famulam polo
Vidit modestis moribus, & nihil
Inesse fastus, in pudicam
Illico deproperavit alvum:
Astra hinc rotarit dum polus aurea,
Vastumque terras ambierit mare,
Vocabor in terris per omnes
Progenies hominum beata.
4 O quot potentis dextera numinis
In me peregit prodigia! O Dei
Nomen tremendum, perque cuncta
Secula terrigenis colendum!
5 Quicumque fida mente timent, bonum
Sensere nullo non sibi tempore,
Atque ultimi noscent nepotes
Ingenita pietate largum.
6 At non scelesti non ita, turgidæ
Nam vota mentis disjicit; 7 impios
E sede detrudit tyrannos,
Atque humiles solio reponit.
8 Ille & potentes divitias viro
Superbienti providus abstulit,
Mentisque mortalem modestæ
Divitiis miseratus auxit.

9 Exem-

9 Exempla natis nunc quoque in Isaci
Tam mira prodit; jamque sub asperæ
Jugo gementem servitutis
Aggreditur relevare gentem.
Quæcumque priscis patribus, & suo
10 Promisit olim Thariadi, pius
Jam præstat, antiqunmque fœdus,
Quod pepigit, memor ecce firmat.

9 Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.

10 Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini ejus in secula.

CANTICUM ZACHARIÆ

Luc. Cap. 1.

In hoc Cantico, quod vaticinium ad formam laudationis expressum dici potest, Zacharias ejus auctor primùm pertinentia ad humani generis Reparatorem præmittit, deinde insignem de filio suo Joanne Baptista prophetiam, qua futurus Domini præcursor denuntiatur, attingit.

1 SIt magna Isacidum gloria numini,
Illique eximio gens sua carmine
Plaudat, quam superis visit ab arcibus,
Et tristis redimit jugo
Pressam servitii: 2 panditur inclyti,
Dilectique sibi Regia Davidis;
Vitæ & clara Deus signa salutifer
Heic mortalibus erigit.
3 En jam pollicitis certa fides adest;
Afflatosque sacro numine seculis,
Quam vates voluit sæpe prioribus
Nobis præcinere, 4 en salus
Optata edomitis hostibus advenit:
5 Pactum mente sedet, quo fore se pium
Prædixit patribus; 6 jam reputat bonus,
Se jurasse Abrahæ suo,
Terris progeniem quod daret unicam,
7 8 Hostis quæ stygii robur & impios
Fasces frangeret, ut deposito metu
Puro pectore numini

1 Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ.

2 Et erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui.

3 Sicut locutus est per os sanctorum, qui a seculo sunt, prophetarum ejus.

4 Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos.

5 Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, & memorari testamenti sui sancti.

6 Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis.

7 Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi.

8 In sanctitate, & justitia

coram ipso, omnibus diebus nostris.

9 Et tu puer, propheta Altissimi vocaberis, praibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.

10 Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum.

11 Per viscera misericordia Dei nostri, in quibus visitavit nos, oriens ex alto.

12 Illuminare his, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Præbere obsequium gens sibi militans
Posset perpetuum: 9 tuque eris, o Puer,
Tu vates superi regis eris, patre
Me felix soboles fata.
Præmitti sibi vult te Deus, ut viam
Illi rite tuis gressibus instruas;
10 Jamque ille adveniens crimina fontium
Aufert, jam populos docet
Arcis sidereæ limina scandere:
11 Nostris ille malis tangitur, inclyta
Nam vicit pietas, qua rigidam sui
Flexit justitiam Patris.
Ceu sol, quem nitido roscida prævenit
Aurora exoriens lumine, sedibus
Delapsus patriis visere mitior
Humanum properat genus.
12 Squalore, ac tenebris tristibus obsiti
Incertis ferimur gressibus horridæ
Vallis per salebras, mors ubi ferreo
Heu! sceptro miseros premit.
Ast ille irradiet lumine fulgido,
Et quà pacis iter perpetuæ patet
Gressu nos facili provehat, & poli
Lætos sedibus inferat.

F I N I S.

ANNO-

ANNOTATIONES

IN CANTICUM I. MOSIS pag. 1.

* NOn fuit heic simplex maris reciprocatio, sive accessus ille ac recessus aquarum statis horis contingens, cujus causa adhuc torquet Philosophos, quod ii volunt, qui Hebræorum transitum per mare rubrum absque miraculo fuisse contendunt, solis naturalibus causis tribuentes. Nam Exodi cap. XIV. v. 19. divisio maris Angeli ministerio facta esse dicitur. Immo in hoc etiam est speciale miraculum de tam celeri transitu tot millium hominum & jumentorum spatio fere quinque horarum: nam media nocte commisere se mari, & sub auroram evaserunt in litus Asiæ oppositum, emenso trium leucarum spatio. Ita Josephus, Adricomius, & Joannes de Barros ex Philone, Gregorio Nisseno, Lyrano, Cajetano, & aliis.

Refert Josephus lib. 2. Antiquit. Judaic. cap. ultimo, simile quid accidisse Alexandro Magno, cujus ductu Macedonibus cesserit Pamphylium mare, & aliam viam non habentibus illac iter aperuerit, quum Deus ejus opera ad destruendum Persarum imperium uti decrevisset. Quod si verum est, eo forte divinitus actum est, ut doceremur, neque impossibile esse, neque stultè ac inaniter credi, quod de transitu maris rubri, duce Mose, Sacræ Literæ tradunt.

** Pag. 1. Quo genere carminis conscriptum sit hoc Canticum ignoratur. Josephus versus hexametros fuisse affirmat, licet hac in re nihil certi statui posse mihi videtur. S. Hieronymus variis in locis docuit, Cantica, Libros Psalmorum, Jobi, ac Proverbia metrica ratione constare. Conati sunt plurimi priscam eam Hebræorum Poesim explicare; sed nemo hactenus potuit. Quocirca vanissimè Thuanus lib. 3. Historiarum scripsit, Joannem Mercerum veterum Hebraicorum carminum rationem, quæ hactenus nobis incognita est, perspectam habuisse, ac proditurum scriptis se recepisse. Hoc jactantior alter fuit Marcus Meibomius, qui audacia & temeritate ceteros superavit. Gloriabatur enim, se memetri Hebraici arcanum omnibus ignotum detexisse, postremosque qui scirent fuisse Jeremiam, Danielem, & Ezechielem; additque, tale metrum, quod ipse somniat, esse principium cognoscendi corruptiones in textum inductas, & rationem eas corrigendi. Immo Fourmontius addendo vel substituendo voces similiter desinentes multa loca Hebraici textus corrigit, Vulgatæque accommodat. Horum opinioni concordat Hermannus Van-der Hart, qui sacros Prophetas omnia metricè scripsisse affirmat: tres primæ Joelis Elegiæ ab eo editæ Amstelodami a curiosis videri possunt. Alii contra contendunt, nihil esse in tota Scriptura vera metri ratione ac lege adstrictum, nisi forsan alicubi quædam rythmi tinnulæ necessitates inveniantur, diversæ longe a metricis verorum carminum rationibus, quos Virgilius lib. 2. Georgicor. *versus incomptos* appellat. Nec defuere qui assererent, hebraicam poesim nec

in mensura syllabica, nec in simili desinentia, sed in una gravitate sententiarum, stilique sublimitate consistere. Ita Robertus Lovvth in opere inscripto *de sacra Hebraeorum poesi*, & fere omnes qui post eum scripserunt. Et licet ab eo dicta sufficere, & huic quaestioni finem imposuisse viderentur, hunc tamen obscurissimum inextricabilemque labyrinthum iterum sunt ingressi Couutant, Mattei, Sanchez aliique multi; & Guilielmus Jones dum de Hebraica Poesi aliquam statuere regulam laborat ita concludit: *Non sum nescius, plena esse errorum omnia, & in profundo demersam latere veritatem*. Quapropter quum nihil hac in re compertum adhuc habeamus, sua cuique libera relinquatur opinio.

De recentioris hebraicae poeseos ortu non erit alienum hoc loco aliqua breviter indicare. Hebraei nullam aliam Poesim, nisi vererem illam Scripturae agnoscentes, formam tamen & structuram penitus ignorantes, Arabum exemplo, qui sua lingua multa versu egregiè scribebant permoti animum induxere, ut metrum Arabicum, versusque Arabici structuram ad propriam linguam transferrent, atque accommodarent. Id primus egit circa annum 1040. R. Salomon ben Gabirol Cordubensis, qui communiter restauratae Hebraicae poeseos, paucis repugnantibus, auctor esse creditur. Hic multa variique argumenti carmina elucubravit, plurimosque suae gentis ad ejus sequenda excitavit vestigia. Quo factum est, ut Hebraica poesis brevissimo tempore in Asiam, Africam, aliasque Europae partes transmigraverit. Eruditus Aben Ezra, cultusque & elegans Maimonides eam feliciter excoluere; adeoque apud Hebraeos Arabum auctoritas exemplumque valuit, ut eorum metrum semel in sua carmina invectum constanter postmodo retinuerint. Summa verò veneratio, cultusque religiosus, quo suam linguam Hebraei prosequuntur non eis finit, ut eam profanis amoribus, obscenis cantionibus, satyris, ineptisque id genus argumentis deturpent ac dehonestent. Sacra igitur, moralia, philosophica & interdum didascalica poemata confingunt Hebraei, ut citatus Aben Ezra, qui de ludo latrunculorum (vulgo Scacchi) tot seculis ante quam Hieronymus Vida suam vulgavit Scaccheidem, docto elegantique carmine scripsit; & siqui inter eos sunt, qui licentius aliquid edidere, horum Auctorum lectio a religioso interdicitur synedrio, & pro impiis habentur. Utinam Christiani poetae hac in parte eos imitarentur!

De Mosis antiquitate siquis curiosior forte est, huic ego Eusebii caput III. libri X. de Evangelica praeparatione legendum propono. Ibi enim invenier, eum non modo Trojani belli tempus, omnesque Graecos Poetas, & Sapientes antecessisse, sed longe ante ipsam Graecarum literarum inventionem, quae Cadmo tribuitur, fuisse. Ad quae probanda Porphyrii testimonio utitur, illius videlicet, qui Hebraeorum aequè ac Christianorum inimicissimus ipsum quoque Mosem, atque prophetas improbis petere verbis ausus est. Is ergo Sanconiatonem Berutium non multo post Mosem Semiramidis temporibus fuisse scripsit. Eusebius vero, Mosem ad Ogygis tempora refert, a quo Thebae Boeotiae aedificatae circiter mille & quingentis annis ante Urbem conditam, & ad Cecropem antiquissimum regem, qui Athenas vel condidit, vel a Pallade conditas amplificavit, quique trigesimo

mò Mosis anno regnare cœpit, annis videlicet ante Trojam captam 375. Vide Polydor. Virg. lib. 1. cap. IV. & VI. Omnia ergo quæ apud Græcos mirabilia narrantur post Cecropem fuisse constat; Deucalionis diluvium, Phaetontis incendium, nativitas Erichthtonii, Proserpinæ raptus, Cereris mysteria, Eleusinorum constitutio, Triptolemi satio, Europæ raptus a Jove, Apollinis partus, Cadmi ad Thebas adventus, Hercules &c.

Circa Sanconiatonem tamen, qui partim a singularum urbium annalibus, partim a libris sacris, qui templis dedicari solebant, plurima collegit, Phœnicumque lingua de veteri Theologia, deque antiquitatibus Phœniciis scripsit, falli videtur Porphyrius, quum eum in Semiramidis tempora conjicit; sic enim Mosem ipsum, quem pene synchronum Sanconiatoni dicit, tribus seculis vetustiorem faceret, quam communis fert sententia, quæ ejus ortum ponit anno mundi 2464. Qua epocha ejus nativitati assignata, adhuc Moses omnia Græciæ tempora tam fabulosa, quam historica absque ulla controversia præcedere invenietur.

v. 4. Hebr. *Dominus vir belli*, seu *pugna*: idest magnus bellator, a quo eventus bellorum pendent.

v. 5. Hebr. *in mari suph*, quod *carectosum* significat, quia multo carice litora abundant. A Latinis *mare rubrum* a colore arenæ; a Græcis *Erythræum*, sive ob eam causam, sive ab Erythro rege, cujus sepulcrum ad litus erat. Sic Curtius, & Mela.

Ibid. *Abyssi &c.* Geminæ aquarum congeries ac moles, quæ Israelitis cesserant a dextris & a sinistris, & tantisper constiterant, dum omnes Ægyptii in mare descendissent, demissæ & coeuntes absorpserunt, ac operuerunt Ægyptios.

v. 7. *Congregatæ &c.* Septoaginta verterunt, *divisa est aqua*. Aquæ quæ natura sua sunt fluidæ, steterunt solidæ in cumulum, & nativæ mobilitatis veluti oblitæ.

v. 11. *Submersi sunt &c.* Malvenda, & quidem egregiè, hanc etiam elici posse sententiam docet: *operti fuerunt quasi plumbo*. Sic enim evitatur repetitio ejusdem ferme sententiæ, dixerat enim superius: *descenderunt in profundum quasi lapis*.

v. 12. Hebr. *Elohim*, quod *Deos*, & *fortes* significat: quare Septuag. vertunt: *Quis similis tui in Diis, Domine?*

v. 13. *Devoravit &c.* Alveo certè maris carectosi & algosi, aqua relabente fermentato, veluti paludosis voraginibus hausti fuerunt; vel, fundum maris excepit eos aquis in terra obrutos, ac si essent devorati.

v. 14. *Portasti &c.* Præteritum pro futuro, quod solemne Hebræis, adeo ut non solum sit enallage, sed & prophetia.

v. 19. *In monte &c.* Mons hæreditatis est mons Sion, seu Moria. Prophetat heic Moses; Templum enim post 480. annos ibi ædificatum. Potest & regio Chanaanitidis accipi, quam Deus eis daturus, cum ipsis habitaturus, suaque præsentia sanctificaturus erat: tota montosa est.

v. 20. *Dominus regnavit in æternum, & ultra*. Hyperbolicè, & per quamdam emphasis speciem dictum, qua significatur prorsus infinitum Dei regnum. Nihil autem ultra æternitatem esse potest, quæ universum tempus in se complectitur. Cum hoc vers. Canticum definit: duos tamen etiam sequentes canit Ecclesia.

IN CANTICUM II. MOSIS.

v. 1. *Audite &c.* Quod Moses initio statim cœlos & terram auditores & testes invocet, hoc ex affectu exuberantissimo fieri observant interpretes, idque duplici ratione, quòd cœlum ac terra perpetuò durent, homines autem pereant; altera quod si non essent servaturi præcepta Dei, fore ut nec cœlum pluviam, nec terra daret fruges suas; secus, si servarent. Notant etiam, gravissimam sanè hanc esse contestationem, perinde ac si hominibus nullæ essent aures, proinde ad elementa muta confugiendum fuit.

v. 2. Hebr. *Stillet ut pluvia verbum meum &c.* hoc est. Utinam eum fructum efferat oratio mea in cordibus Israelitarum, quem proferunt pluvia & ros in terra; vel: Quemadmodum pluvia plurimis minutis guttis defluens terram irrigat; ita cantici hujus plures sententiæ sæpius repetitæ corda Hebræorum molliant, penetrent, ac bene afficiant. Similitudo pulcherrima, & prorsus nova.

v. 3. *Quia nomen Domini invocabo.* A Mose Græci & Latini Poetæ morem invocandi numen initio carminis accepisse videntur. Aratus initio Phænomenon interprete Cicerone:

Ab Jove Musarum primordia.

Et Germanicus Cesar:

Ab Jove principium magno deduxit Aratus Carminis.

Theocritus verò Idyllio XVII. v. 1.

A Jove incipiamus, & in Jovem desinite, o Musa.

Quem Virgilius imitatus Ecloga III. v. 60.

Ab Jove principium, Musa.

Sunt multi, qui ab Asiaticis & ab Hebræis potissimùm originem Græcæ repetunt literaturæ atque poeseos. Et re quidem vera quum in Homero, Pindaro aliisque Græcis poetis plura loca quam simillima iis, quæ in sacris sunt paginis, inveniantur, ut Anna Dacier & Jubb adnotant, non leve hinc erui argumentum posse existimant, Græcos ab Hebræis literis multa suisse mutuatos. Quod licet concedatur, fatendum tamen semper erit, Græcos sub indulgentiori cœlo natos, atque in bene constituta republica viventes fœcunditati perspicaciæque proprii ingenii mirabiles ac rapidos progressus, quos in poesi omnique eloquentiæ genere fecerunt, multo magis, quam imitationi debere.

v. 5. Hebr. *Fidelitas &c.* Abstracta heic magnam vim habent.

Ibid. *& non filii ejus:* scilicet non se gerentes, ut filios decebat.

v. 6. Hebr. *Popule nihili, amens, asynetos*, in quo ne mica quidem sit bonæ mentis, in quo nihil succi.

v. 7. Pro *fecit* quidam vertunt, *magnificavit, ornavit*, in quo sensu verbum *facere* non semel accipi notant; vel ut alii, *stabilivit te, formavit te*.

v. 8. Hebr. *Dierum seculi*.

v. 11. *Constituit &c.* Quantum sufficeret, tantum illis dedit ad habitandum. Quantum hoc est beneficium, quod Israelitis nondum existentibus jam tum initio mundi possessiones designarit!

v. 13. *Invenit &c.* Quæ de loco horroris & solitudinis hoc loco dicuntur, ad animum transferenda satius esse duxi.

v. 15. *Sicut &c.* Hebræi in Ægypto quasi nidulo conclusi non audebant egredi; Deus verò illos excitavit, ut inde velut aquilæ pulli

pulli evolarent. Hanc similitudinem Latini postea poetæ usurparunt, in quibus Horatius Od. III. lib. IV.

v. 19. *Ut sugeret &c.* Poeticè & figuratè hæc dicta sunt de maxima abundantia mellis in ea terra, quasi dicat.

.... *& rupes sudabunt roscida mella.* Apes enim in cavis petris, & caverniculis in topho excavatis sponte mellificant in Palæstina, & alibi.

v. 20. Hebr. *Butyrum bovis, & lac ovis.*

Ibid. *cum adipe &c.* Adipem separatim comedere nunquam poterant Judæi, lege id vetante (Levit. III. v. 17. & VII. v. 23.) Sed heic nomine adipis intelligitur quidquid in quaque re est pinguissimum, & optimum. Et revera in Basan, regione trans Jordanem, quæ olim Og regis fuerat, & postea cessit dimidiæ tribui Manassis erant uberrima pascua, ut proinde quæ ibi pascebantur armenta & greges ceteris pinguiores essent.

v. 21. *Cum medulla &c.* Figuratè ponitur pro tritico optimo, & succulento eadem ratione, qua alibi illi adeps tribuitur. Nam in optimo tritico extuberant genicula forma renibus persimili. Metaphora ab animantibus sumpta.

v. 22. *Recalcitravit*, ut pingue jumentum.

v. 24. Hebr. *Zelare fecerunt eum.*

v. 26. Hebr. *Novi de propinquo venerunt* scilicet Dii; vel de propinquo loco, vel de propinquo tempore: hoc est exorti sunt, & reperti ad colendum. Hos Hieronymus, & Septuaginta *propinquos* dixere.

v. 31. & 32. Hebr. *Ipsi zelare fecerunt me in non Deo*, hoc est, in re quæ non est Deus: *Et ego zelare faciam eos &c.* Faciam, ut gentium felicitate conspecta invideant, vel indignentur.

v. 34. *Devorabitque &c.* Ira mea nihil relinquet intactum; ad ipsas etiam extremas inferni regiones perveniet. Locutiones metaphoricæ.

v. 35. Hebr. *Consumam.* Ne una quidem sagitta in pharetra supererit, omnes ad unam ejaculabor.

v. 37. Hebr. *Cum veneno serpentium terra* seu *in terra.*

v. 39. *Ubinam &c.* Quasi non videret, & adhuc quæreret ad supplicium, ut dato, dum minatur, pœnitendi spatio resipiscant, unde sequitur *sed propter &c.*

v. 40. Hebr. *Nisi provocationem inimici metuerem*, subaudi, illud quod præcedenter dixi, jam opere complevissem; sed abstinui, *ne forte &c.* Tale est illud Virgilii I. Æneid. *Quos ego* (subaudi ulciscar) *sed motos præstat componere fluctus.*

v. 45. *Et inimici &c.* Satis experientia advertunt Ægyptii, Amalecitæ, Sehon &c. Deum nostrum esse potentiorem suis Diis.

v. 46. *De vinea &c.* Israelitarum scelera allegoricè recenset sub metaphoris vineæ & vini impiissimorum hominum, quorum mores Judæi imitantur, & actiones habent similes.

v. 49. *Nonne hæc &c.* Quasi dicat: ne idcirco, quia ultionem differo, existimate, me scelerum vestrorum oblitum esse; sunt enim omnia in mente mea recondita, & quasi sigillo *signata in thesauris meis*, seu in gazophylaciis divinæ providentiæ & justitiæ meæ: unde quum præfinitum vindictæ tempus adfuerit, opportunè depromam.

v. 53. *Et clausi &c.* qui se in arces, quasi in loca tuta incluserunt. . . . .

v. 60.

v. 60. Hebr. *Si acuero fulgur gladii mei*, fulgur videlicet ipsum, quod Deo est instar gladii. Poeticè dictum, ut illud Virgilii lib. IV. Æneid. v. 579. *vaginaque eripit ensem Fulmineum*.

v. 63. *De captivitate nudati &c.* Solebant olim victores captis in bello in morem mancipiorum capita decalvare; unde illud de Scipionibus dictum.

Sub quorum titulis Africa tonsa jacet.

Unde & Prophetæ toties minantur Israelitis calvitium, tamquam extremum ludibrium.

IN CANTICUM DEBORÆ.

* p. 8. Debora prophetissa, cujus tempora ad annum 2679. circiter ab orbe condito referuntur, vixit quo tempore Panyas 24. Rex Assyriis imperabat; videlicet 40. circiter annis antequam Hercules Argis regnavit, & totidem ante Herculis adventum in Italiam.

** p. 8. Omnino hoc Canticum, ut a Deo specialiter inspiratum, & proinde ut ceteræ Scripturæ sacræ partes, recipiendum est. Nam constat, Deboram prophetissam fuisse: prophetavit enim, Baracum fore victorem, & Sisaram per manum fœminæ periturum. Quare sicut aliorum Prophetarum Cantica meritò recipiuntur, ut sint ejusdem cum reliqua Scriptura auctoritatis, sic & hoc est recipiendum. Ita Estius.

Quæ autem in hoc Carmine continentur, ea doctissimus Bossuet censet esse ejusmodi, ut clarissimorum apud Græcos ac Latinos ingeniorum ornatum, & copiam facile exsuperent, ut eloquia divina ne has quidem delicias desiderare nos sinant.

v. 3. *Domine cum exires &c.* Loquitur de eo tempore, quo primùm populus exiit de Ægypto; tunc enim præ timore terra tremuit, nubes in aquas solutæ, mons Sinai liquefactus. Locutiones hyperbolicæ, quibus significatur, omnia terrestria & cœlestia ad divinam præsentiam perculsa ac convulsa fuisse.

v. 5. *In diebus Samgar*. Hic occidit vomere sexcentos Philistæos, ut in lib. Judic. cap. III. v. 31. A morte Aodis, qui octoginta annis judicis officio functus fuit, usque ad hunc conflictum adeo Dei populus ab hostibus premebatur, ut commercia cessarent, & viatoribus hostium metu diverticula quærenda essent, neque tuta ullius pagi habitatio esset; ob eamque caussam existimant, heic jungi Samgarem & Jahelem, quia ab imperio illius ad liberationem per hanc populus Israeliticus magnis est infortuniis & calamitatibus conflictatus.

Ibid. Hebr. *Itinera cessarunt, & ambulantes in semitis ibant per calles tortuosos*. Quum regionem infestat miles, tortuosæ semitæ præ itineribus publicis eliguntur.

v. 6. Hebr. *Defecerunt fortes*, vel ut alii, *cessaverunt villæ*: hoc est, nemo in villis habitare audebat, cunctique se continebant intra urbes munitas.

Ibid. *Mater in Israel*. Tum quia spiritu prophetico Israelitis, ut mater filiis, & propheta discipulis (quos prophetarum filios Scriptura vocat) consulebat; tum quia hoc bello malum ab Israelitis, ut pia mater depulit; tum demum quia judicatum administrabat in Israele. Hinc ut quidam apud Romanos dicti sunt Patres Patriæ; ita hæc Mater Patriæ Israelis audiit.

v. 7. *Nova bella &c.* Inusitata & mirabilia, nam fœmina duce hostes victi.

Ibid.

Ibid. *Clypeus & hasta si apparuerint*, pro *non apparuerunt* usitato Hebræorum more, ut illud Psalm. XCIV. *si introibunt in requiem meam*, pro *non introibunt*.

v. 9. Hebr. *Asinas albas, candidas*.

v. 10. *Et obtinuit principatum*. Hæc verba in fonte desiderantur.

v. 13. *Ex Ephraim*. Plerique Hebræorum & nostrorum Deboram ex tribu Ephraim fuisse affirmant, ut apparet e loco habitationis ejus in monte Ephraim Judic. cap. IV. v. 5.

Ibid. *de Machir*, ideſt de altera dimidia tribu Manaſſis ultra Jordanem. Vide Josue Cap. XVII. v. 1. & Cap. III. v. 31.

v. 14. Hebr. *In divisionibus Ruben magna cogitationes cordis*.

v. 15. *Quare habitas inter duos terminos?* Hinc hostium, inde Iſraelitarum: ideſt neutris faves, o Ruben, ſed greges quietus paſcis. Redarguuntur Rubenitæ, qui ſeparati a reliquis tribubus, alioqui induſtria & ingenio valentes pecoribus ſuis alendis maluerint intendere, quam periclitantibus fratribus opem ferre.

Ibid. *Sibilos gregum* quidam vertunt *boatus, balatus gregum*: alii *sibilos pastorum juxta greges*. Repetitur hoc verſiculo ſuperioris hemiſtichium, *diviso &c.* more cantilenarum.

v. 16. *Et Dan &c.* Poſſeſſionem habuit magna ex parte maritimam, ſicut etiam & Aſer Joſue XIX. v. 24. & ſequentibus.

v. 17. *In regione Merome*. Quidam aquas Merom intelligunt; ſed ille locus procul aberat a torrente Ciſon, ubi nunc pugnatum eſt: nam ad aquas Merom fuit aliud cruentum prælium Joſue adverſum alium Jabin regem Hazor.

v. 18. *Venerunt reges* ſcilicet Jabin, & confœderati.

v. 19. Hebr. *Stella e suis aggeribus pugnaverunt*. Metaphora a militibus ex editiore loco pugnantibus.

v. 20. *Conculca anima mea robustos*: ac ſi dicat. Ego pedibus meis tranſivi amnem illum fortiter & viriliter, citraque periculum; nec me mulierem infirmam potuit rapere tranſverſam.

v. 22. *Maledicite terra &c. dixit Angelus Domini*. Quicumque ſpiritu Dei afflati ſunt mecum ſemper pronuntiabunt, Merozitas maledictos eſſe, Jahelem vero benedictam. Meroz fuit urbs ſita prope pugnæ locum, nec pugnæ interſuit.

v. 24. *In phiala principum obtulit butyrum*. In cratere inſignium, vel concha magnatum, ideſt in ejuſmodi cratere, in quo ſolent bibere nobiles homines. Butyrum pro lacte poſuit, quoniam e lacte fit.

IN CANTICUM ANNÆ.

* pag. 12. Elcana dictus Ephratæus, non quod ex tribu Ephraim genus duceret (erat enim ex tribu Levi) ſed quia in civitate Levitica *Rama*, ſita in tribu Ephraim natus erat & educatus. Hæc autem in duali dicitur *Ramathaim*, additurque vox *Sophim*, ideſt *specula*, quod duabus conſtans partibus civitas eſſet, quodque in ea urbis parte Elcana ortum traxiſſet, quæ ſuperior erat, & unde quaſi e ſpecula longe lateque, quidquid circum actitaretur, detegere poſſet. Stephanus Raguſinus citatus a Duce Razivilio epiſtola 11. fol. 129. putat, hanc Ramatham illam eſſe civitatem, quæ ſubſecutis temporibus præfixa litera A dicta fuit Arimathia, cujus civis fuit ille Joſephus, qui Chriſtum Dominum e cruce depoſuit. Tempore S. Hieronymi nomi-

nominabatur *Rempltis*; hodie *Ramula* a Turcis vocatur, in qua præcelsæ turres, in quibus lampades perpetuæ, inquit Saligniacus, & ex eo Serarius. Hic igitur Elcana duas habuit uxores; illo enim ævo licita erat polygamia: Anna primaria erat, & materfamilias; Phenenna thori tantum consors, uxorque secundaria, quales uxores Scriptura vocat concubinas.

v. 2. *Dilatatum &c.* Quasi dicat: ante occluserant mihi os mœror, & pudor sterilitatis: jam mater effecta munere divino, amplo & aperto ore loquor, ac multa jam possum respondere iis, qui mihi vitium sterilitatis objectabant. Dum afflicta fuerat pauca dixerat; vide nunc, quomodo lætitia loquax est.

v. 4. Hebr. *Excelsum, excelsum*; geminatur enim vox *ghebogbab*. Hinc quidam notant, frequentes fuisse & assiduos usque ad satietatem Annæ adversarios in effutiendis adversus eam verbis superbis & contumeliosis.

v. 5. *Recedant vetera*. Vox Hebraica & *vetus* & *durum* significat. Ibid. *Deus scientiarum*. Chaldæus legit: *Deus novit omnia*.

v. 6. Hebr. *Confractus est*. Arcus arma significat, & generatim id, in quo quis præsidium suum constituit. Arcus ergo Phenennæ erat fœcunditas.

v. 7. *Repleti prius* idest, Phenenna filiis abundans, & superbiens; ego sterilis, ac propterea despecta: jam ego prolem adepta, quæ heres erit in domo viri mei Phenennam ad paupertatem redactam video. *Pro panibus &c.* quia qui prius jus habebant ad paternam hereditatem, jam filio ex primaria uxore Annæ nato, munera tantum a patre habituri erant, ut filii concubinæ; hæreditas verò ad primariæ uxoris Annæ filium pertinebat.

Ibid. *Et famelici saturati sunt. Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & sublevat. Suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem: ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat:* hæc omnia mirificè congruunt Cantico B. Mariæ Virginis: *dispersit superbos .... deposuit potentes ... esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes*. Luc. 1. quibus præluditur gratiæ novi Testamenti per Christum erigentem humiles, & superbos deprimentem.

v. 8. Hebr. *Septem*; quod & in Græco habetur: numerus certus pro incerto, quod in Scriptura sacra frequens est, ut illud Isajæ: *apprehendent septem mulieres virum unum*, & *septies in die cadet justus*. Ibid. *Et quæ multos &c.* Tradunt Hebræi (ut refert S. Hieronym. & ex eo Vatablus, Abulensis, Jansenius & Historia Ecclesiastica) quum primùm natus est Samuel, interiisse Phenennæ primogenitum, & alios eodem ordine deinceps omnes.

v. 16. Hebr. *Messiæ sui*. Insigne vaticinium; quod Samuel uncturus esset Saulem, & Davidem, atque in his Christum præfiguraturus.

IN CANTICUM ISAJÆ.

v. 2. Hebr. *Jesus meus*.

v. 3. Hebr. *In Jesum*. Nomen proprium Domini Salvatoris nostri.

v. 4. Hebr. *De fontibus Jesu*, idest salutis. Alludit ad petram Horeb, quæ Mosis virga percussa dedit fontem perennem aquæ suavissimæ: mysticè autem Sacramenta novæ legis innuit, quasi dicat: ex Sacramentis, tamquam ex uberrimis, perennibusque

busque gratiarum ac beneficiorum fontibus, & sanguine ipso ac meritis Christi innumera & copiosissima charismata capietis.

IN CANTICUM EZECHIÆ.

* pag. 14. Dubium est, an ab Isaja scriptum sit hoc Canticum, an ab ipso Ezechia, cujus opera putantur scripti alii quidem Scripturæ libri. Sanctius, & a Lapide auctores sunt in æs fuisse incisum hoc carmen, & in modum votivæ tabellæ publicè proponi jussum in perpetuum divinæ clementiæ præconium ac monumentum.

v. 2. Hebr. *Privatus sum residuo annorum meorum:* idest annis, qui mihi supererant agendi ex naturæ lege; tunc enim triginta novem vulgo creditur habuisse Ezechias, quum morbo correptus fuit.

v. 5. *De mane &c.* Adeo sæviebat in me pestifer morbus, ut putarem fore ut non pervenirem ad noctem.

6. *Sperabam usque ad mane:* quum nox, ante quam me moriturum putabam, venisset; iterum timebam, ne usque ad matutinum tempus vitam extenderem, quasi dicat; singulis diebus quibus ægrotabam, me ultra eum diem supervivere posse desperabam.

v. 8. Hebr. *Elevati erant oculi mei &c.* quasi dicat. Ita assiduè, intentè, & gemebundè respexi ad Deum, ut oculi mei fessi, morboque debilitati attenuati sint.

v. 9. Hebr. *Sponde*, vel *fidejube pro me:* videlicet interpone fidem tuam, ne morbus me interimat; sicut quum aliquis in carcerem raptatur, dato fidejussore liberatur.

Ibid. *Quum ipse fecerit:* idest, quum pristinam valetudinem mihi, ut per Isajam promisit, restituerit.

v. 11. *Si sic vivitur*: multi codices omittunt particulam conditionalem *Si* non absque verisimilitudine; sensusque est: talis est humanæ vitæ conditio, ut hujusmodi miseriis objecta sit, & in his vicissitudinibus perpetuò homines versentur.

Ibid. *Ecce in pace amaritudo &c.* Postquam mihi & toti regno meo pacem tribueras ab Assyrio, & omnibus inimicis meis, statim in morbum desperatissimum incidi.

v. 12. Hebr. *Tu autem liberasti animam meam de fovea corruptionis*, idest de sepulcro.

v. 14. *Vivens vivens &c.* Geminatio vocis sensum intendit, quasi dicat: omnino ad viventes pertinet celebrare te.

Ibid. *Pater filiis &c.* Pater quamdiu vivit potest instituere liberos suos, eosque docere veritatem promissionum tuarum, quod mortuus præstare ultra non potest.

IN CANTICUM HABACUC.

* pag. 16. Quod Habacuc ante captivitatem Babylonicam vaticinatus fuerit vel ex hoc ipso liquet, quod eam prædicit futuram primi Capitis versu 6. *Quia ego suscitabo Chaldæos &c.* alioquin historicum, non prophetam ageret. Quare non is videtur Habacuc, qui ab Angelo per capillos arreptus Danieli prandium detulit, quum ille Babylonicæ captivitatis tempore vixerit. Hinc ut duo sunt prophetæ Michææ nomine, ut duo sunt Abdiæ nomine, ita nihil prohibet, quominus duo sint ejusdem nominis Habacuc.

** pag. 16. Præstantissimus Poeta Gallus de la Fontaine hoc lecto Cantico adeo se se affici, animoque commoveri sensit, ut

ut diu cum amicis nihil aliud memorare, nihil loqui, nisi de suo Habacuc recordaretur; Robertus verò Lovvth, cujus his in rebus judicium plurimum valet, dicere non dubitavit „ *quod nisi una, alteraque ei insideret obscuritatis nebula vetustate, ut videtur, inducta, vix quidquam hoc Poemate in suo genere extaret luculentius, & perfectius.* " Vide etiam Schroederi Philologicam dissertationem in Canticum Habacuc Groningæ recèns impressam.

v. 1. *Auditionem tuam:* Oraculum, quod a te mihi revelatum est duobus præcedentibus capitibus de vastatione Judeæ per Chaldæos, & de elade Chaldæorum per Medos & Persas.

v. 2. *Vivifica:* fac ut prodeat, suscita, adimple opus a te promissum, nec quasi mortuum jacere patiaris. *In medio &c.* intra terminum 70. annorum a te ad id præfinitorum ac destinatorum.

v. 4. *Deus ab austro veniet &c.* Futurum pro præterito. Incipit commemorare mirabilia, quæ Deus patravit, quum populum ex Ægypto eductum induxit in terram promissam, ut significet similia facturum, ut ex Babylone liberet. Pharan, Theman, Seir, Sina &c. sunt regiones australes Judeæ. Ut ergo legem daturus in Sina venit ab austro, sic a Perside & Media adducet Cyrum & Darium, qui Babylonem vastent, indeque nos liberent.

v. 7. Hebr. *Pestis*, unde mors consequitur.

v. 8. Hebraicum *resceph*, præter diabolum significat etiam fulgur, scintillas ignitas, carbones, & generatim omnes calamitates, quas Deus immisit Chananæis, ut venientes Israelitæ facile eos opprimerent.

v. 9. *montes*, & versu sequenti *colles* pro regibus.

v. 10. *Ab itineribus æternitatis ejus:* idest æternis seu perpetuis *deambulationibus*, ut ex Hebræo verti potest. Deus enim, tamquam archistrategus perpetuus eum populo suo deambulabat, ac pro illo depugnabat.

v. 11. *Vidi*, idest cognovi, te olim evertisse castra & tentoria Æthiopum Orientalium, idest Madianitarum (Abyssini enim sunt Æthiopes Occidentales, de quibus heic non agitur; nam Propheta hoc Cantico mirabilia Dei ab Exodo usque ad ingressum in terram promissam narrat.) *Pro iniquitate:* idest propter scandalum fornicationis, & cultus Beelphegor, quod ipsi objecerunt filiis Israel, submittendo in eorum castra filias suas, quæ ad utrumque scelus eos pellicerent. Sicut igitur eos turbasti per Josue, sic abiges & exscindes Chaldæos per Cyrum & Persas.

v. 12. *Numquid in fluminibus &c.* Sententia est: ad salvandum Israelem videbaris irasci Jordani & fluentis maris rubri: simili modo per Cyrum deduces Euphratis alveum in fossas, & per eum ita desiccatum Persas immittes in Babylonem. Ita enim a Cyro captam memorant.

v. 15. *Doluerunt montes:* magnæ aquarum moles instar montis assurgentes in transitu Jordanis & maris rubri reveritæ sunt imperium tuum, & quodammodo doluerunt, quod a naturali suo cursu inhiberentur.

v. 16. *Altitudo &c.* Altæ aquarum crepidines utrinque elevatæ sunt, ita ut mare videretur ad te manus suas supplex attollere.

v. 17. *Sol* & consequenter orbes reliqui.

v. 19. *Egessus* et pro *egrederis*. Cum Chri-

Christo tuo; ut cum Mose olim, quem spiritu tuo unxisti; sic nunc egredieris cum Cyro in aciem contra Babylonios.

v. 20. *Caput de domo impii*; idest Balthassarem, qui est caput in domo impii Nabuchodonosor.

v. 21. *Maledixisti* pro *maledices* non nudis verbis, sed efficacibus ictibus ac cædibus evertes Chaldæos.

v. 25. *Ingrediatur &c.* Quis mihi nunc det vita hac defungi, ut carne & ossibus putredine absumptis, anima procul ab horrenda illa calamitate se recipiat in locum quietis?

v. 26. Hebr. *Ad populum congregatum, seu colligatum nostrum*; hoc est ad cœtum Abraham, Isaac, Jacob, Josue &c. aliorumque in Patrum limbo degentium.

v. 29. Hebr. *Non erit bos in bovilibus*.

v. 30. *Ego autem &c*, Etsi mihi summæ esset voluptati ex hac vita tam tristi & ærumnosa exire; quia tamen video nondum id placere Deo, componam me ad æquanimitatem, immo ad exultationem, non in fratrum meorum miseriis, sed in Dei miserantis providentia.

Ibid. Hebr. *In Deo salutis meæ*.

v. 31. *Ponet pedes meos &c.* Loquitur in persona populi sui redeuntis cum cervorum velocitate in patriam. Nam ipse alioquì ad tempus solutæ captivitatis non pervenit.

IN CANTICUM TRIUM PUERORUM.

* pag. 19. Dubitatur, utrum hoc Canticum a tribus pueris in fornace primùm, an ab aliis ante compositum, ab ipsis verò in gratiarum actionem memoriter fuerit recitatum. Polychronius incerti esse auctoris, & tempore tribus pueris posteriori pertextum putat. Alii a Judæis antea cantari solitum in gratiarum actionibus docent, ut nos Augustini & Ambrosii hymnum canimus. Communis tamen Ecclesiæ sensus, & Doctorum opinio est, revera ab ipsis pueris in fornace tunc temporis ex afflatu Spiritus Sancti fuisse compositum. Non ibo tamen inficias, hemistichia aliquot e Psalmis fuisse accepta.

Cetera quæ sequuntur Cantica satis per se clara sunt, nullaque indigent expositione.

Pag. 223. in carmine anapæsto, quod incipit: *Quotquot eoos &c.*

pro	legatur
. . . . *ante soluta*	. . . *prius emoto*
Compage fractus	*Cardine fractus*

le-



